

ENCHIRIDION
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
UNIVERSAE

AUCTORE

P. ALBERS S. J.

AD RECOGNITAM ET AUCTAM EDITIONEM NEERLANDICAM ALTERAM IN LATINUM SERMONEM VERSUM

TOMUS II

AETAS ALTERA SEU MEDIUM AEVUM
ANNIS 692—1517




NEOMAGI IN HOLLANDIA
SUMPTIBUS L. C. G. MALMBERG
MDCCCCX

PROSTAT APUD:

DESCLÉE & C.,
EDITOREM PONTIFICIUM,
ROMAE.

B. HERDER,
TYPOGRAPHUM EDITOREM PONTIFICIUM,
FRIBURGI BRISGOVIAE.



Enitendum magnopere, ut omnia ementita et falsa, adeundis rerum fontibus, refutentur; et illud imprimis scribentium obversetur animo, *primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis.* — Est autem in scholarum usum confectio commentariorum necessaria, qui salva veritate et nullo adolescentium periculo ipsam artem historicam illustrare et augere queant.

Epist. LEONIS PP. XIII, d. 18 Aug. 1883.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

NIHIL OBSTAT.

fr. D. WEVE. O. P.

Libr. Censor.

NEOMAGI, 2 Febr. 1910.

EVULGETUR.

J. POMPEN.

Vicarius-Gen. Busc.

BUSCODUCI, die 15 Febr. 1910.

AETAS ALTERA.

MEDIUM AEVUM.

692—1517.

PERIODUS PRIMA.

Ab exeunte saeculo VII usque ad Gregorium VII.

692—1073.

CAPUT PRIMUM.

DILATATIO FINIUM ECCLESIAE.

§ 56—§ 59.

§ 56. **Frisonum conversio.**

Beda, Hist. Eccles. gentis Anglorum, III, 13; V, 10—11. *Migne*, P. L., Tom. 95. *Alcuinus*, De vita S. Willibrordi libri duo. *Migne*, Tom. 101, 693—724. *P. P. M. Alberdingk Thijm*, De H. Willibrordus, Amsterdam—Brussel 1861. *W. Moll*, Kerkgeschiedenis van Nederland vóór de hervorming, Ie Deel, Utrecht 1864. Cf. *C. Bottemanne*, De Katholiek, Deel 69, bl. 197, 261, 329; Deel 40. bl. 1. *H. J. A. Coppens*, Algemeen overzicht der Kerkgeschiedenis van Noord-Nederland. Tweede vermeerderde uitgaaf, Utrecht 1902. *J. A. F. Kronenburg*, Neerlands Heiligen in vroeger eeuwen, IIe Uitg. Amsterdam.

1°. Ante saeculum VII aditus Ecclesiae ad Frisones Septentrionales non fuit. Quae per conamina Francorum facta sunt diuturna non fuerunt. Frisones oderant Francos, libertati suae insidiantes, atque adeo detestabantur hostium suorum religionem. Meliore gratia valebant apud Frisones Britanni. Cognatio linguarum et negotiationis commercium societatem inter eos et amicitiam conflaverat. Britannicorum apostolorum ope voluit divina Providentia Frisones ad fidem et humanitatem adducere.

Persecutionibus in Anglia obnoxius, S. Wilfridus[1]) anno circiter 679 appulit ad Frisonum oras, nec sine fructu unum annum praedicavit. Sexto post anno Wigbertus eodem advenit, at paucos tantum valuit colligere fructus, eo quod Radbodus rex (680—719) christianismo spargendo obstabat.

2°. Proprius Frisonum apostolus S. Willibrordus fuit.

---

[1]) Vita Wilfridi apud *Mabillon*, Acta SS. Ordin. s. Bened., saec. IV, Append. I, 676; Suppl. 2, 550 sq. *Obser*, Wilfrid der Aeltere, Bischof von York, Karlsruhe 1884.

Natus anno 657, adhuc juvenis ordinem S. Benedicti ingressus, Rhigoduni in Anglia et Rathmelsigis in Hibernia brevi multum profecit in scientia et virtute. Anno aetatis trigesimo tertio, probabiliter anno 691, cum undecim sociis appulit Catvicum, statimque profectus adiit Pepinum Heristallensem, pro difficili labore suo opem petiturus. Obtenta dein Romae a Sergio I papa missione, acceptisque ab eodem reliquiis sanctorum, ad opus faciendum accessit. Propitia divina Bonitas fortunavit opus brevique temporis spatio multos per S. Willibrordi praedicationem ad rectam fidem adduxit [1]. Tum iterum Romam profectus, missionarius ab eodem Sergio Pontifice, anno 695 die 21 Novembri, Frisonum archiepiscopus est consecratus [2]. Redux consedit Ultrajecti, ibique celebrem episcopatum fundavit, qui mirum quantum convertendis instruendisque Neerlandiae incolis profuit. Multis laboribus in Dei sui honorem exantlatis tum in Hollandia tum in aliis regionibus, fide recta in perpetuum fundata, ecclesiis et monasteriis aedificatis, Epternaci in finibus Luciburgicis mortem sanctorum obiit, die 7 Novembri 739.

Praecipuis laborum sociis Willibrordus usus est Suitberto († 713), qui prius in Hollandia, postea Saxonibus praedicavit [3]; Werenfrido Batavorum apostolo [4]; Ewaldo uno et altero et Tilmano; Wirone, Plechelmo et Otgero, qui in terminis Cliviae et Gelriae praedicarunt, defunctique sunt in monasterio S. Petri prope Ruremundam [5]. Adelberto Kennemariae apostolo [6]; Engelmundo qui fidem annuntiavit Valesae et in ejus confiniis; tandem Wulfrano e monasterio Fontanellae [7].

3⁰. Willibrordo duce et etiam post hujus mortem, inter Frisones laboravit S. Bonifatius et prae ceteris clarissimus ejus

---

1) *Beda*, V, 10.

2) Willibrordus dictus est Clemens, cujus Sancti festum 23 Nov. celebratur. Neues Archiv, D. 33 (1908), 517—530.

3) *Beda*, H. E., V, 11. *Marcellini*, Vita Suitberti posterioris aetatis fabella est. Hist. Jahrb., 1881, p. 273 sq.

4) Acta apud *Surium*, 14 Aug. Act. SS. Boll.. 27 Aug.

5) *A. Wolters*, De HH. Wiro, Plechelmus en Otgerus, Roermond 1861.

6) Acta SS. Belgii, VI, 661.

7) Contra frustratam Radbodi conversionem scripsit *Kluit*, Hist. Crit., Tom. I, Pars II, p. 7: eam defendit *Moll*, I, 130.

discipulus Gregorius[1]), e Merovingorum familia, qui rexit episcopatum docuitque in schola Ultrajectina († 775). Laborum socii fuerunt Alubertus chorepiscopus; Lebuinus († 777) et Marchelmus, qui in Isalae regionibus praedicarunt aedificaveruntque ecclesiam Daventriae; Willehadus, Frisiae et Groninganae provinciae apostolus, primus Bremensis episcopus; Ludgerus († 809), magister in schola cathedrali Ultrajectina primusque Monasterii episcopus. Nordvici operatus est S. Jeroen, Scotus, ibidemque anno 856 corona martyrum est insignitus[2]). Praecipui Ultrajectini episcopi recensentur Fredericus († 838)[3]), Radbodus († 917)[4]), Balricus († 977) Ansfridus († 1010[5]), Adelboldus († circa 1025) et Bernulphus († circa 1054).

---

§ 57. Conversio reliquorum populorum Germanicorum.

Vitae S. Bonifatii a *Willibaldo, Othlo et Anonym. Traject.* scriptae apud *Pertz*, Mon. Germ., Script., Tom. III. Epistolae S. Bonif. Ed. *Gilles*, Tomi II, Oxon. 1842. *Seiters*, Bonifatius, Mainz 1845. *Buss-Scherer*, Winfrid Bonifatius, Gratz 1880. *G. Kurth*, S. Boniface, 4e éd., Paris 1903. *Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, I—III, IV Aufl., Leipzig 1904—1906. *W. J. Karup*, Geschichte der kath. Kirche in Dänemark (e lingua Danica), Münster 1863. *K. Maurer*, Bekehrung des Norwegischen Stammes, München 1855—1856. *Lavisse*, La conquête de la Germanie par l'Eglise, Revue des deux mondes, Avril 1887.

1°. Etsi **Bonifatius** etiam in numero apostolorum Neerlandiae recenseri potest, praecipue tamen convertendis **Germanis** incubuit. Circa annum 681 Kirtone in Anglia natus et enutritus in abbatia Nhuts-celle, anno 716 Dorestadium advenit, sed propter iniqua tempora mox inde rediit. Brevi post tempore missionem iterum aggressus, Romae fuit anno 718 atque potestate debita sibi a Gregorio II (715—731) Pontifice facta,

---

[1]) *P. Albers* S. J., Jaarboekje van Alberdingk Thijm 1893, p. 1 sq.: De H. Gregorius, III, B. van Utrecht.

[2]) Het Jaarboekje van Alberdingk Thijm 1861, p. 1 sq. Vide doctam et benevolam elucubrationem Prof. *P. J. Blok* in Bijdrag. voor vaderl. Geschied., IVe Reeks, IIIe Deel, p. 1—23.

[3]) *P. Albers*, S. J. in Archief v. h. Aartsb. Utrecht, 1892.

[4]) Id. ibid. 1894.

[5]) Id. ibid.

post brevem moram in Germania tres annos cum Willibrordo apud Frisones operatus est. Dein iterum Romam profectus, ibidemque anno 723 consecratione episcopali ornatus, Hassis, Thuringis Bojoariisque fidem attulit. Geismari in honorem S. Petri lignis sacri quercus sacellum aedificavit, condiditque monasteria Ohrdruf, Tauberbischofsheim, Kitzingen et Ochsenfurt, Fulda et Heidenheim, in quibus habitare fecit partim missionarios et moniales ex Anglia accitos, partim discipulos e Germania assumptos[1]. Exacto ubere ejusmodi apostolatu, anno 737 tertio Romam profectus, facultatem recepit ecclesiae Germanicae componendae. Redux in Bavaria synodum coegit eamque regionem in quatuor episcopatus dispertiit, *Salisburgensem*, *Frisinganam*, *Ratisbonensem* et *Passaviensem*. Dein Thuringios et Hassos adiens instituit episcopatus *Herbipolitanum*, *Buraburgensem*, *Erfordianum* (741), et anno 754 *Aichstadianum*.

Carolo Martello defuncto (741) Bonifatius singulis fere annis synodos coegit. Primum erat *Concilium Germanicum* (742), quo, mandante Zacharia[2] Pontifice, fortiter egit in clericos. Dein anno 743 *Liftinis*[3], 744 *Suessione*. Multa remansisse eruenda, docet *Indiculus superstitionum et paganiarum*[4]: inferias, cremationes mortuorum, imo et mulierum servorumque superstitum, divinationes ex animalium cerebro, avium volatu aliisque variis signis, veneficia, idolatriam apertam aut tectam et alia hujusmodi. Francorum synodus (745) decrevit, ut Colonia Agrippina fieret totius Germaniae sedes metropolitana utque Bonifatius ei archiepiscopus praeficeretur. Quod cur tamen effectum non sit, non omnino liquet. Aliquo tempore post Moguntiae hoc privilegium est collatum et Colonia Agrippina postea demum ipsa quoque facta metropolis, cum sola suffraganea ecclesia Ultrajectina (794—799)[5].

Exacto hoc gravissimo labore in Germania, aestivo tempore annis 753 et 754 Frisonibus praedicans, multos ad fidem convertit. Verno tempore anni 755 iterum Rheno devectus, venit Doccomium, ac die 5 Junii ibidem Sacramentum confirmationis

---

[1]) Mon. Germ., Script., Tom. II, 366 sq.
[2]) *Jaffé*, Ed. 2a, N⁰. 2264.
[3]) Hic confecta est antiqua illa celeberrima ejuratio Germanica.
[4]) Mon. Germ., III, 19, cf. *Hefele*, III, 506.
[5]) *Jaffé*, Ed. 2a, N⁰. 2273, 2286, 2292 et ibid. I, p. 303 (in itinere).

collaturus una cum sociis 52 martyrium subiit, digno laboribus fructibusque uberrimae vitae fine imposito.

2⁰. Inter **Saxones** [1]) operati sunt jam ineunte saeculo VIII Ewaldus unus et alter martyresque obierunt. Lebuinus in fugam actus est. Populus iste bellicosus, regionum Albis Salaeque usque ad Rhenum, terrasque ab Hercynia silva ad Eideram incolens, non minore quam Frisones odio Francos potentes persequebatur. Quapropter ut regno daretur quies, necesse videbatur ut Saxones subjicerentur. Anno 772 Carolus Magnus bellum hoc diuturnum aggressus, imprimis delubrum universae genti sacratissimum, *Irminzuil* diruit, dein iteratis proeliis eorum exercitibus devictis, ad subjectionem eos coegit. Promiserunt se baptismum suscepturos. Comitiis anno 777 Paderbornae habitis, annuntiandae fidei opus episcopatibus vicinis (Herbipoli, Coloniae Agrippinae, Ultrajecti) et monasteriis (Fuldae et Amoenaburgi) demandatum est. At Widukindo capite, seditione universae gentis concitata, missionarii aut fugati aut interemti sunt, ecclesiae dirutae, christiani ad apostasiam compulsi. Crudelissimam poenam repetiit Carolus, anno 783 prope Verdam Saxonibus numero 4500 morti traditis [2]). Quod factum ne severius damnetur injustumque habeatur, notandum Saxones iterum fidem violasse, atque ab ipsis Saxonibus eos, qui seditionis rei erant, fuisse Carolo traditos. Tamen denuo in furorem acti Saxones fortissime pugnaverunt, at 783 in perpetuum subjugati sunt. Comitia, iterum Paderbornae habita (785), mortis poena proposita mandarunt christianam fidem esse suscipiendam [3]). Widukind et Alboin multique cum ipsis baptizati sunt. Ab eo inde tempore magis magisque manavit christianismus. Missionarii praecipui fuerunt

---

[1]) Einhardi Annales; Annal. Laurissenses. Mon. Germ., Script., I, 135 sq. *H. Böttger*, Die Einführung des Christent. in Sachsen von 775—786, Hannover 1859.

[2]) Cf. praesertim *Hauck*, II, 347—349. *Diekamp*, Widukind der Sachsenführer nach Sage und Geschichte, Münster 1877. *Bippens* (Geschichtswissenschaft, I, 75 sq.) aliique factum ipsum negaverunt. Contra *Hauck*, l. c.

[3]) Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit et ad baptismum venire contempserit paganusque manere voluerit morte moriatur. Mon. Germ., Leg., I, 1, 68—70. Decretum hoc, ab Alcuino et S. Paulino non acceptum, brevi post ex Capitulariis disparuit.

Willehadus[1]) et Ludgerus[2]), quorum prior creatus est episcopus *Bremensis*, alter *Monasteriensis*. Insuper episcopatus fundati sunt *Osnaburgi*, *Mindae*, *Verdae*, *Paderbornae*, et tempore Ludovici pii, *Hildesiae* et *Halberstadii*.

3°. **Scandinaviae** conversio inchoata vere est praedicante Anschario[3]). Willibrordus et Ebbo Rhemensis prius breve tempus ibi laboraverant. Simul cum iis, qui Haraldum **Daniae** regem, anno 826 cum aulicis Ingelhemii baptizatum, comitabantur, Anscharius profectus est ad septentrionem. Rege brevi post tempore pulso, Anscharius ulterius septentrionem versus progressus, cum fructu praedicavit. Anno 833 Ludovicus pius episcopatum Hamburgensem instituit. Quo facto Anscharius, Romam profectus, a Gregorio IV pontifice archiepiscopus *Hamburgensis* atque *Vicarius apostolicus* pro regionibus septentrionalibus creatus est. Non obstantibus Normannorum incursionibus, qui ipsam Hamburgi civitatem depopulati sunt (845), perrexit missionis suae laboribus incumbere. Anno 849 episcopatus Bremensis et Hamburgensis in unum conflati sunt. Erich I et Erich II libertatem christianis dederunt; ipsis tamen paganis manentibus, Danorum conversio retardata est. Mortuo, anno 865, Anschario successit Rembertus[4]). Integrum saeculum Daniae reges fidei suscipiendae restiterunt. Anno 965 demum Harald Blaatand baptizatus est. Tum episcopatus constiuti *Slesvici*, *Ripae* et *Remorum domus* (*Aarhus*). Canuto I († 1035) regnante, major populi pars fidei christianae adhaerebat. Sedes metropolitana *Lundini Gothorum* anno 1102 constituta est.

Tardior fuit **Suecorum** conversio. Quae seminaverant Anscharius, Gautzbertus et Unni languerunt usque ad saeculum XI. Tum demum Olavus rex ut baptizaretur petiit anno 1002, episcopatumque *Skarensem* instituit. Sverkerus rex (1133—1155) prima monasteria et ecclesiam *Upsalensem* condidit, quae anno 1162 facta est metropolis.

Norvegia inde ab anno 938 christianis regibus obtemperabat. Hakon (938—961), multum conatus veram fidem propa-

---

[1]) Vita Willehadi, Mon. Germ., Script., II, 378—390.
[2]) Vita Ludgeri auctore *Altfrido*, ibid., 405 sq.
[3]) Vita Anscharii, Mon. Germ., Script., II, 283—725.
[4]) Vita Remberti, Mon. Germ., Script., II, 764—775.

gare exiguos fructus collegit. Regibus demum Olavo Tryg-vesen (995—1000) et Sancto Olavo (1014—1030) christiana religio firmas radices egit in populo. Anno 1118 Nidrosiae (Drontheim) facta est sedes metropolitana. Exeunte saeculo XII non amplius erant in Norvegia pagani.

4°. In **Islandiam** anno 997 (999) Trygvesen rex legatos misit duce Thankbrando, aulae suae sacellano. Quem truculenter agentem incolae repulerunt. Qui ne regis animum irritarent, brevi post suppliciter petierunt, ut mitterentur missionarii. Tum anno 1000 gens conversa est.

In **Groenlandia,** demum anno 982 inventa, jam anno 1055 episcopatus Gardar erectus est. Non tamen diuturnus fuit, eo quod incolae Normanni paulatim exstincti sunt. Inde tamen missionarii audaces profecti sunt in Americam fidem annuntiaturi [1]). **Normanni,** qui Rollo duce in Galliam migraverant, anno 91 principe eorum converso, etiam ipsi christianam fidem receperunt.

---

§ 58. Conversio populorum in Europae orientali parte.

Hergenröther, Photius, II, 604 sq. Anonymus Salisburgensis, Hist conversionis Carantan., apud *Ginzel*, Gesch. der Slavenapostel Cyrillus und Methodius, Wien 1861, Anh. I, p. 46 sq. *Einhardi* Annales, Mon. Germ., Script., I, 135 sq. Annales Fuldenses, ibid., 343 sq. *Arndt*, Die ältesten polnischen Bistümer, Zeitschr. für kath. Theol., XII, 44 sq. Die Russische Kirche, *Hefele*, Beiträge, I, 344 sq. *Hergenröther*, Photius, I, 535 sq., 594 sq.; II, 300 sq., 608 sq.; III, 703 sq. *Bod*, Historia Hungarorum ecclesiastica, Tomi 3, Lugduni Batav. 1888—1890. *Hergenröther-Kirsch*, Kirchengeschichte, II Bd., p. 272 sq. *Lapôtre S. J.*, L'Europe et le S. Siège, I, Paris 1895.

1°. Ex omnibus populis Slavonicis primi **Croati** conversi sunt. Jam anno circiter 640, petente Porga rege eorum missionarios a S. Sede, baptizati sunt. Qui saeculo IX aderant episcopatus, iis tamen saeculo X dirutis, S. Ladislaus Croatiae parte expugnata, episcopatum tandem *Agramensem* constituit.

2°. **Carantani,** incolae regionum earum, quae hodie vocantur

---

[1]) *L. Jélie*, L'Evangélisation de l'Amérique avant Christophe Colomb, Congrès scient, intern. des cath., Paris 1891: Bruxelles 1895.

Stiria, *Carinthia* et *Carnia*, conversi sunt ab episcopis Salisburgensibus. Missionarios ad Chetumar principem misit S. Virgilius (†784). Quod opus prosecutus est Arno (†821). Pars meridionalis subjecta fuit patriarchae Aquilejensi, pars septentrionalis episcopo Salisburgensi. S. Gebhardus instituit anno 1027 episcopatum *Gurcensem; Seccoviensis* vero episcopatus ineunte saeculo XIII demum constitutus est.

3°. **Servii,** incolentes terras, quibus hodie nomina *Servia, Bosnia, Herzegowina* et *Dalmatia orientalis* sunt, saeculo VII ab Heraclio rege (610—641) compulsi sunt christianae fidei nomen dare, et ideo anno 827 simul cum imperii Byzantini jugo etiam christianismum exuerunt. Basilius rex tamen anno 868 eos iterum compulit utrumque subire.

4°. Eodem tempore conversi sunt **Bulgari,** habitantes ad dextrum latus inferioris Danubii. Evangelium primum receperant a Graecis proelio captis. Qui tamen vere eos ad fidem adduxit, fuit Bogoris rex, baptizatus Constantinopoli anno circiter 864, petitis a Nicolao I (858—867) episcopis et presbyteris Simul cum missionariis Nicolaus misit celeberrima sua *Responsa ad consulta Bulgarorum* [1]). Majore populi parte conversa, callidi Graeci, mox latinis missionariis demotis, Theophylactum primum metropolitam Bulgaricum constituerunt, atque inde anno 1019 Bulgaria provincia Graeca facta est.

5°. **Moraviae** et Hungariae septentrionalis incolae prima Evangelii semina susceperunt Caroli Magni aetate ab episcopis Salisburgensibus. Conversionem tamen perfecerunt Cyrillus et Methodius [2]). Qui, anno 863 Moraviam ingressi, ibidem praedicando fructus copiosos collegerunt. Confecerunt litterarum notas [3]), S. Scripturam [4]) et Liturgiam e latino in sermonem populi veterunt, qui exinde sermo liturgicus factus est. A Nicolao I Romam accitus, ibidem defunctus est Cyrillus. Methodius autem ab Hadriano II (867—872) Moraviae archiepiscopus et *Vicarius apostolicus* est creatus. Probato quoque

---

[1]) *Mansi*, XV, 401. *Hefele*, IV, 346 sq.

[2]) Acta SS. Boll., Tom. II, p. 12 sq. Stimmen aus M.-L., Tom. 22. St. Méthode. Apôtre des Slaves, in Revue des quest. hist., Tom. 28 (1888), 369 sq.

[3]) Immutando nonnihil litteras majusculas Graecas.

[4]) *V. Jagic*, Quatuor Evangeliorum versionis palaeo-slavonicae codex Marianus, Berolini 1883.

Slavonicae liturgiae usu, rediit. At Salisburgensis provinciae episcopi, Moraviam suae jurisdictioni subjectam rati, molestias Methodio moverunt eumque penes Joannem VIII (872—882) accusaverunt. Qui eum denuo Romam accitum purgavit, jurisdictionem ejus confirmavit, concessitque ut in liturgia sermone Slavonico uterentur, dummodo Evangelium prius latine dein Slavonice diceretur. Mortuus vir sanctus est anno 885, multa passus ab Arnulpho Carinthiaco. Moimirus II (894—906) rex petiit hierarchiae institutionem, quam lubens Joannes IX (898—900) concessit. Quae tamen quominus re constitueretur, episcopi Salisburgensis et Moguntinus impediverunt. Haud diu post Moravia sui juris esse desiit. Usus autem liturgiae Slavonicae jam pauco tempore post defunctum Methodium cessaverat.

6⁰. **Bohemi** [1]) saeculo IX Moravos in suscipienda fide secuti sunt. Jam anno 845 Bohemorum principes quatuordecim Ratisbonae fuerant baptizati. At a gente sua pagana fugati, et a Germanis imperio restituti, efficere non potuerunt, ut christiana fides radices in populo ageret. Id demum obtinuerunt Borzivoi (870—894) cum Ludmilla uxore sua, in Moraviae aula a Methodio baptizati. Hi non minus quam eorum filii Spitihnev I (894—912) et Wratislaus I (912—925) et prae reliquis Wenzeslaus I (925—935) eorum nepos, fidei diffundendae incubuerunt [2]). Potentes tamen etiam in aula manserunt pagani. Necati sunt Ludmilla a Drahomira nuru sua, Wenzeslaus a Boleslao I (935—967) fratre suo. Pius Boleslaus II (967—999) erexit archiepiscopatum Pragensem. Fuit quidem a sede motus Adalbertus, secundus episcopus Pragensis [3]); at inde ab anno circiter 1000 christiana regio est Bohemia.

7⁰. E Bohemia christiana religio manavit in **Poloniam** [4]). Etsi enim ineunte saeculo X sacerdotes nonnulli Moravi, expugnata patria, in Poloniam aufugerant, ac Cracoviae et vicinis urbi locis paganos aliquot baptisaverant, gentis tamen conversio debetur Miecislao duci (962—992), qui a Dubraska

---

[1]) Chron. Bohem., Mon. Germ., Script., IX, 1—32.
[2]) Vita Wenzeslai, Mon. Germ., Script., VI, 211—223.
[3]) Vita Adalberti, ibid., VI, 574—612.
[4]) Annales Poloniae, Mon. Germ., Script., XIX, 571—689.

principipissa, Boleslai I filia, sibi nupta, fidem acceperat. Mittendis missionariis et gravibus editis legibus populum ad Ecclesiam adduxit omniaque eorum idola in flumina mittenda curavit (967). Anno 968 episcopatus *Posnaniensis* erectus est, anno 1000 archiepiscopatus *Gnesnensis*. Casimirus rex (1040—1058) aedificavit scholas et monasteria ordinis S. Benedicti.

8⁰. **Russi** [1]), a Rurik Normanno anno 826 in unum acti, ex urbe Constantinopolitana missionarios acceperunt. Pauci tamen conversi sunt antequam Olga (Helena) anno 955 Constantinopoli est baptizata. Filio ejus Swatoslaus (945—957) manente pagano, ejus nepos Wladimirus (980—1015), qui Graecam principem duxerat, christianae fidei nomen dedit. Universus populus brevi tempore conversus est, sed cum ecclesia Constantinopolitana, a qua suos recipiebat metropolitas, sensim schismati orientali se dedit. Metropolitana ecclesia fuit *Chiovia*.

9⁰. **Hungari** prima fidei semina ab Ecclesia Graeca receperunt, duobus eorum ducibus Bolosudes et Gylas saeculo X Constantinopoli baptizatis. Pilgrimus, episcopus Passaviensis missionarios misit. Adalbertus Pragensis non solum in fide confirmavit Geisam (972—997) ducem, qui per uxorem suam Saroltam, Gylae ducis filiam, fidem susceperat, verum etiam baptizavit celeberrimum S. Stephanum (997—1038) [2]). Is convertit Hungaros et ad humanitatem instruxit. Accitis sacerdotibus e Germania, Bohemia et Italia, instituit episcopatus decem, metropolitana facta ecclesia Strigoniensi. Monasteria multa construxit, edidit leges sapienter constitutas, instructioni scholari incubuit, aedificavitque ampla hospitia Ravennae, Romae, Constantinopoli et Hierosolymis, in gratiam peregrinantium. Propter quae omnia egregie peracta Silvester II Stephanum regia dignitate donavit. Defuncto Stephano, orta denuo pagana factio ab Andrea (1046—1061) repressa est. Qui ei successit Bela rex (1061—1063) eandem factionem oppugnare debuit. At S. Ladislaus (1077—1095) ultimas paganismi reliquias destruxit.

---

[1]) *Leonis Diac. Caloëns*, Hist. Lib. X, De velitatione bellica Niceph. Aug., lib. VI, 10; IX, 6. 8, 9, 10; Corp. Script. Byzant., Tom. 30, 10. *Götz*, Kirchenrechtliche und kulturgeschichtliche Denkmäler Altrusslands, nebst Geschichte des Russischen Kirchenrechts, kirchenrechtliche Abhandlung, 18—19 Heft, Stuttgart 1905.

[2]) Vitae S. Stephani, Mon. Germ., Script., XI, 222—238.

§ 59. Mahumetani in Europa.

Dr. R. Dozy, Histoire des Musulmans d'Espagne, 4 vol., Leyde 1861. Het Islamisme, 2e herziene druk, Haarlem 1860. *Gams*, Kirchengeschichte von Spanien, II, 2; III, 1, Regensburg 1874—1876. *H. Gelzer*, Abriss der byzantinischen Kaisergeschichte, bei *Krumbacher*, Gesch. der byz. Litt., II Aufl., München 1897, p. 911 sq. *Lembke-Schäfer-Schirrmacher*, Geschichte von Spanien, VII Bde, Gotha 1830—1902. Histoire de l'Afrique et de l'Espagne, intitulée Al Bayano 'l-Moghrib, traduite et annotée par E. Fagnan, Vol. I, Alger 1901. *Dom H. Leclercq*, l'Espagne chrétienne, Paris 1906, p. 362 sq.

1°. Orientali Europae parte paulatim fidei adhaerente, ab **Islamismo** semper periclitabatur fides in partibus meridionalibus. Anno 711 Arabum exercitus, Tarik duce, transfretavit atque in Hispania Gibraltariam occupavit. Dejecti regis Witika filii ad hostem transierunt, Roderik successore ejus parante exercitum, quo Arabes trans mare repelleret. Qui vero Hispanos vicerunt proelio celeberrimo prope Xeres de la Frontera, 19 Julio 711. Universa Hispania Mahumetanorum ditioni subjecta est. Qui hoc non contenti, anno 718 Pyrenaeos transgressi, anno 720 Narbonem et anno 725 Nemausum et Carcasonem expugnarunt. Dein Abderrahman Hispaniae praepositus, Galliam denuo ingressus, Burdigalam obsessione cinxit; at Turones inter et Pictavium incidens in Carolum Martellum, ab eo victus (732) et ultra Pyrenaeos rejectus est. Praeterea paulatim Asturiae regnum munitum est et Carolus Magnus „marchionem Hispanicam" expugnavit. Interea Abderrahman Ommajadus, solus ex gentis suae interitu Damasci ereptus, in Hispaniam venit condiditque *kalifatum Cordubensem*, qui non solum rerum externarum copia, verum etiam florentibus artibus scientiisque clarissimus evasit.

Exitiosum fuit pro Ecclesia Hispanica Mahumetanorum imperium. Quamvis enim fuerit cultuum libertas, christiani tamen multi, promissis sollicitati aut vi oppressi, apostatarunt. Imo vero anno 850 vehemens est persecutio exorta, eo quod poena mortis proposita fuit injuriose loquentibus de propheta. Multi propter hoc ipsi mortem sibi inferri quaesierunt, colebanturque quasi martyres. Eulogius quidam sacerdos et Alvarus ejus amicus hunc animum probabant. At synodus Cordubensis (852)

coli caesos vetuit, eo quod non perpetrassent miracula neque corpora eorum incorrupta essent [1]).

2⁰. Saeculo IX Saraceni in Sicilia constiterunt et Panormum expugnarunt (831). Circiter 867 incursiones facere ausi sunt in ipsum regnum pontificium, ita ut periclitaretur Pontifex debueritque promittere stipendia annua se pensurum [2]). Perfidus Gregorius *nomenclator* hostem Romam advocavit portasque ei aperuit. Joannes VIII eum repulit. Anno 877—878, Saracenis iterum terras Pontificias depopulantibus, quod Lambertus Spoletanus et Adalbertus Tuscus negligentes fuissent, coactus fuit Pontifex stipendia solvere. Athanasius episcopus Neapolitanus, aliquamdiu societatem cum hoste habuit [3]).

3⁰. Optime meruit de christianismo imperium Byzantinum in oppugandis Saracenis. Hoc Europae propugnaculum perpetuo impetitum est, praesertim Leonis III aetate. Obsidium urbis Constantinopolitanae, anno 717—718, et imperatoris victoria summi certe fuit momenti, non minus quam Caroli Martelli victoria. Christianam tum fidem in Europa orientali Leo III tutavit.

---

[1]) *Hefele*, IV, 179. *Baudissin*, Eulogius und Alvarus, Leipzig 1873.

[2]) *Hefele*, IV, 304, 448, 458.

[3]) *Hefele*, IV, 515, 522, 526, 542. A. Dardanelli, Invasioni Arabe in Provenza, Savoia e Piemonte sul finire del secolo IX e del secolo X, Roma 1904.

CAPUT SECUNDUM.

Hierarchia ecclesiastica ejusque ad imperium civile relatio.

§ 60—§ 68.

§ 60. Papae et episcoporum auctoritas.

Thomassinus, Vetus et nova discipl., Tom. III, lib. I, c. 22 sq. *Phillips*, Kirchenrecht, III Bd., p. 61 sq.; VII Bd., p. 144 sq. *Hergenröther*, Katholische Kirche und christlicher Staat, Freiburg, p. 1 sq.; p. 77 sq. *A. Werminghoff*, Geschichte der Kirchenverfassung Deutschlands im Mittelalter, I Bd., Hannover 1905. *Lesne*, La hiérarchie épiscopale en Gaule et en Germanie de 772—882, Paris 1905. *Ozanam*, La civilisation chrétienne chez les Francs, Paris 1849. *Fustel de Coulanges*, Hist. des instit. politiques de l'ancienne France, 3 vol., 2e éd., Paris 1877.

1°. **Episcoporum** auctoritatis causa quaerenda est quum in eorum scientifica institutione, tum praesertim in muneris sanctitate atque in eo quod populi grato animo ferebantur in magistros suos et benefactores. Haud mora plurimae, praesertim in Francorum finibus, ecclesiae bonorum copia donabantur. Quae quidem donatio duplici fiebat modo: donatione facta Sancto Patrono ecclesiae in perpetuum (*allodia*); vel mutuando ex veteri usu Germano (*feudum*). Regis enim erant bona ampla pro utilitate communi, quae mutua dare debebant viris bene meritis, ea lege ut fideliter servirent et fortiter auxiliarentur in bello. Quae bona lubenter reges commodabant episcopis, eo quod hi juratam fidem servabant. Quibus bonis mutuis saepe reges addebant *regalia* i. e. facultatem dicendi jus in causis publicis et privatis, imponendi stipendia et exigendi vectigalia, cudendi nummos et alia hujusmodi.

2°. Quapropter episcopi et abbates, brevi tempore divitiis et potestate nobilibus regni pares, ac scientia et sanctitate longe iis superiores, vulgo quoque vocabantur in majorem rerum publicarum partem, occupabant in comitiis primas sedes, jusque

iis factum est ante alios dicendi sententiam. Propter eorum pleniorem scientiam majoremque rerum agendarum usum vocabantur in privatum principum consilium, mittebanturque legatione fungentes. Magna etiam episcoporum fuit auctoritas in eligendis regibus. Desiderabant reges ab iis coronari et ungi, ut regia auctoritas hisce solemniis confirmaretur, principesque ipsi inviolata sanctitate ornarentur.

3⁰. Vetus jam episcopis fuit jus quaestionem habendi de causis civilibus; imo mandavit Carolus Magnus ut etiam nolentes cogerentur sistere se judicio ecclesiastico. Accessit insuper quoddam jus in causis criminalibus etiam laicorum. Etsi enim *Missi dominici* jus dicerent in sua provincia, suum tamen episcopo quoque judicium (Sendgerecht)[1]) erat, ut ne ex arbitrio et crudelitate, sed jure et justitia causae agerentur. Hac aetate multum quoque aucta sunt privilegia clericorum et aedium bonorumque ecclesiasticorum.

4⁰. Inde a saeculo VIII non minus increvit auctoritas et potestas **Papae.** Cujus rei causa fuit, praeter officii dignitatem, beneficentia et sollicita gregis cura, quem defendebant Summi Pontifices contra principum duritiem aut injuriam. Prae regibus priores partes tribuebantur Papae, sicut episcopis prae nobilibus. Papa exhortabatur principes, leges ecclesiasticas iis imponebat, jura eorum defendebat, dirimebat lites regum cum populo aut cum aliis regibus aut cum regnum ambientibus. Quae quidem controversiarum compositio, a Pontifice facienda saepe petebatur aut saltem vulgo accipiebatur.

5⁰. Jam plura hac periodo ejus rei exempla fuerunt. Pipinum regem creavit Zacharias papa (741—752); Gregorius IV (827—844) litem diremit Ludovici pii cum filiis suis; Nicolaus I (858—867) judicium tulit in Lotharium II, Lotharingiae regem, qui injuste repudiaverat uxorem suam Theutbergam; Hadrianus II (867—872) fortiter auxiliatus est Ludovico II, cujus, Lothario II anno 869 defuncto, jus regium fuit in Lotharingiam, a Carolo Calvo sibi vindicatam; Nicolaus II (1058—1061) demum Roberto Guiscardo anno 1059 in feuda concessit Apuliam, Calabriam et Siciliam.

---

[1]) Zeitschrift für Kirchenrecht 1865, p. 1—45; 1865, p. 1—42.

§ 61. Dominium temporale S. Sedis.

Theiner, Codex diplomaticus dominii temp. s. Sedis, Tom. I—III, Romae 1861 sq. *Schnürer*, Die Entstehung des Kirchenstaates, Köln 1894 (Vereinsschrift der Görresgesellschaft). *Niehues*, Die Schenkungen der Karolinger an die Päpste. Hist. Jahrb. der Görresgesellschaft, II, 76—99, 201—241. *G. Hüffer*, Die Aechtheit der Schenkung Karl's von 774, ibid. 242—253. *L. Duchesne*, Les premiers temps de l'état pontifical (754—1073), 2e éd., Paris 1904. Les évêchés d'Italie et l'invasion Lombarde (Ecole française de Rome), Janvier 1903. *Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, Tom. II, Leipzig 1904. *Jungmann*, Dissertationes XIV et XV, Tom. III, Ratisbonae 1882. *Duchesne*, Le Liber Pontificalis, I—II. *Barry*, The papal monarchy from St. Gregory the Great to Boniface VIII (590—1303), London 1902. *Hubert*, Etude sur la formation des Etats de l'Eglise (726—757), Nogent-le-Rotrou 1899. Extr. de la Rev. hist. *J. Haller*, Die Quellen zur Geschichte der Entstehung des Kirchenstaates, Leipzig-Berlin 1907.

1⁰. Ostro-Gothorum regnum dirutum est anno 555 a Byzantinis. Roma et Italia valde gaudebant, tranquillitatem nacti sub auspiciis Justiniani[1]). Quod tamen gaudium diuturnum non fuit. Jam anno 569 in Italiam invaserunt Longobardi. Praeterea censum gravissimum extorquebant Byzantini, qui tamen pro solutis nummis non reddebant sufficiens auxilium Italis contra Alboinum ceterosque Longobardorum duces. **Joanne VI** Pontifice (701—705), Gisulphus depopulatus est Campaniam Romanam, captivos abduxit multos, ita ut Papa *Apostolicis donariis*[2]) coactus fuerit pacem captivosque redimere. **Joannes VII** (705—707) recepit quidem abrepta patrimonia, quae ad oras Genuenses sita erant; tamen angustus manebat rerum status. In dies magis magisque Romam cingebant Longobardi, ita ut **Sisinnius** papa (708) coeperit moenia civitatis reparare. Byzantini imperatores opem non ferebant, imo vero vexabant Pontifices caesaropapisticis postulatis. Exigebat Justinianus II a **Constantino I** papa (708—715), ut Trullanos canones[3]) approbaret, et a **Gregorio II** (715—731) petebat Leo Isauricus, ut iconoclasmo consentiret. Recusavit uterque Pontifex[4]).

[1]) *Duchesne*, Le Liber Pontificalis, I, 305: „erat enim tota Italia gaudens".
[2]) Ibd., 383.
[3]) *Jaffé*, Ed. 2a, p. 248.
[4]) *Jaffé*, No. 2180—2182.

Interficere Gregorium conati sunt Byzantini miseruntque copias, quarum obsidione Luitprandus, Longobardorum rex, Romam exemit. Restitit quoque Leoni Isaurico ejusque inimicitiam pertulit **Gregorius III** (731—741). Longobardi interea in Romanorum terras invaserunt (739) urbesque expugnarunt, quas frustra Papa a Luitprando repetiit.

2⁰. Atque ita ab utraque parte, a Longobardis et Byzantinis, pressus, legatos ad Carolum Martellum, Austrasiae ducem, misit Gregorius III. Venerabundus eos admisit Carolus, opem vero non tulit. Frustra bis et tertio[1]) iteravit Papa petitionem. Noluit Carolus amicitiam Luitprando renuntiare. Defuncto Gregorio successit **Zacharias** (741—752). Is auctoritate sua continuit Luitprandum et, qui ei defuncto 744 successit, Ratchin (744—749). Angustior iterum evasit rerum status, quum factus est rex Longobardorum Aistulph.

3⁰. Res interea evenerat, quae quum pro Romana Sede tum pro Francis magni futura erat momenti. Diu jam reges Merovingici, regio titulo sibi retento, omnem regendi potestatem reliquerant Austrasiae ducibus, qui quasi haereditario jure officio majordomi in aula fungebantur. Fungente Majordomo Pipino Brevi (741—768), Francorum nobiles anno 751 decreverunt, loco Chilperici III, regem creare Pipinum. S. Dionysii abbatem et Virceburgensem episcopum legatos miserunt ad Zachariam papam: „*interrogando de regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regalem potestatem, si bene fuisset an non. Et Zacharias Papa mandavit Pipino, ut melius esset, illum regem vocari, qui potestatem haberet, quam illum qui sine regali potestate manebat; ut non conturbaretur ordo, per auctoritatem apostolicam jussit Pipinum regem fieri*"[2]). Consentiente Papa factus est rex Pipinus (751)[3]), qui haud diu post occasionem nactus, Papae gratum animum ostendit.

4⁰. Capta Ravenna, Aistulphus anno 752 arma admovit Romae. Defuncto Zacharia, Stephanus electus est, cui post dies

---

[1]) *Jaffé*, No. 2249, 2250, 2252.

[2]) Annales Laurissenses ad ann 749. Mon. Germ., Script., I, 136. cf. *Einh.* Annal., p. 137.

[3]) Quid de facto judicandum vide apud *Georg Waitz*, Deutsche Verfassungsgeschichte, p. 55 sq. *Jungmann*, Dissert., Tom. III, 113.

tres defuncto[1]) successit **Stephanus II** (752—757). Is frustra conatus Aistulphi regis animum precibus lenire[2]), hieme anni 752—753 agere coepit cum Pipino, qui libenter precibus indulsit. Convenit inter eos ut Stephanus in Galliam proficisceretur[3]). Terras de exarchatu Ravennatensi a Longobardis abreptas pro imperatore repetiturus, per Papiam iter fecit, quae erat Aistulpho regni sedes; precibus rejectis, inde in Galliam profectus, in aulam Pontigonis (in Campania) advenit 6 Jan. 754. Veste lugubri indutus petiit auxilium a Pipino. Promisit Pipinus. Tum Papa apud S. Dionysium Pipinum ejusque filios unxit eosque appellavit *patricios Romanorum*[4]). Ter frustra legatos ad Aistulphum misit Pipinus. Tum (1 Mart. et 14 April) Brennaci et Carisiaci bellum cum Longobardis decretum est[5]). Aistulphus, Papiae obsidione pressus, cum juramento promisit se omnia redditurum; at postea fidem fregit, exercitumque suum fere ad moenia Romana movit. Quare Pipinus, acceptis iterum a Papa legatis[6]), atque Alpibus cum exercitu superatis Aistulphum, proelio victum, Papiae obsidione cinxit. Tum legati Byzantini conati sunt Pipinum, quominus ultra procederet, impedire postularuntque, ut expugnatas jam urbes „*imperiali cederet ditioni*". Denegavit Pipinus et juratus declaravit se non nisi in gratiam S. Petri et in peccatorum suorum remissionem bellum suscepisse, nec pro quoquam auri pretio factam S. Petro donationem revocaturum[7]). Fuldrado Pipinus mandavit ut Stephanum collocaret in possessione expugnatarum urbium. Quo facto Romam profectus, urbium earum claves deposuit in *Confessione Petri* cum documento, quo scriptum erat, eas urbes dono datas S. Petro ejusque successoribus. Documentum deperditum est, at urbium index, servatus in *Vita Stephani II*, continet Ravennam cum civitatibus

[1]) *Duchesne*, Lib. Pont., I, p. 440 et 456 in annot. 3. Hic papa in catalogis Summorum Pontificum vulgo non recensetur.

[2]) *Jaffé*, I, 271.

[3]) *Jaffé*, No. 2311.

[4]) *Mansi*, Tom. XII, p. 537, narrationem dat unctionis.

[5]) Non unanimi voce. De eo quod factum est Carisiaci cf. *Schnürer-Ulivi*, Das Fragmentum Fantuzzianum, neu-herausgegeben und kritisch untersucht. Ein Beitrag zur Geschichte der Entstehung des Kirchenstaates Freiburg. Hist. Studien, III, 1906.

[6]) *Jaffé*, No. 2325, 2326, 2327.

[7]) Liber Pontif., I, 452 sq.

21 [1]). Inde ab hoc anno 756, facta celeberrima **donatione Pipini,** erat dominium temporale S. Sedis.

5⁰. Eodem anno obiit Aistulphus. Certatum de regno inter Ratchin, qui antea rex fratri suo Aistulpho regnum dediderat, ut fieret monachus in Monte Cassino, et Desiderium, Etruriae ducem. Qui, cum Stephano papa agens, coram Fuldrado subscripsit promissioni se urbes Faventiam, Imolam, Ferraram, Anconam, Auximum, Umanam et Bononiam redditurum, atque ita Romanorum auxilium sibi comparavit. Stephanus II, scribens ad Pipinum, gratiis actis de collata prius ope, petiit ut urgeret factae a Desiderio promissionis solutionem [2]). Desiderius autem, Longobardorum creatus rex (757—774), partim tantum promissis stetit. Stephano successit **Paulus I** (757—767), qui perfidiam regis vehementer expertus est. Timendum insuper ei fuit ne Graeci cum Longobardis consociarentur atque inconoclasia in Galliam transferretur. Paulo I anno 767 defuncto, machinantibus tum duce Nepitano tum rege Longobardorum, antipapae duo constituti sunt Constantius II (767—768) et Philippus (768). Gravibus commotis turbis, Romani tandem **Stephanum III** (768—772) elegerunt. Is Carolo et Carlomanno, qui Pipino anno 768 successerant, se commendavit [3]). Valde angusta tum facta est Papae conditio, quum Carolus anno 770 Desideratam Desiderii filiam duxerat. At diuturna non fuit Gallorum regis cum rege Longobardorum sociata amicitia. Jam enim anno 771 Desideratam ad patrem suum remisit Carolus [4]).

6⁰. **Hadrianus I** (772—795), vir sapiens et fortis, finem imposuit potestati, qua Desiderius usus fuerat Romae. Quod moleste ferens Desiderius terram Romanam invasit urbesque Ferraram, Comaclium et Faventiam occupavit, Ravennaeque obsidionem minitatus est. At Carolus Magnus, inde ab anno 771 solus regno potitus, bis frustra a Desiderio postulavit ut occupatas urbes redderet. Quo facto, Carolus coacto exercitu regnum Longobardorum expugnavit, excepta urbe

---

[1]) Ibd., I, 454.

[2]) *Jaffé*, No. 2335.

[3]) Ibd., No. 2380.

[4]) Quare sit repudiata vide *Hergenröther-Kirsch*, Kirchengeschichte, Freiburg 1904, p. 71 sq.

Papia, in qua incluserat se Desiderius, festaque Paschalia 774 Romae celebravit. Feria 4 post Pascha (6 Aprili) *donatio Pipini* confirmata est et aucta civitatibus Imola, Bononia, Ferrara, Comaclio et Faventia. Quae tamen ditioni papali subjectae non sunt nisi quum, paulo post tempore, Carolus, expugnata Papia, Longobardorum regnum diruisset[1]. Reliquam donationis ordinationem exsecutus est Carolus, quum annis 781 et 787 Romae morabatur. Dici potest *ducatum Romanum* iisdem terminis conscriptum mansisse usque ad saeculum XIX. Praeter hanc propriam possessionem Papa insuper principatum agebat in *Exarchatum*, *Pentapolim*, *Ameliam*, *Tudertum* et *Perugiam*. Quae donationes omnes postea Ludovicus pius confirmavit.

---

§ 62. **Redintegratio imperii occidentis.**

Le Liber Pontif., Tom. II, p. 1 sq. *Einhard*, Annales, Mon. Germ., Script., I, 135—218. *Einhard*, Vita Caroli Magni, Ibd., II, 426—463. *Döllinger*, Das Kaiserthum Karls des Grossen und seiner Nachfolger, München 1864. *Duchesne*, Les premiers temps de l'état pontifical, 2e éd., Paris 1904, p. 171 sq. *Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, II Bd. *Jungmann*, Dissert., Tom. III, Diss. XV. *G. Waitz*, Deutsche Verfassungsgeschichte, 1 Aufl., III, p. 174—188. *Wells*, The age of Charlemagne, London 1898. *W. Ohr*, Die Kaiserkrönung Karls des Grossen, Tübingen 1904. *Birot*, Le saint empire, Paris 1903. Revue des quest. hist., Avril 1904. *J. Bryce*, Le saint empire germanique, Paris 1890. *Kleinclausz*, L'empire carolingien; ses origines et ses transformations, Paris 1902. *Fustel de Coulanges*, Les transformations de la royauté carolingienne, Paris 1892. *Hauréau*, Charlemagne et sa cour, 3e éd., Paris 1868.

1°. Hadriano I mortuo, quem Carolus Magnus amicum lugebat, successit **Leo III** (795—816). Is clavos *confessionis* et *vexillum Romanum* ad Carolum misit, signa tutelae sepulchri S. Petri et dominii S. Sedis, petiitque ut magistratum Francum mitteret, quo praesente populus Romanus jusjurandum iteraret[2]. Quam autem firma esset Papae regisque amicitia post breve tempus apparuit Caroli interposito auxilio in tristissimo Leonis casu, qui ansam quoque praebuit **redinte-**

---

[1]) De vitae Hadriani cap. 41—43 significatu vide Le Lib. Pontif. I, CCLXII; et Les premiers temps de l'état pontifical, p. 146 sq.

[2]) *Jaffé*, No. 2492.

grandi imperii occidentis. Etenim Hadriani I propinqui Leonem III, processionem S. Marci agentem, agressi asperrime tractaverunt. Qui a duce Spoletano liberatus, aufugit trans Alpes Paderbornam, ubi tum Carolus degebat. Hic Vicarium Christi reverenter receptum honorifico fortique comitatu Romam reducendum curavit. Coacta ibidem synodo, episcopi ad horrendas accusationes in Leonem responderunt, sibi non licere judicium ferre de Papa. Tum Leo purgavit se coram populo et Carolo, qui nuper advenerat, juratusque dixit se illorum criminum nullius sibi conscium esse[1]). Actum hoc est sessione 23 Dec. 800.

2°. Tertio post die, Natalitiis Domini sacro, convenerunt in S. Petri ecclesiam Leo et Carolus cum populo Romano et Francorum. Postquam genuflexus ante *confessionem Petri* preces fuderat rex, Papa pretiosam coronam capiti ejus imposuit, quo facto exsultans populus clamavit: *Carolo piissimo Augusto, a Deo coronato, magno pacifico imperatori vita et victoria!* Dein *Laudes*[2]) imperiales cantabantur ad finem usque, dum Leo Carolum juniorem, stantem ad latus imperatoris, ungeret imperii haeredem.

3°. Ita post annos 324 imperium occidentis redintegratum est: Carolus Magnus factus est *Imperator*[3]) Romanus. Ad tempus hoc eventu in occidente mutabatur appellatio tantum et officiorum ritus, rerum publicarum interna administratione apud Francos et Longobardos eadem atque antea manente. At positum fundamentum est totius inter Papam et imperatorem, tempore medii aevi, relationis. Imperatoris appellatio sensu proprio non carebat. Historia, traditione, jure quoque scripto, quid significaret, terminis accurate erat circumscriptum. Potestate, qua antea imperatores dominabantur Romae, ita ut incolas omnes, Papam quoque suos subditos jure vocarint, jam fuerat cessum instituendo dominio papali. Hinc solius Papae fuit donare nomen et potestatem imperatoris; hinc quoque ex omnium sententia

---

[1]) *Duchesne*, Le Lib. Pontif., II, p. 4—7.

[2]) De *litaniis Carolinis*, quae videntur jam fuisse usurpatae annis 774, 781 et 787, vide *P. Alberdingk Thijm*, Karel de Groote, Amsterdam 1867; Bijlagen, p. 530 sq. *Jules Roy*, La France chrétienne dans l'histoire, Paris 1896, p. 77 sq.

[3]) De Caroli molestia, relata ab Eginhardo (Vita Caroli Magni, Mon. Germ. Script. II, 458) vide *Duchesne*, Les premiers temps, p. 158. *Jungmann*, Diss. III, 173 sq.

solus ille rex, qui a Papa unctus, hac imperatoria dignitate ornabatur. Noluit ullo modo Papa, redintegrando proprio suo arbitrio occidentis imperio sibi successoribusque suis imponere gubernatorem. In suo dominio, sicut reliqui principes omnes, nullius imperio subjectus manebat Papa.

4°. E Leonis mente imperatori demandata est suprema Ecclesiae, praesertim Romanae, tutela. Ipsius dein fuit principatus prae omnibus principibus christianis, idque eo fine ut Ecclesiam et christianam societatem universam tutaret. Carolo, cui prius jam, *patricio Romanorum*, Ecclesia Romana tutanda commendata fuit, tunc imperatori idem obsequium praestandum christianitati universae est impositum. Quum autem Ecclesia in universum orbem esset dilatanda, consequens fuit ut imperatoria dignitas aliqua quoque universitate potestatis gauderet, qua uti solum liceret ad propagandam Ecclesiam apud ethnicos, ejusque incolumitatem in universo orbe terrarum promovendam.

Imperatori, Romanae Ecclesiae patrono, Romae aliquantula fuit jurisdictio, quam exercebat per suos legatos. Quamobrem Romani tum imperatori tum Papae fidem jurabant: Papae ut regi, imperatori ut patrono et *advocato Romanorum*. Sicuti prae reliquis principibus, ita etiam prae Papa, tanquam principe terreno, aliquo principatu gaudebat imperator. In quo agnoscendo servandoque ceteris principibus Pontifices exemplo fuerunt. Nummi Romani et litterarum monumenta imperatoris nomine inscribebantur. Papa et imperator inter se opem praebebant; alter ab altero pendebat. Quae mutua dependentia inde patebat quod jusjurandum obsequii et venerationis mutuo dabant recipiebantque. Dabat Papa imperatoriam dignitatem regi, qui recenter electum Pontificem probabat antequam consecraretur. Mutuo sibi adorationis obsequium praestabant, quod tamen postea exoletum est.

5°. Quae quidem omnia mox **in usum** venerunt. Ludovicus pius (814—840) a Stephano IV coronatus est. Quam majores pontifici donationem fecerant, imperator denuo comprobavit, iisdemque litteris[1]) significabatur imperatorem esse Ecclesiae patronum, liberam relinqui Papae electionem, eamque

---

[1]) Privilegium Ludovici, Baronius a. ann. 817, No. 10. De hujus genuitate vide *Duchesne*, Les premiers temps de l'état pontifical, 2e éd., Paris 1904, p. 190 sq.

post consecrationem esse promulgandam. Paschalis jam anno 823 coronam imposuit Lothario I (840—855), qui anno 824 constitutionem edidit, qua Papae auctoritas simul tutabatur ac restringebatur[1]. Ludovicus II (855—875), Lotharii filius, a Leone IV[2]) coronam accepit. Anno 875 e duobus de imperio ambigentibus Carolum Calvum († 877) elegit Joannes VIII coronavitque. Cum Carolo Crasso (876—887) nata est aetas imperatorum impotentium. Ottone Magno (936—973) ad imperium accedente, nova est aetas exorta. Hic anno 962 coronam recepit a Joanne XII comfirmavitque Caroli Magni donationes. Ab eo inde tempore imperii dignitas ad Germaniae reges est translata, dummodo constituti reges Romani coronarentur a Pontificibus.

---

§ 63. Papae imperantibus regibus Carolingicis.

Duchesne, Le Lib. Pont., Tom. II. *Jaffé*, Ed. 2a, Tom. I. *Luitprandi* Historia rerum gestarum ab Europae imperatoribus et regibus, *Pertz*, Mon. Germ., Script., Tom. V. *Duchesne*, Les premiers temps de l'état pontifical, 2e éd., Paris 1904. *Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, 2 Bd., p. 435—516. *Gregorovius*, Geschichte der Stadt Rom, 4 Aufl., Tom. III, Stuttgart 1890. *Hefele*, Conciliengeschichte, IV. *Jungmann*, Dissert., Tom. III—IV. *Döllinger*, Die Papstfabeln des Mittelalters, 2 Aufl., Stuttgart 1890. *Lapôtre* S. J., l'Europe et le S. Siège à l'époque Carolingienne, I: Le Pape Jean VIII, Paris 1895. *Gay*, L'Italie méridionale et l'empire byzantin (867—1071), Paris 1904. *L. Halphen*, Etudes sur l'administration de Rome au moyen âge (751—1252), Paris 1907.

1⁰. Redintegrato imperio occidentali, Leo III quantum potuit arctius se Carolo Magno adjunxit. Qui quidem hac data fide eximie fuit dignus factusque est praeclarus occidentis christianus reformator. Praesidium praecipuum quaerendum sibi existimavit a clero. Concordabant illustria Capitularia cum jure ecclesiastico. Ita voluit rebus externis promovendis incumbi, ut spiritualibus necessitatibus non noceretur. Quae emendandi causa decreverant synodi e. c. Arelatensis, Rhemensis, Turonensis, Cabillonensis et Moguntiaca (813), eadem pro lege valere

---

[1]) Mon. Germ., Leges, IV, p. 545.

[2]) Ludovicus II explicavit dignitatem imperatoris occidentis in epistola sua ad Basilium I, anno 871. Cf. Baronius ad hunc annum, No. 51 sq.

statuit[1]). Ut varios sibi populos gentesque obligaret, quantum potuit ab abrogandis eorum legibus usibusque abstinuit, atque ita ex eorum ipsorum indole res administrandas curavit. Voluit vigere in imperio jus et justitiam. Quamobrem noluit ullum magistratum sine apposito custode relinqui. A majoribus instituti *missi dominici* Caroli Magni aetate uberes procurarunt fructus. Imprimis autem populos egere existimabat Carolus scientiarum artiumque cultu. Quare non solum studiis incubuit ipse doctissimosque viros ad aulam sibi accivit, sed etiam quovis loco instruendis erudiendisque populis scholas instituit[2]). Juvenibus clericis mandatum est ut cantui ecclesiastico addiscendo exercendendoque incumberent. Ipse Carolus delectabatur valde religiosis ecclesiasticisque solemniis; studebat quoque verbo et exemplo alios, praesertim clericos, ad eadem amanda adigere. Valuit ita Carolus, fortiter ac religiose gubernando, populos ad christianam humanitatem erudire, leges emendare, seditiosas gentium tribus subigere, atque ordinis et securitatis quietem immenso imperio procurare. Fuit non solum omnibus, quae praeclarum principem ornant, qualitatibus praeditus, verum etiam in vita privata labori deditus, temperans, comis, benignus et valde pius. Quodsi vix aut ne vix quidem omni culpa caruisse caedes Verdensis (782) censeri potest, difficilius etiam Caroli vita conjugalis disculpari posse videtur. Eum repudiasse Desideratam aut aliam priorem uxorem in comperto est. Utrum reliquae octo mulieres conjuges legitimae fuisse censendae sint, difficile dictu manet. Potest excusationis causa referri, neque omnes synodos locales severam nuptiarum disciplinam continuisse[3]). Piissime mortuus est Carolus 28 Jan. 814, annos natus 72. Paschalis III antipapa eum in sanctorum catalogum retulit, urgente Frederico Barbarossa. Quam canonisationem Ecclesia non probavit quidem, permisit tamen; permittit nostris quoque temporibus ut Aquisgrani et in aliis locis

---

[1]) *Bartelli*, La polizia ecclesiastica nella legislazione carolingica, Roma 1899. *Dubois*, De conciliis et theologicis disputationibus apud Francos Carolo M. regnante, Alençon 1902.

[2]) *Maître*, Les écoles épiscopales et monastiques de l'occident depuis Charlemagne jusqu'à Philippe-Auguste, Paris 1866.

[3]) Synodus Vermeriae (753); Synodus Compendii (757), cf. *Jungmann*, Dissert., Tom. III, p. 196—198.

tanquam beatus in veneratione habeatur[1]). Qui cum magno imperatore tantopere conspiraverat, Leo III, vita functus est duobus post annis, 816.

Post constitutum autem dominium papale, quum non amplius esset Papa solum Summus Pontifex, sed etiam rex temporalis, nobilium Romanorum commota est ambitio et avaritia. Multo acrius quam antea sedes Romana in desiderio amplissimarum familiarum esse coepit. Quam parum quis ad Pontificiam dignitatem esset idoneus, saepius minore consideratione dignum habebatur, dummodo unus e familia corona ornaretur. Quod quidem nondum adeo ad lucem prodiit dum Romae principes Carolingici auctoritate potiebantur nobilesque compescebant. Vere magni Pontifices saeculo illo nono Romae gubernarunt. **Stephanus IV** (816—817) perbreve tempus regnavit. Romanos fecit jurare fidem imperatori Rhemisque coronavit Ludovicum pium corona pretiosa, quam ipse asportaverat[2]). **Paschalis I** (817—824) iteravit amicitiam cum Ludovico, et fortiter regni gubernacula tenuit, prohibere tamen non valuit quominus Lotharius auctoritatem pontificiam restringeret. Hic Papa valde studuit monasteriis ecclesiisque restaurandis, quae ditabat reliquiis quae e catacumbis desumpserat. Quo mortuo, contentione facta vicerunt partes imperatoriae et **Eugenius II** (824—827) electus est. Tum Lotharius noluit in posterum Papae eligendo populum interesse[3]). Magnam anno 826 Eugenius coegit synodum, quae edidit canones 38, reformationem variam spectantes[4]). **Valentinus** (827) tantum dies 40 regnavit. Cui successit **Gregorius IV** (827—844), cujus electio juxta *Constitutiones* anni 825 per legatum Lotharii examinata et probata est ante quam Papa consecraretur[5]). Multas aerumnas sustulit ex litibus Ludovici pii cum filiis suis. Is anno 817 regnum distribuerat tribus filiis suis, Lothario, Pipino et Ludovico[6]), at postea factam

---

[1]) *Walch*, Hist. Canonisationis Caroli Magni, Jenae 1750. *Benedictus XIV* (De serv. Dei beatif. etc. lib. I, c. 9, No. 4) aequum esse censuit, ut Carolus non quidem „Sanctus" sed tamen „beatus" honoretur, eo quod cultus non ignotus Pontificibus et ab iis toleratus adeo diuturnus fuit.

[2]) Vita Ludovici, Mon. Germ., Script., Tom. I—II.

[3]) Constitutiones et juramentum Romanorum apud *Pertz*, Mon. Germ., Leg. I, 239 sq. Non tamen sine causa dubitatur an juramentum hoc genuinum sit.

[4]) *Hefele*, IV, 48—50.

[5]) Acta St. Nov., Tom. II, p. XXXII; et Mon. Germ., Script., I, 216.

[6]) Divisio imperii, Mon. Germ., Leges, I, 198 sq.

dispositionem mutare cogitabat ut Carolo Calvo, anno 823 ex altera uxore nato, sua quoque pars regni esset. Quod indignissime ferentes tres filii in patrem insurrexerunt. Intercedentibus dietis Neomagensi (830) et Compendiana (833) nonnihil sedatum certamen, exarsit in apertum bellum filiorum adversus patrem. Tum Gregorius IV ipse in Germaniam profectus est. At obtinere felicem successum non potuit eo quod cum Lothario iter faciens, ad hujus partes stare videretur[1]). Pauco tamen tempore ante mortem vidit pacem restitutam regnumque inter tres filios dispertitum.

In electione **Sergii II** (844—847) commotio multa facta est, ita ut Joannes (844) antipapa palatium Lateranense occuparit. Tum Ludovicus, Lombardiae rex, nulla interposita mora Romam venit. Fortiter agens Sergius eum ad S° Petri admittere noluit antequam sciret eum animo pacifico venisse, eique ut Lombardiae regi jusjurandum fidei praestare renuit. Sergio regnante, Saraceni *S. Petri* et *S. Pauli* ecclesias, tum temporis extra muros sitas, diripuerunt. Quibus angustis rebus defunctus est Sergius, quique ei successit, **Leo IV** (847—855), electus consecratusque est imperatore non interveniente. Reparavit munimenta urbis, et Vaticanam partem moeniis turribusque circumcinxit, factusque adeo est fundator illius civitatis partis, cui nomen est Urbs Leonina. Anno 850 Leo Ludovicum II imperatorem coronavit. Annis 850 et 853 cum uberrimo fructu habitis synodis, functus regimine forti et salutari e vita decessit.

2⁰. Inter Leonem IV ejusque successorem nota fabella ponit **Joannam papissam.** Narrat enim, Agnetem quandam aut Gilbertam, Moguntiae aut in Anglia natam, virili veste indutam, Atheniensium universitate frequentata, Romae magistram fuisse ac tandem ad sedem **S. Petri** occupandam pervenisse; at occasione processionis solemnis puerperae doloribus oppressam interiisse. E sermunculis popularibus susceptam narrationem primus scriptis notavit Jean de Mailly, anno circiter 1240—1250)[2]). Dein transiit in chronicum Stephani de Bourbon († 1261)[3]), inde in chronicum frequenti usu

[1]) Litterarum commercium inter episcopos imperatori faventes et papam, apud *Mansi*, XIV, 519. *I. Heyer*, de intestinis sub Ludovico Pio ejusque filiis in Francorum regno certaminibus, Monasterii 1858.

[2]) Archiv für ältere deutsche Gesch., XII, 17 sq. 469 sq.

[3]) *Echard*, S. Thomae Summa suo auctori vindicata, Paris 1708, p. 568.

celebratum Martini Poloni. Ad finem saeculi XIII Maerlantus noster adhuc dubitabat an esset vera narratio, eo quod in multis chronicis desideraretur[1]). Pauco tempore post vere factum universe existimabatur. Siennae in honorem Johannae papissae imago est erecta ac S. Antoninus († 1459) tractavit de quaestione, utrum ejus consecrationes fuerint validae. Qui primus movit dubium fuit Pius II (1458—1464) Papa, vir doctus, dein Platina. Panvinius († 1568) fabellam rejecit. At Centuriatores Magdeburgenses eam iterum suscitaverunt[2]). Hodie etiam inveniuntur, qui narrationem veram putent. Esse autem fabellam patet ex eo, quod Leone IV defuncto 17 Julio 855, ejusdem anni 7 Octobri ejus successor Benedictus III documentum subscripsit pro abbatia Corbejensi. Non est ergo spatium pro regnante papissa duos annos et dimidium[3]). Dein adest nummus romanus praebens imagines Benedicti III et Lotharii I. Quum autem Lotharius obierit 17 Septembri 855, in comperto est Benedictum tum jam fuisse electum. Tandem homo aliquis, missus ab Hincmaro Rhemensi, in itinere nuntium accepit de morte Leonis IV, at Romam veniens Benedictum jam regnantem invenit[4]).

Quae cum ita sint, opus non est addere nullum ejusdem aetatis scriptorem aliquid notasse de papissa. Post trecentos demum annos prima ejus mentio habetur. Quomodo autem fabella orta sit, varii varie exponunt[5]).

3⁰. **Benedictus III** (855—858), a clero electus, rejectus est a legatis imperatoris. Persistente autem clero, victas debuerunt legati dare manus et Anastasius antipapa semotus est. Benedicto successit **Nicolaus I** (858—867)[6]), cujus electioni

---

[1]) Spieghel Historiael, Ed. de Vries en Verwijs, Leiden 1863, III, 220.

[2]) In Hollandia fabellam rejecerunt *Blondel* (1647) et Delprat (1826) contra quem scripsit *Kist*; hunc praeclare refutavit *Wensing*. Litteraturam vide apud *Ch. Sepp*, Bibliotheek van Nederlandsche Kerkgeschiedenis, Leiden 1886, p. 114—116.

[3]) *Jaffé*, No. 2663.

[4]) Ep. 36 ad Nicol. I.

[5]) Vide praesertim *Döllinger*, Papstfabeln, p. 32 sq. *E. Roidis*, Päpstin Joanna, Eine Studie aus dem Mittelalter. Aus dem neu-Griechischen von P. Friedrich, Leipzig 1904. *A. Lapôtre*, l'Europe et le Saint-Siège à l'époque Carolingienne, I. Le pape Jean VIII, p. 359 sq.

[6]) *J. Richterich*, Papst Nicolaus I. Eine Monographie, Bern 1903. *Jules Roy*, Saint Nicolas I, 2e éd., Paris 1899.

interfuit Lotharius II imperator. Fuit unus e praeclarissimis sanctissimisque pontificibus, cujus gubernatio jure merito celebratur. Joannem archiepiscopum Ravennatensem, provinciam suam ecclesiasticam injustis tributis vexantem, canonicam episcoporum electionem eorumque cum Roma litterarum commercium impedientem, compulit ut officium suum rite praestaret. Adversus Hincmarum Rhemensem propugnavit libertatem appellationis ad sedem Romanam. Notum demum est quam fortiter restiterit Lothario II regi, qui uxorem suam Theutbergam repudiarat, ut concubinam Waldradam duceret. Accusabatur Theutberga crimine incestus cum fratre suo, quod scelus ex jure Francorum nuptias invalidas reddebat. Duarum synodorum, quae, Gunthero Coloniensi et Thietgaudo Trevirensi auctoribus, Lotharii causam defenderant, decreta rescidit. Ludovicus II imperator, Lotharii frater, frustra obsidione pressit Papam in Vaticano. Lotharius debuit obsequi et Theutbergam recipere. Waldrada autem, ad monasterium aliquod Romanum missa, ex itinere ad Lotharium aufugit. At excommunicatione est perculsa. **Hadrianus II** (867—872) Lotharium, quum juratus declarasset se cum Waldrada inde ab ejus excommunicatione commercium non habuisse, excommunicatione absolvit, ejus tamen connubium cum Theutberga firmum habendum mandavit. Regressus Lotharius, in itinere inopinato decubuit. **Joannes VIII** (872—882) fuit Papa peritissimus [1]), indole firmus. Dirimendum ipsi obvenit, tum primo exortum certamen, uter e duobus candidatis esset imperator decernendus. Mortuo enim Ludovico II, tum Carolus Calvus tum Ludovicus Teutonicus imperatoris dignitatem ambiebant. Papa honorem adjudicavit Carolo, quo tamen jam 877 mortuo anno 881 Carolum Crassum coronavit. Certandum ei fuit non solum adversus Saracenos verum etiam contra eos, quos circum se habebat. Veneno atque fustibus interemptus est. Fuit primus Papa a domesticis suis necatus. Tristissima, quae sequitur, aetate plures eundem vitae exitum sortiti sunt.

4⁰. Brevi suo regno magnam Romae commotionem sustinuerunt **Marinus I** (882—884), **Hadrianus III** (884—885) et

---

[1]) *Lapôtre*, L'Europe et le S. Siège à l'epoque carolingienne. Le pape Jean VIII, Paris 1895. *Balan*, Il Pontificato di Giovanni VIII, Roma 1880.

Stephanus V (885—891). Deerat Ecclesiae patronus, Regnum Carolingicum, demoto Carolo Crasso (887), dilapsum est: Germaniae imperabat Arnulphus Carinthiacus, Franciae ultimi Carolingi. In Italia de regno certabant Berengarius Foro-Juliensis et Guido Spoletanus. Qui ut vicerat, postulavit a Stephano V ut sibi daretur imperii dignitas et paulo tempore post, quum Stephano successisset **Formosus** (891—896) episcopus Portuensis, exegit ut idem honor a Formoso concederetur filio suo Lamberto (892). Quam postulationem Spoletanorum indignissime ferens Formosus, Arnulphum Carinthiacum Romam accivit et verno tempore 892 imperatorem coronavit. Is tamen Spoletanorum factioni impar, Roma exivit. Formosus, quod Arnulphum coronasset, Italicis invisus, frustrato universo suo incepto, post paucum tempus defunctus est. **Bonifatius VI** (896) nonnullos tantum dies regnavit.

5⁰. **Stephanus VI** (896—897) a factione spoletana evectus, animo saevo et implacabili, succensens Arnulpho et Formoso, hujus corpus exhumari et in judicium adduci mandavit; dein consecrationes ejus invalidas declaravit eo quod, prohibentibus id constitutionibus ecclesiasticis [1]), a sede Portuensi ad Romanam transisset [2]). Quod factum quum morte luisset Stephanus, successit **Romanus** (897) et post menses quatuor **Theodorus II** (897) qui Formosi consecrationibus iterum validis declaratis, post dies viginti obiit. Sergio dein non legitime electo Lambertus imperator **Joannem IV** (898—1900) eligendum curavit. Qui praestans fuit Papa, conatus vulneribus imperii mederi et praecipue electionem Papae tutari [3]) atque iterum Formosi damnationem invalidam, validas ejus consecrationes declaravit [4]). **Benedictus IV** (900—903) Ludovicum Provincialem (901) coronavit, sed auxilium ab eo nactus non est. **Leo V** (903) et **Christophorus** (903—904) necati sunt.

---

[1]) Conc. Nic. can. 15.

[2]) Acta hujus synodi Romanae apud *Mansi*, XVIII, 222 sq.

[3]) *Funk*, Abh. und Unters., I, 460—478.

[4]) Synodus anni 898, *Hefele*, IV, 567—569. *Saltet*, Les réordinations, Paris 1907. *Pourrat*, La théologie sacramentaire, Paris 1907.

§ 64. Papae saeculi X.

Liber Pontific., Tom. II. *Luitprandi* Antapodosis, Mon. Germ., Script., III, 246—339. *J. Becker*, Textgeschichte Luitprands von Cremona, München 1908. *Atto Vercellensis*, De pressuris Ecclesiae, Migne, P. L., Tom. 134, 51 sq. *Gregorovius*, Geschichte der Stadt Rom, III Bd. Stuttgart 1890. *A. Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, III Bd., p. 205 sq. *Kobler*, Lichtpunkte im Dunkel des 10 Jahrh., Zeitschr. für kath. Theol., 1877, p. 595 sq. *K. Uhlirz*, Otto II und Otto III, Wien 1902. *Duchesne*, Les premiers temps de l'état pontifical, 2 éd., Paris 1904.

1⁰. Dolendum sane est pro historia Pontificum saeculi X, quae certe ad oblectandos legentium animos minime apta est, fontes primarios vix prostare praeter scripta Luitprandi. Sermo enim ejus intemperans et indignus, exaggerans saepe et certo falsa referens, ad fidem faciendam non satis aptus est. Tristissima tamen fuit Romae rerum conditio. Praepotens nobilitas per annos 50 omne imperium tenuit, Pontifices constituens, demovens aut internecione tollens. Protervae mulieres tres factioni praeerant: Theodora senior, Theophylacti senatoris uxor, ejusque filiae Marozia et Theodora junior. Primus, ejus praesidio usus est **Sergius III** (904—911), qui jam antea tentaverat sedem apostolicam occupare. Is iterum Formosi consecrationes invalidas declaravit. Disciplinam tamen ecclesiasticam tuebatur Sergius, pluribus synodis habitis, et basilicam Lateranensem restauravit. Post **Anastasium III** (911—913) et **Landonem** (913—914) evectus est **Joannes X** (914—928), quem non minus quam Sergium libidinis accusavit Luitprandus. Res in comperto non est. Facilis tamen est defensio Joannis, difficillima Sergii[1]).

Pontificia dignitate dein a Marozia donati sunt **Leo VI** (928—929), **Stephanus VII** (929—931) et filius suus **Joannes XI** (931—935). Imperatricis honorem ambigens nupsit Hugoni Provinciae et Italiae regi, sperans fore ut a filio suo Hugo coronaretur. At pauco post tempore Albericus, Maroziae filius junior, Hugonem expulit, Maroziam in vincula conjecit ac deinceps 20 annos *Senator et princeps omnium Roma-*

---

[1]) *Duchesne*, Le Lib. Pontif., II, 241 et praecipue Les premiers temps de l'état Pontifical, Paris 1904, censet vera esse quae Luitprandus adversus Sergium infert; *Joannes Diaconus* (*Migne*, P. L. Tom. 194, p. 1559) et Flodoardus mitius de hoc papa judicant.

norum Romae imperitavit[1]). Joannes XI, quique ei successerunt, **Leo VII** (936—939), **Stephanus VIII** (939—942), **Marinus II** (942—946) et **Agapitus II** (946—955), ab omni saeculari gubernio omnino exclusi, in administratione spirituali Ecclesiae multas perpessi sunt angustias.

2⁰. Saecularium rerum gubernium iterum cum jurisdictione spirituali conjunxit **Joannes XII** (955—964), Alberici filius, cui antea fuit nomen Octavianus[2]). Duodeviginti annos natus, juvenis iste licentius vivens, spiritualis suae dignitatis majestatem tueri non valuit, atque in omni sua agendi ratione principis saecularis potius, quam Summi Pontificis imaginem praetulit. Altercatione ei exorta cum Berengario II ejusque filio Adelberto, Italiae regibus, Ottonem I (936—973) Romam accivit. Qui anno 961 denuo Alpes transgressus, 2 Febr. 962 cum uxore sua Adelaida a Joanne coronam imperatoris recepit ediditque celeberrimum *Privilegium Ottonis I*[3]), quo jus Pontificium in dominium temporale tutavit juraque, quae imperatoris essent, circumscripsit. Profectus deinde imperator, Berengarii et Adalberti regnum armis diluit. Jungente dein Joanne XII consilia cum imperatoris hostibus, Otto Romam redux coegit synodum, quae gravi et intemperanti sermone prolata accusatione, Joannem demovit, ejusque loco Leonem VIII (963—965) elegit. Neutra pars culpa vacavit. Otto I adeo fortiter tutabat Papam, ut huic parum de potestate saeculari reliquum fuerit[4]). Dein peccaverat imperator cum synodo in eum „qui a nemine judicatur". Quamobrem multum abfuit, ut communis esset omnium cum Ottone consensio.

---

[1]) Mitteilungen des Instituts für Osterreich. Geschichtsforschung, 1902, Tom. XXIII, p. 50—126: Alberich II und der Kirchenstaat.

[2]) Primus papa qui nomen mutavit, fuit Joannes II (533—535), cui antea nomen Mercurio. Dein Joannes XII et Joannes XIV (983—984), eo quod noluit vocari suo nomine Petro. Postea mutarunt nomen Gregorius V (996—999) et Silvester II (1009—1012); at qui successerunt quatuor id non fecerunt. Sergius IV (1009—1012) antea vocabatur Petrus cum adjecto Bucca porca. Ab hoc inde tempore omnes post electionem nomen mutarunt. Cf. *Knöpfler*, Compte rendu du 4 congrès intern. des Cath. Freiburg 1898, Sciences rel., p. 158 sq. Cf. *Eugène Halberg*, S. Mathilde (cujus filius fuit Otto) 4 éd., Paris 1899.

[3]) *Sickel*, Das Priv. Otto des I f. die Röm. Kirche vom Jahre 962, Innsbruck 1883.

[4]) Libellus de imperatoria potestate in urbe Roma, *Pertz*, Script., II, 719 sq.

Vix enim is abierat, quum Joannes XII, Romam redux, cum iisdem fere episcopis, qui eum demoverant, coacta synodo, Leonem VIII semovit, et imperatoris decreta abolevit. At brevi post obiit.

3⁰. Tum Romani elegerunt **Benedictum V** (964). Quod eo molestius Otto tulit, quod, jusjurando a se extorto non steterant, sed quem nolebat Papam elegerant. Iterum Romam profectus pium Benedictum V exsulare fecit Hamburgum suumque antipapam, Leonem VIII, sedi restituit, qui tamen brevi post mortuus est [1]). **Joannes XIII** (965—972), Theodorae junioris filius, designante Ottone I electus, conatus est nobilium seditionem reprimere, sed in vincula conjectus et ab imperatore solutus, die Nativitatis Domini 967 Ottonem II imperatorem coronavit ejusque nuptiis cum Theophano, principe Graeca, benedixit. **Benedictus VI** (973—974) electus est, ipse quoque, ut videtur, ab imperatore designatus. At eodem anno (973) Otto Magnus, qui ex animo consuluerat projectam dignitatem Pontificiam erigere, praematura morte interceptus est. Auctore Crescentio, Theodorae junioris filio, jam anno 874 mota Romae seditione, Benedictus VI castello S. Angeli a Crescentio inclusus est et Bonifatius VII (874) antipapa constitutus. Franco Comes imperatorius, temporum iniquitati impar, prohibere non potuit quominus Benedictus VI in carcere necaretur [2]). Postea tamen, receptis viribus, Bonifatium dejecit, qui Constantinopolim aufugit. Tum est electus **Benedictus VII** (974—983) et Otto II ipse, anno 980, Romam venit, ubi post annum tertium (983) obiit, in extremis adjutus a **Joanne XIV** (983—984). Quo facto statim Bonifacius VII, Constantinopoli Romam redux, Joannem XIV in castellum S. Angeli inclusit, ubi is fame periit. Bonifatius tamen suam poenam luit, a commota plebe interemptus (985) [3]).

4⁰. Crescentio, Bonifatii patrono, jam pauco tempore antea defuncto, ejus filius Crescentius Nomentanus aliquamdiu imperitavit, nomen gerens *Patricii Romanorum*. Per

---

[1]) *Privilegium de investituris*, quod tribuitur Leoni VIII posterioris aetatis est. *Pertz*, Leges, Append., p. 167. Cf. *Hefele*, IV, 620—626.

[2]) Erronee scriptum invenitur Benedicto successisse *Donum II*. Ceteroquin catalogi inter se differunt eo quod aliqui supputant etiam antipapas, alii omittunt.

[3]) *Floss*, Die Papstwahl unter den Ottonen, Freiburg 1858.

eum **Joannes XV** (985—996) ad sedem Pontificum evectus est. Anno 989 Theophano imperatrix venit Romam omnemque cum Crescentio Nomentano auctoritatem usurpavit, ita ut Papa, potestate saeculari destitutus, orta contentione cum imperioso Crescentio, Ottonis III opem efflagitaverit. At paulo post mortuus est. Intercedente Ottone III electus tum est Bruno, ducis Carinthiae filius, viginti tres annos natus, qui sibi nomen dedit **Gregorio V** (996—999). Ottone profecto, Crescentius Nomentanus Joannem XVI (997—998) antipapam constituit. At Otto, cito redux, antipapam dejecit et Crescentium morte mulctavit. Gregorio V successit **Silvester II** (999—1003), imperatoris praeceptor, vir suae aetatis doctissimus[1]). Neque is sibi videbatur esse tutus inter Romanos, quare iterato apud imperatorem flagitando institit, ut is Romae vellet manere. Otto pius anno 1002 obiit, anno insequenti Silvester.

---

§ 65. Papae saeculi XI usque ad Gregorium VII.

Will, Die Anfänge der Restauration der Kirche im 11 Jahrhundert, Marburg 1859—1860. *Duchesne*, Les premiers temps de l'état pontifical 2e éd., Paris 1904. *Zöpfel*, Die Papstwahlen vom 11—14 Jahrhundert, Göttingen 1872. Jahrbücher der Deutschen Geschichte, Heinrich II (Hirsch-Breslau), 3 Bde, Leipzig 1879. Konrad II, 2 Bde, Leipzig 1879—1884. Heinrich III, 2 Bde, Leipzig 1874—1881 (Steindorff). *Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, III Bde, 1896, p. 516—623; 665 sq. *H. Günter*, Kaiser Heinrich II, der Heilige, Kempten-München 1904.

1°. Defuncto Ottone III, omnem potestatem sibi usurpavit Joannes Crescentius imperitavitque tribus sequentibus Papis, **Joanni XVII** (1003), **Joanni XVIII** (1003—1009) et **Sergio IV** (1009—1012). Qui ultimus quum eligeretur, potentiam suam jam interposuerunt comites Tusculani, qui, mortuo Crescentio, tres e sua familia viros ad summum Pontificatum

---

[1]) *Döllinger*, Papstfabeln, p. 184—188. Scripta Silvestri apud *Migne*, P. L., Tom. 139, p. 85 sq. *Picavet*, Gerbert, un pape philosophe, Paris 1897. *Lux*, Papst Silvesters II Einfluss auf die Politik Kaiser Ottos III, Breslau 1898. *U. Chevalier*, Gerbert, le premier pape français in La France chrétienne dans l'histoire, Paris 1896. B. Carrara S. J. L'opera scientifica di Gerberto o Papa Silvestro II, novellemente discussa ed illustrata, Roma 1908.

evexerunt. Quorum primus **Benedictus VIII** (1012—1024) competitorem habuit Gregorium (1012), cui opitulabantur qui e factione Crescentiorum supererant. Uterque Papa provocavit ad Henricum II (1002—1024), qui Benedictum probavit et anno 1014 cum Cunigunda, uxore sua, Romae a Benedicto est imperator coronatus [1]. Fortiter hic Papa egit adversus simoniae et violati caelibatus [2] crimina et contra Saracenos in Italia Meridionali. Obiit pontifex Februario 1024, ejusdem autem anni mense Julio imperator [3]. Romanus, Benedicti frater, eo vivo *Senator omnium Romanorum*, in fratris mortui locum seipsum supposuit, sumpsitque nomen **Joannes XIX** (1024—1032). Magnum fuit ejus cum fratris sentiendi ratione discrimen, ita ut quae sibi Benedictus reformanda proposuerat, non sit exsecutus Joannes. Praecipuus hujus regni eventus fuit Conradi II coronatio (1027). Tertius e Tusculana familia Papa fuit **Benedictus IX** [4] (1032—1044), priorum patruelis, puer duodennis. Cujus regimen moresque dissoluti Joannem XII in memoriam revocant. Romanis minime accepto favebat Conradus imperator (1024—1039). Populi indignatione in veram seditionem versa, Benedictus expulsus et ejus loco Silvester III (1045) constitutus est, qui tamen post menses tres Benedicti potentiae succubuit. Benedictus cum Romanorum indignationi satisfacere non posset, abdicavit se pontificia dignitate in gratiam **Gregorii VI** (1045—1046), quem Romani *Ecclesiae liberatorem* salutaverunt. Qui quidem non prorsus inculpabili ratione electus, vir tamen fuit probus dignusque.

2⁰. Anno 1046 Henricus III (1039—1056), Italiam ingressus, synodo Sutriensi coacta, dejecit Benedictum IX et Sylvestrem III; quo facto Gregorius VI se dignitate suprema abdicavit. Agente Henrico, alter post alterum Papae

---

[1]) Privilegium Henrici apud *Pertz*, Mon. Germ., Script., III, 835 sq.

[2]) Synodus Papiensis, 1018, *Hefele*, IV, 669 sq.

[3]) Vita Henrici imper., Mon. Germ., Script., IV, 787 sq. De vita conjugali Henrici et Cunegundae *Sägmüller*, (Tub. Quartalschrift 1905 p. 78 sq. et 1907, p. 563 sq.) qui quae antiquitus relata sunt rationabili modo explicat. *H. Koch*, Die Ehe Heinrichs II mit Kunigunde, Köln 1908. *Lesêtre*, Saint Henri, 4e éd., Paris 1899.

[4]) *Giovagnoli*, Benedetto IX, storia de Pontefice Romano (1040—1049), Milano 1900.

Germani quatuor sedem Romanam occupaverunt. Quorum primus fuit Pabebergensis episcopus, **Clemens II** (1046—1047). Fortiter tuitus est disciplinam ecclesiasticam, postquam ipso inthronisationis suae die Henricum III coronaverat. Mox tamen mortuus, depositus est in ecclesia cathedrali Pabebergensi. Tum iterum e latebris prodiit Benedictus IX nec loco cessit nisi Julio 1048, quum interventu Henrici III **Damasus II** (1048) est electus, qui tamen post dies 23 obiit. In conventu Vormatiensi creatus **Leo IX** [1]) (1049—1054), post a Romanis est electus. Qui consiliis Hildebrandi fretus, non solum Romae, sed in toto occidente tentavit abusus qui irrepserant abolere, synodos coegit Papiae, Rhemis et Moguntiae, ardua itinera suscepit, ut praesens animos ad reformandos mores cohortaretur. Irrita autem fuit ejus tentata contra Saracenos Normannosque expeditio. Leone IX regnante, Caerularius litem redintegravit, unde postea schisma orientis est natum. Ei successit **Victor II** (1055—1057), ipse quoque ab Henrico III nominatus, penes quem praesidium quaesivit adversus Normannos. At Henricus, qui animam jam agebat, in Victoris amplexu mortuus est. **Stephanus IX** (1057—1058)[2]) antea abbas Monte Cassinensis, reformationem est prosecutus et impigrum Petrum Damianum constituit Ostiensem episcopum. Partes autem Tusculanae, liberatae metu Henrici III, per vim creaverunt Benedictum X (1058—1059), quem intrusum arbitrati sunt Hildebrandus et Petrus Damianus cum clero fideli. Quamobrem instaurata electione, constitutus est **Nicolaus II** (1058—1061).

3⁰. Praeclarissimus, Nicolao II regnante, eventus fuit editum celeberrimum **decretum de eligendis pontificibus.** Post tot casus necesse fuit ut electio tutaretur adversus interventionem quum factionum Romanarum tum Germanicae aulae. Quod fecit Nicolaus II ope Hildebrandi in synodo 1059, praesentibus episcopis 113[3]). Decreti exemplar alterum Pontificium,

---

[1]) *Brucker*, L'Alsace et l'église au temps du Pape Léon IX, 2 vol., Paris 1889. *Eugène Martin*, S. Léon IX, 2e éd., Paris 1900. *Delarc*, Un pape Alsacien. S. Léon IX et son temps, Paris 1876. *J. Drehmann*, Papst Leo IX und die Simonie, Leipzig 1908.

[2]) *U. Robert*, Le pape Etienne IX, Bruxelles 1892.

[3]) *Hefele*, IX, 800. *A. Clavel*, Le pape Nicolas II et son œuvre disciplinaire, Lyon 1906.

alterum imperatorium prostat. Solum Pontificium genuinum censendum est[1]). Per hoc electio ipsa ad cardinales confertur. Cardinales-episcopi collatis consiliis candidatos proponunt[2]), quo facto cardinales reliqui se iis adjungunt, ut simul electionem perficiant. Hisce praecipua in tuto sunt posita. Deinceps clerus populusque consentient. Cardinales (*religiosi viri*) igitur praeeunt, *reliqui* sequi debent. Henrico IV imperatori erit jus confirmationis ejusque successoribus, si quidem id iis a S. Sede concessum fuerit. Fiet electio Romae elegeturque unus e *clero* Romano. Quod si ibi tuto electio fieri nequeat, aut idoneus eligendus non adsit, licebit alibi unum ex aliarum ecclesiarum clero eligere. Et si, aut exorto bello, aut aliis natis molestiis, Romae inthronisari electus difficile possit, etiam non inthronisatus plena potestate papali gaudebit.

Hic decreti sensus patet e *canonibus synodalibus*[3]), ex epistola Nicolai ad suffraganeos Amalphienses[4]), ex epistola Petri Damiani ad Cadaloum antipapam[5]), e *Disceptatione synodali inter regis advocatum et ecclesiae defensorem*[6]); denique ex ipsa offensione aulae Germanicae[7]).

Praesidium contra quae ex ista offensione enasci possent quaesivit Nicolaus penes Richardum et Robertum Guiscardum, Normannorum in Italia meridionali duces. Cum quibus fecit 1059 *foedus Amalphiense*, quo accipiebant in feudum Apuliam, Calabriam et Siciliam, promittentes se fenus soluturos et Ecclesiam Romanam contra hostes defensuros[8]). Quod quidem frustra factum non est. Etenim Germani non solum foedus, sed etiam decretum de elegendis pontificibus aegre ferebant, et anno 1060 irritum declararunt. Contra Nicolaus

---

[1]) Textus vide apud *Scheffer-Boichorst*, Die Neuordnung der Pabstwahl durch Nicolaus II, Strassburg 1879; etiam apud *Pertz*, Leges, II, 176 sq.; et Script., VIII, 408. *Gratianus*, cap. I, Dist. 23. Cf. *Grauert*, Hist. Jahrb., I (1880), 501—602 et XX (1899), 236—325 etc. etc. *L. Lector*, Le conclave, Paris 1894.

[2]) Haec peculiaris decreti ordinatio mox in desuetudinem abiit.

[3]) *Mansi*, XIX, 897.

[4]) Ibid., 907.

[5]) *Migne*, P. L., Tom. 144, p. 238.

[6]) *Mansi*, XIX, p. 1003.

[7]) Pertz, Leges, II, 45.

[8]) *Pertz*, Script., III, 180.

idem decretum in synodo Romana (1061) denuo confirmavit. Quo facto, brevi post obiit[1]).

4°. Eo mortuo Germani, petente factione Romana, quae reformationem fieri refragabatur, papam renuntiaverunt Cadalum, Parmensem episcopum, nomine Honorium II (1061—1069). At vigilans intrepidusque Hildebrandus eos praevenerat, curaveratque eligendum pontificem ex decreto 1059, Anselmum Lucensem, cui factum est nomen **Alexander II** (1061—1073). Unde exarsit violentum Romae dissidium[2]). Non tamen diu Germania stetit ex parte Honorii, auctore S. Hannone, episcopo Coloniensi, qui Henricum IV puerum atque ita potestatem omnem Agneti reginae eripere valuit. Aestate 1064 in synodo Mantuana Alexander II est agnitus. Qui fuit vir dignus et fortissimus Papa, opemque felicissimam invenit apud Hildebrandum et Petrum Damianum. Adjuvante *Pataria*, quae erat societas Mediolanensis, obnitens simoniae et concubinatus criminibus, abusus qui invaluerant oppugnavit, Henrici IV mores dissolutos ac divortium reprobavit ejusque perversos consiliarios excommunicatione obstrinxit (1073).

---

§ 66. Collegium cardinalium.

Sägmüller, Thätigkeit und Stellung der Kardinäle bis Bonifaz VIII, Freiburg 1896. *Phillips*, Kirchenrecht, VI Bd. *Duchesne*, Notes sur la topographie de Rome au moyen-âge. Les titres presbytériaux et les diaconies, Mélanges d'archéologie et d'histoire, VII (1887). *Wurm*, Die Papstwahl. Ihre Geschichte und Gebräuche, Köln 1902. *F. X. Wernz*, Jus Decretalium, II. Jus Constitutionis Ecclesiae cath., Ed. 2ª, Romae 1906.

1°. Quamquam Ecclesia Romana in parochias divisa fuit non inde ab adeo vetustis temporibus ac memoratur in *Libro Pontificali*, jam antiquitus tamen fuerunt aliquot oratoria, quibus etiam posteriore tempore praestantia quaedem prae aliis est servata. Presbyteri hisce oratoriis affixi administrabant ibidem sacra-

---

[1]) Mitteilungen des Instituts für österreichische Geschichtsforschung, 1906, p. 11—53, ubi conantur demonstrare utrumque textum a parte ecclesiastica esse mutatum.

[2]) *D. Munerati*, Sulle origini dell' antipapa Cadolo, vescovo di Parma, Riv. scienza stor. 1906, Tom. I.

menta poenitentiae et baptismatis, erantque auxilio in ecclesiis quatuor patriarchalibus *S^ae Mariae Majoris*, *S^i Petri*, *S^i Pauli* et *S^i Laurentii*. Quae quidem ordinatio derivanda videtur ab aetate Simplicii papae (468—483). Joannes VIII (872—882) assignavit presbyteris portionem aliquam stabilem ex oblationibus, in quatuor memoratis ecclesiis factis. Eorum, qui hoc privilegio gaudebant, numerus initio fuit 25, postea 28. *Cardinalis* dicebatur proprie quivis clericus, alicui oratorio (*titulo*) stabiliter appositus (*intitulatus*, *incardinatus*), praesertim qui ad ecclesiam aliquam principem, cathedralem, papalem pertinebat. Quum autem postea non quilibet presbyteri stabiliter alicui ecclesiae Romae assignati **presbyteri-cardinales** vocarentur, sed solum qui principes ad singulos titulos essent, nomen *cardinalis* sensum *principalis* accepit.

2⁰. Pro curandis pauperibus urbem Papae in *regiones* septem dispertiti sunt, quibus singulis singuli diaconi praeficiebantur, ptochium cum adjuncta ecclesia administrantes. Vocabantur *diaconi ecclesiae Romanae*, quo nomine significabatur eorum etiam esse officium assistere Romano Pontifici in functionibus religiosis. Habebantur mox inter principaliores clericos, imo vero vocabantur **diaconi-cardinales.** Hadrianus I (772—795) eorum numerum auxit ad 18, stabilem usque ad saeculum XVI [1]).

3⁰. Proxime cum Pontifice conjuncti ab antiquo erant episcopi dioecesium circa Romam minorum, quibus nomen *ecclesiae suburbicariae* datum. Increscente primatu auctisque inde negotiis, quibus Papae distinebantur, etiam ad exercendas, Papae loco, functiones ecclesiasticas atque episcopales saepius acciebantur. Stephanus III (768—772) jam supposuit eos esse stabili modo ecclesiae Lateranensi affixos. Quodsi presbyteri *titulorum* 28 et diaconi *regionum* vocabantur *Cardinales*, eo quod Papae assisterent in ministerio sacro, perse patet eos, quibus vicariis Papae in ecclesia Lateranensi utebantur, **episcopos-cardinales** esse nuncupatos. Tum temporis fuerunt numero septem. Eorum sedes fuerunt: Ostia, Alba Longa, Portus, Silva Candida seu S. Rufina, S. Sabina, Praeneste seu Palestrina et Tusculum (Frascati). Jam Calixtus II (1119—1124) S. Rufinam cum Portu ad unam redegit.

---

[1]) Nonnunquam etiam occurrunt *subdiaconi-cardinales* (*Jaffé*, N. 4336, 4337, 4338, 4346).

Qui jam antea dignitate prae reliquo clero Romano eminebant, Cardinales, praecipuum honorem auctoritatemque adepti sunt ex eo quod Nicolaus II (1058—1061) iis eligendos Pontifices demandavit. Jam saeculo XIII loco priores erant archiepiscopis et patriarchis. Solius Papae erat eos creare et demovere. Eorum numerus varia aetate varius. A saeculo XII creati sunt etiam qui extra Romam sedem habebant. Sanctum Cardinalium collegium erat Papae consilium, magnam partem capiens gubernandi dominii papalis universaeque Ecclesiae administrandae, praesertim *sede vacante*. Innocentius IV (1243—1254) dedit cardinalibus non-religiosis pileum rubrum; religiosis tandem etiam dedit Gregorius XIII (1572—1585). Postea accessit pallium purpureum et, gratia Urbani VIII, titulus *Eminentiae* (1630). Anno 1229 sui cardinalibus dati sunt reditus, quos ipsi administrabant. Mox iis assignata est media pars redituum Romanae Ecclesiae, quae erant *servitia communia*, *census*, *exemptionum pretia* etc.

4°. Praeter Cardinales, quibus praecipua Romanae curiae officia incumbebant, in aula vel curia papali ministrabant *cubicularii*, *judices palatini*, *aerarius*, *sacellarius*, *scriniarii*, seu actis servandis praefecti, *vicedominus* seu palatio praepositus et *vestiarius*. Posteriore tempore aulae ratio multum immutata. Officium publicandi decreta pontificia saeculo IX a *primicerio* seu tabellionum principe ad *bibliothecarium*, saeculo XI ad *cancellarium*, qui postea *vice-cancellarius* vocabatur, translatum est. Quae lites accurata disquisitione indigebant, demandabantur collegio jurisperitorum, qui appellabantur *auditores*. E quo collegio demum saeculo XIII natum est stabile judicium, *Rota Romana* [1]).

---

§ 67. Metropolitae. Pseudo-Isidori decretales. Dioecesium ordinatio.

Phillips, Kirchenrecht, IV Bd., p. 61 sq. *Hinschius*, Decretales Pseudoisidoriani et capitula Angilramni, Lipsiae 1863. *Thomassinus*, Vetus et nov. Ecclesiae discipl., Tom. I, Lib. II, c. 6 sq.: c. 21 sq. *Sägmüller*, Entwicklung des Archipresbyterates und Dekanates, Tübingen 1898. *Imbart de la Tour*, Les paroisses rurales de l'ancienne France, Paris 1901. *St. Zorell*, Entwicklung des Parochialsystems bis zum Ende der Karolingerzeit, Heidelberg 1901. *Lesne*, La Hiérarchie épiscopale. Provinces, métropolitains, primats en Gaule et en Germanie (742—882), Paris 1905.

[1]) Tüb. Quartalschrift, T. 77, p. 97 sq.

1°. Usque in saecula VIII et IX magis magisque exculta est potestas **metropolitarum.** Hincmaro Rhemensi teste tentabant futuros episcopos, probabant et consecrabant eos; cogebant synodos, iisque praesidebant; constituebant *administratores* sedium vacantium; jurisdictione utebantur in suffraganeos; moderabantur universam provinciam ecclesiasticam, et episcopos, sicubi officio defuerant, ad rectam ordinis rationem revocabant. Inde a medio saeculo VIII *Archiepiscopi* appellatio inducta, paulatim *Metropolitani* loco usurpata est, etsi etiam latior ejus fuerit significatio. Quod patet ex iis, quae historia docet de Willibrordo et Bonifatio, qui uterque nomine Archiepiscopi vocabatur, licet priori certe, alteri probabiliter nunquam fuerint suffraganii. Etiam episcopi Metenses archiepiscopos se nominabant, non quod haberent jus Metropolitanum, sed quod *pallio* essent donati. Ab eo inde tempore quum auctore S. Bonifatio synodus Francorum generalis anni 747 *canonem* ediderat, quo Romae petere *pallium*[1]) metropolitae obligabantur, paulatim jus consuetudinis introductum est, ut metropolitae non nisi post acceptum *pallium* jurisdictione sua uterentur. Appellatio *suffraganei* ante finem saeculi VIII non occurrit. Posteiorum Carolingicorum regum aetate metropolitarum potestas valde imminuta est. Cujus rei praecipua causa fuisse videtur frequens variata regni divisio, qua factum est ut suffraganeus, saepe in rebus civilibus a suo metropolita separatus, facilius hujus quoque jurisdictione se subtraheret. Validior fuit fortasse etiam nonnullorum metropolitarum contumacia, qui non consultis suae provinciae episcopis, damnabant poenisque afficiebant suffraganeos. Unde sensim frequentiores fiebant provocationes ad Romanum Pontificem. In Germania insuper saepius nimium sese rebus politicis ingerebant metropolitae, negligebant convocare synodos, magisque principum saecularium, quam episcoporum more vivebant.

2°. E nonnullorum sententia etiam **Pseudo-Isidori decretales**[2]) eo spectabant ut metropolitarum potestatem minuerent. Vix negari potest multum hos ad id contulisse, probari tamen nequit scriptorem hunc sibi finem proposuisse. Dissentiunt auctores. Attamen

---

[1]) *Hefele,* III, 553—554.

[2]) *P. Fournier,* Etudes sur les fausses décrétales, Louvain, bureau de la Revue d'hist. eccles. 1907, cf. Revue d'hist. ecclés., 1906—1907.

decretalium auctorem in hoc incubuisse, ut jura primatus Papae augerentur, viri pseudo-isidorianae collectionis peritissimi quique, vel etiam protestantes Hinschius et Richter, recte negant. Tacentur enim a Pseudo-Isidoro non pauca jura, quibus tum temporis Papae jam utebantur, v. c. jus conferendi *pallium*, jus transferendi episcopos in aliam sedem; dein decretales tuentur auctoritatem metropolitarum imponuntque obligationem convocandi synodos. Decretales autem temporum cursui et voluntatum inclinationi morem gessisse, patet vel ex eo, quod vix ulla oppositione facta quasi sponte sua in usum venerunt. Vel ipsa ficta decretalia composita plerumque sunt ex notis effatis patrum et scriptorum ecclesiasticorum. In Hispania decretales numquam in usu fuerunt; jus tamen ecclesiasticum ibi vigebat idem quod in omni alio loco. Exaggerant ergo haud parum, qui dicunt Pseudo-Isidorum novum jus induxisse. De *causis majoribus* jam Innocentius I (401—417) pronuntiat „*majores causas ad sedem apostolicam post judicium episcopale referendas esse*"[1]; de amovendis episcopis jam saeculo IV provocabant ad Papam; acta synodorum provincialium mittebantur ad Summum Pontificem jam S. Cypriani aetate, sicut postea Julio I, Innocentio I et Zosimo regnantibus. Ceteroquin neque per decretales hic usus factus est perpetuus. Multum tamen Pseudo-Isidorus ad hoc contulit, ut, quae jam usurpabantur, penitius ingererentur.

Ante Pseudo-Isidorum in usu fuit collectio Dionysii Exigui[2]), cujus prima pars continebat *canones* 401, e variis synodis desumptos, altera vero pars complectebatur decretales 348—498. Aucta editione, Carolus Magnus voluit eam collectionem esse authenticam (802). *Hispanica* collectio per hoc mandatum e regno Francorum expulsa est. Intra annos 846 et 852 in provincia Turonensi, probabiliter in civitate vel dioecesi Cenomanensi in Gallia, nova collectio confecta est, appellata ab Isidoro Mercatore, dicta vulgo *Collectio Pseudo-Isidoriana*. Praeter hanc eodem fere tempore aliae duae collectiones vulgatae sunt, ipsae quoque magnam partem acta spuria complectentes: *capitularia* Benedicti Levitae[3]) et *capitula* Angil-

---

[1]) *Jaffé*, Ed. 2, 886.
[2]) *Migne*, P. L., Tom. 67.
[3]) Mon. Germ., Leg., II, 2, p. 17—158.

ramni[1]). Eadem harum ratio est, quae obtinet in collectione *Pseudo-Isidoriana*. Multa habent inter se communia. Uter ex utro desumpserit non liquet. Collectio Pseudo-Isidoriana duplici forma servata est. Forma longior post praefationem continet: donationem Constantini, *canones* apostolicos 50, 59 epistolas Summorum Pontificum, a Clemente ad Melchiadem (88—314), *canones* synodorum antiquiorum a Nicaena ad Hispalensem II tempore S. Isidori, decreta a Sylvestro I ad Gregorium II (314—731). Paenultima pars tota desumpta est ex collectione Hispanica, ultima pars partim. Acta fere 100 adulterata sunt, confecta genuinis *decretalibus* et *canonibus*, S. Scriptura, Patrum effatis etc. Forma ficta est, et quae posterius dicta fuerunt prioribus Papis sunt ascripta. Videtur synodus Suessionensis (853) collectionem jam ad manum habuisse; a synodo Carisiaca (857) eam fuisse usurpatam in comperto est. Jam exeunte saeculo IX in Italia nota collectio usque ad finem saeculi XI fidem sibi haud magnam faciebat[2]).

Plus minusve adulteratio transiit in alias collectiones: in *Collectionem Anselmo dicatam* (883—897), in *Libellum de synodalibus causis et disciplinis*, auctore Reginone Prumiensi († 915), in *Decretum* vel *Collectarium*, auctore Burchardo Vormatiensi († 1025), in *Collectionem Anselmi Lucensis* († 1086), in *Collectionem Cardinalis* Deusdedit (1086) atque hinc in *Decretum* Gratiani. Esse adulterata, primi suspicati sunt Nicolaus Cusanus et Joannes Torquemada; quos saeculo XVI plures secuti sunt. Vehementer eos impugnavit Blondel contra Turrianum S. J. Factam esse adulterationem, ample et docte demonstrarunt fratres Ballerini et Hinschius.

3⁰. In latissimo Francorum regno paucae inveniebantur civitates, adeoque dioeceses generatim late patebant. Quare vulgo hic occurrunt qui vocabantur **chorepiscopi**; consecratione episcopali instructi, episcopis in administranda ecclesia auxilio erant. In oriente *chorepiscopi* primo tantum initio veri episcopi et sui juris erant; jam saeculo IV non amplius consecrati et episcopis urbanis subjecti paulatim currente saeculo VIII disparuerunt. Contra in occidente, praesertim post annum 700, frequentiores inveniuntur; vere consecrati episcopi erant, qui non solum

---

[1]) Apud *Hinschius*.

[2]) Cf. *Fournier*, l. c. et Analect. Boll., XIX, p. 52—53.

consecrabant ordinandos, sed etiam in dissitis dioeceseos partibus episcoporum locum tenebant. Tamen currente saeculo IX eorum numerus decrevit primum in Gallia, dein in Germania. Cujus rei causa quaerenda in eo est tum quod redeundum censebant ad antiquiorum *canonum* disciplinam; tum quod, juxta nonnullorum sententiam, in hoc quoque Pseudo-Isidori collectionis influxus agebat. Econtra in Anglia fuerant chorepiscopi usque ad saeculum XII[1]). Dioecesium illa administratio partiaria, quae a chorepiscopis exercebatur, demandata tum est **archidiaconis,** quorum praecipuum officium fuit visitationes instituere et curam habere tutelamque *cleri*[2]). Jam saeculo IX plures inveniuntur in una dioecesi. Paulo post dioeceses dispertitae sunt in *archidiaconatus*. Archidiaconatus ipse in **archipresbyteratus** vel *decanatus* divisus est. Quae partitio, in dioecesi Rhemensi jam tempore Hincmari (845—882) effecta, saeculo demum XI fere ubique in usu fuit.

4⁰. Visitatio dioecesis eo fine instituebatur ut invigilaretur vitae moribusque clericorum, ut admonitiones fierent populo, ut aedificia ecclesiastica sarta tecta servarentur. Praecedebat duobus diebus archidiaconus ad convocandum populum; qui adesse noluisset excommunicabatur[3]). Vetitum fuit episcopis plus quam duos *solidos* exigere, in comitatu pluribus quam quinquaginta ministris et equis uti, diutius uno die in singulis ecclesiis morari. Econtra presbyteri et abbates obligabantur ei quae necessaria erant procurare[4]).

Caroli Magni aetate valde urgebatur ut visitatio *quotannis* fieret[5]) et ad tutelam episcopo pagi comes adjungebatur. Saeculo XI per *testes synodales* judicium synodale (Sendgericht) uberius excultum est. Viri liberi et honesti, septem jurati tanquam testes synodales (Sendschepenen) coram episcopo testimonium dabant de moribus coetus: an omnes diebus dominicis et festis interessent officio matutino, Missae et Vesperis; an irrepsissent abusus; an decanus populum exhortaretur; an diebus dominicis a labo-

---

[1]) Revue d'hist. eccles., 1996. *Saltet,* Les réordinations, Paris 1907, p. 109 sq.

[2]) *Grec,* Etude historique sur les archidiacres. Bibl. de l'école des chartes, 3e sér., T. II. *A. Schröder,* Die Entwicklung des Archidiaconats bis zum XI Jahrh., Augsburg 1890.

[3]) Synod. Tolet. (653), can. 16.

[4]) Synod. Tolet. (646), can. 4; Suession. (744). *Hefele,* III, 519.

[5]) Capitularia apud *Pertz,* Leges, I, p. 17, 33, 188.

rando cessaretur; an singulae familiae copiosae suum sustentarent egenum etc. Sententiam dicebat episcopus, quam comes exsequebatur [1]).

5⁰. Constat hac aetate clericos ecclesiae cathedrali adscriptos *vitam canonicam* i. e. communiter egisse. Patrum Benedictinorum, qui multas condiderant ecclesias, exemplum reliqui imitabantur. Hac ratione exorta sunt collegia **canonicorum** [2]). Chrodegangus Metensis episcopus († circa 765) ad normam regulae Benedictinorum pro cathedralis ecclesiae suae clero capitibus 34 vivendi regulam composuit [3]). Quod mox probatum ab aliis et imitationi fuit datum. Ludovicus pius hanc regulam nonnihil mutatam in universo suo imperio observandam praescripsit [4]). Haec tamen vita communis diuturna non fuit in capitulis cathedralibus et institutis collegialibus. Cujus rei causa haud dubium in dominii privati administratione quaerenda est. Etenim possidere res moventes licitum fuit, sicut etiam immobilium fructus, ita ut divitiarum et amplitudinis discrimen ablatum non fuerit. Guntherus, episcopus Coloniensis, ulterius concessit canonicis, ut beneficia sua ipsi administrarent. Jam saeculo X major pars capitulorum *vitam canonicam* non amplius vivebant. Nonnulla diutius perseverarunt: Trevirense ad 1215, Osnabrugense ad 1240, Moguntinum ad 1253, Wirceburgense ad 1260 [5]).

---

§ 68. Institutio, reditus et informatio cleri.

Imbart de la Tour, Les élections épiscopales dans l'église de France du IX au XI siècle, Paris 1891. *Hinschius*, Kirchenrecht, II Bd. *Below*, Die Entstehung des ausschliesslichen Wahlrechtes der Domkapittel, Leipzig 1884. *Phillips*, Kirchenrecht, III, 134 sq.; V, 760 sq.; VII, 611

---

[1]) *Regino*, De disciplina ecclesiast., lib. II, c. 1. *Migne*, Tom. 132, p. 280 sq. *Imbart de la Tour*, De ecclesiis rusticanis aetate carolingica, Bordeaux 1890. *Dr. A. M. Koeniger*, Die Sendgerichte in Deutschland. Optimus hic liber justis desideriis satisfecit.

[2]) *Ph. Schneider*, Die bischöflichen Domkapitel, ihre Entwicklung und rechtliche Stellung im Organismus der Kirche, Mainz 1885.

[3]) *Mansi*, T. XIV, p. 313. *Hefele*, IV, 19 sq.

[4]) *Pertz*, Leges, I, 219.

[5]) *Thomass.*, Vet. et Nov. disciplina, T. I, lib. III, 8, 9, 10.

sq. *Siebengartner*, Schriften und Einrichtungen zur Bildung der Geistlichen, Freiburg 1902. *F. A. Specht*, Gesch. des Unterrichtswesens in Deutschland etc., Stuttgart 1885. *P. Thomas*, Le droit de propriété des laïques sur les églises et le patronage laïque au moyen-âge, Paris 1906.

1°. **Nuncupare clericos** ad jurisdictionem episcopi pertinebat. Ipsius erat creare parochos et dijudicare an essent apti. Tamen quod tum exortum et extentum est *jus patroni* haud raro, in grave religionis damnum, episcopi potestatem restringebat. Propositum a patrono candidatum recusare non licebat, nisi notus esset indignus. Gravium difficultatum causam praebuerunt numerosi sacerdotes castellorum oratoriis ascripti, qui vix prae famulis praestantes, indocti saepe et contumaces in episcopos fuerunt. Nobilium gratia et, quae vocabatur, consecratio absoluta[1]) augeri fecit numerum *clericorum vagantium*, episcoporum vero auctoritatem minui. Quod tamen malum saluberrimis praescriptis paulatim sanatum est[2]).

2°. Magnum quoque nocumentum attulit impeditus ordo **electionis episcoporum.** Facienda ea proprie fuit a clero et populo, probanda a rege, confirmanda a metropolita. Quod autem episcopi etiam rebus publicis gerendis intererant, ea causa fuit cur jam reges Carolingici hunc ordinem integre servari non permiserint. Vulgo reges commendabant quem eligi vellent, Carolus Calvus ipse eligebat, vel ex aulae suae clericis unum consecrandum ad metropolitam mittebat. Saeculo X et XI res pejor facta. Parum saepius inquirebatur num quis esset dignus. Domestici regum aut familiares, imo vero pueri ad dignitatem episcopalem evehebantur[3]). **Investituram** potestatis saecularis conferebant prius principes eodem modo episcopis ac laicis tradendo *ensem*, *sceptrum* et *vexillum*. Inde vero a saeculo X fiebat tradendo *baculo* et *annulo*. Etsi Joannes X (921) hanc, quam vocabat *priscam consuetudinem*, permiserit et fieri jusserit[4]), postea tamen paulatim is investiturae modus reprehendendus valde censebatur. Omnis enim sic valor

---

[1]) Ea dicebatur consecratio qua quis nulli ecclesiae addicebatur.

[2]) Synodus Paris. (829), I, can. 22, 36; *Hefele*, IV, 57 sq. Synodus Papiensis (850), can. 21; *Hefele*, IV, 178 etc.

[3]) Synodus Ravennat. (877), can. 1—4. *Hefele*, IV, 523.

[4]) *Jaffé*, Ed. 2, N. 3564: „Cum prisca consuetudo vigeat, qualiter nullus alicui clerico episcopatum conferre debeat, nisi rex."

electioni auferebatur, quum investitura pro nominatione haberetur, eaque fieret tradendo baculo annuloque, symbolis potestatis spiritualis, dum diceretur a rege: *accipe hanc ecclesiam.* Dein episcopus juramentum feudale edebat, quo obligabat se ad omnia vasallorum officia, ad gerendum bellum quoque si regi placuisset. Tandem ejusmodi creandi episcopi ratio haud raro simoniae ansa fuit. Quamobrem saeculo XI Papae eum usum reprobaverunt inter quos praesertim Leo IX et Alexander II [1]).

Idem invaluerat abusus in constituendis abbatibus. Haud raro laicos ea dignitate ornabant principes, reditusque abbatiarum assignabant comitibus et militum ducibus, qui cum universa sua familia in abbatiis habitantes, haud parum disciplinae claustrali nocebant.

3°. Quae Carolus Martellus **bona ecclesiastica** multa et **reditus** laicis bene meritis donaverat, Carlomannus anno 742 restituenda mandavit [2]). Quod quidem restitutionis praeceptum, licet postea ad solum fenus sit restrictum, inde tamen cleri possessiones non parum auctae sunt [3]). Decimis ecclesiasticis quoque hae possessiones increverunt. Qui non dedissent decimas frugum, boum, ovium et caprarum a synodo Rotomagensi, probabiliter regum Carolingicorum tempore habita, mulctati sunt [4]). Carolus Magnus praesertim eam obligationem iterato urgebat, Francofurti (794), Aquisgrani 801 et 813 [5]). Idem fiebat in Gallia, Hispania, Italia et brevi in Ecclesia universa. Synodus Papiensis *omnium rerum suarum decimationem* solvendam mandavit [6]). Quamobrem episcopi quaerebant qui aucta ejusmodi bona tuerentur. Inde ortum officium *advocati ecclesiae*, cui hoc munus servandi res ecclesiasticas incumbebat. Carolus Magnus et Lotharius I cunctis ecclesiis praescriptum dederunt ut ejusmodi *advocatum* constituerent. Willibrordi aetate Ultrajecti occurrit, hoc officio fungens Erken-

---

[1]) Synodus Rhemensis (1049), can. 1—3. *Hefele,* IV, 731. *Jaffé,* N. 4501: „Ne clericus ecclesiam a laico gratis vel pretio accipiat." *J. B. Sägmüller,* Die Bischofswahl bei Gratian, Köln 1908.

[2]) *Pertz,* Conc. Germ., Leg., I, p. 16.

[3]) Ibid., p. 18, 21.

[4]) *Hefele,* III, 96—97.

[5]) Pertz, Leges, I, 36, 73, 88, 189.

[6]) *Pertz,* ibid., 404.

fridus comes Nifterlacensis, Balderici tempore Folbertus comes[1]).

4⁰. Neque in oriente neque in occidente hac aetate eminens fuit **scientia ecclesiastica.** Tamen Carolo Magno imperante aliquantus progressus apparet. Schola imperatoria reliquis omnibus exemplo fuit[2]). Clerus vulgo instruebatur in scholis, quae Caroli jussu erigendae erant prope cathedrales ecclesias omnes et abbatias[3]). Ingens ejusmodi scholarum numerus ostendit jussa ista irrita non fuisse. Distinguebantur autem monasteriorum scholae in *internas* et *externas*. Priores futuris monachis patebant, alterae reliquis omnibus. Tirones memoriae dabant psalmos, addiscebant canticorum modulos, calculos et sermonis latini principia. Superior institutio complectebatur *artes liberales* septem. Ad *trivium* pertinebat grammatica, rhetorica et dialectica, ad *quadrivium* arithmetica, geometria, musica et astronomia. Theologia praecipue versabatur in S. Scriptura et Patribus. Pro parte theoretica utebantur praesertim Augustino, pro practica parte Gregorio Magno et Isidoro Hispalensi. Praecipuum tamen locum tenebat S. Scriptura, quam ad sensum *historicum*, *moralem* et *mysticum* exigebant. Docebant etiam homileticam et theologiam pastoralem. Quem eundem ordinem etiam in scholis cathedralibus servabant.

Attamen multi sacerdotes ejusmodi institutione non fuerunt imbuti. Etenim pleniorem hanc scientiam synodi non exigebant. Synodus Cloveshoviensis in Anglia (747) praecepit tantummodo ut sacerdotes functionum suarum essent periti, scirent symbolum et pater noster, intelligerent et explicare nossent patrio sermone verba S^ae^ Missae, et quid sibi vellent sensu spirituali sacramenta[4]). Synodus Aquisgranensis (802) paulo plura exegit, ut sacerdotes memoria tenerent et intelligerent symbolum, pater noster, *poenitentiale*, Missae preces juxta *Ordinem Romanum*, ut patrum homilias intelligerent, ut officii more Romano cantandi essent periti, ut quomodo esset baptizandum

---

[1]) *Moll*, Kerkgesch. v. Nederl. vóór de Herv., I, 302—303. *H. J. A. Coppens*, Algem. Overzicht der Kerkgesch. van Noord-Nederland, 2e vermeerderde uitgaaf, Utrecht 1902.

[2]) *Paulus Diaconus*, De episc. Met., *Migne*, Tom. 132, p. 646.

[3]) Instruct. pastor. Neusching. *Hefele*. IV, 618.

[4]) *Hefele*, III, 563.

scirent. Praeterea postulabatur *Athanasianum*, exorcismus, *commendatio animae* et *computus* [1]). Praecepit insuper *Capitulare* Divodurense ut futuri clerici jam a pueris medicinam docerentur [2]). Synodus Coyacae habita (1050) illos tantum ad consecrationem admisit qui memoria tenebant psalterium, hymnos et cantica et ceteroquin probe erant instructi.

Qualis fuerit in Ecclesia orientis clericorum institutio, ex uno solo Canone 2⁰ concilii oecumenici VII, Nicaeni II, docemur, in quo tantum de episcopo agitur. Debebat episcopus memoria tenere psalterium, scire et legendo intelligere Canones, Evangelia, Epistolas Apostolicas et universam S. Scripturam, instituere vitam ad praecepta Dei et eadem populo exponere [3]).

---

1) *Hefele*, III, 744 sq.
2) *Pertz*, Leg., I, 132.
3) *Hefele*, III, 476; Dist. XXVIII, Ed. *Friedberg*, I, 140 sq.

CAPUT TERTIUM.

Haereses, schismata et lites.

§ 69—§ 78.

§ 69. **Iconoclastae et concilium oecumenicum VII.**

Beurlier, Les vestiges du culte impérial à Byzance et la querelle des iconoclastes, Compte rendu, 2 congr. scient. des cath., Paris 1891, 2 sect., p. 167 sq. *Hergenröther*, Photius, I, 226 sq. *Hefele*, Conciliengesch., 2 Aufl., III, p. 366 sq. *Schneider*, Der H. Theodorus von Studita, Münster 1900 (Kirchengeschichtl. Stud., III, 1—111). *Louis Bréhier*, La querelle des images, Paris 1904. *J. Pargoire*, L'Eglise Byzantine de 527 à 841, Paris 1904.

1⁰. **Imaginum cultus** eadem fere antiquitate gaudet atque Ecclesia. Persecutionum aetate non potuit quidem longius progredi; at initium ceperat et exercebatur in Christi et Mariae imaginibus, Sanctorum etiam effigiebus, frequenter in Catacumbis occurrentibus [1]). Post edictum Mediolanense non potuit novo vigore non efflorescere. Pulcherrimae basilicae aedificabantur ornabanturque imaginibus et omnis generis picturis. Ecclesia praesertim orientalis in hac re excelluit et prae ceteris civitatibus Constantinopolitana abundabat imaginibus Christi et Sanctorum. Ipsi imperatores ardenti flagrabant fervore exercitibusque suis pro vexillis dabant imagines Christi. Quae omnia, exceptis paucis superstitiosis abusibus, qui apud aliquos imperitos inoleverant, rectae ecclesiasticae doctrinae fuerunt consentanea saluberrimosque fructus spirituales societati christianae attulerunt. Accurate distinguebant cultum supremum *latriae*, qui soli Deo competit a minore *duliae* cultu, qui tribuitur Sanctis. Uterque cultus ab Ecclesia *absolutus* [2]) vocatur, quod in Deo et

[1]) *J. Wilpert*, Malereien der Katakomben Roms, Tekst, p. 160—161.

[2]) Potest etiam dici cultus sanctorum *relativus*, quantum non Deus, sed amici Dei coluntur; proprio tamen sermone cultus *absolutus est.*

sanctis est perfectio supernaturalis, propter quam honorantur. Imaginum vero cultus *relativus* dicitur, quod iis Christus Sanctique effinguntur.

2⁰. Judaei et Mahumetani offendebantur imaginum cultu, nec raro hi violaverunt quae christiani honorabant. In qua re episcopi nonnulli spectaverunt impedimentum conversionis eorum, suamque, ut fertur, auctoritatem interposuerunt apud imperatorem. Caesaropapismus Constantinopoli ea aetate ad summum apicem pervenerat. **Leo III Isauricus** [1]) (717—741) tum inchoavit Ecclesiae et reipublicae funestissimam luctam, qua amplius uno saeculo imperium Byzantinum conflagravit (726—842).

Prima periodus persecutionis eo incepit quod eversa est summo honore habita Christi imago, quae vocabatur *Antiphonetes* (sponsor), impositaque fuit summae portae cupreae, in urbis vico Chalkoprateia. Restitit tam vehementer populus ut imaginis violator Jovinus perierit. Huic commotioni imperator respondit facta cruenta etiam mulierum caede. Dein conatus est patriarcham ad labefactandum imaginum cultum perducere. At frustra. Germanus renuit, et propterea loco motus scripsit Romam rationem reddens sui agendi modi. Quem laudavit confirmavitque Gregorius II [2]). Audacter etiam ad imperatorem scripsit Papa, quod vetuerat coli imagines eumque cultum „idolatriam" vocaverat. Proterve respondit imperator, jactans *se imperatorem et sacerdotem esse* et provocans ad synodorum silentium. Cui digne rescripsit Papa, imperatoris non esse dare jussa in Ecclesia, sicuti Papae non est imperare in aula; et in synodis „*ne de pane quidem et aqua*, inquit, *dictum est quidquam, sitne comedendum an non comedendum, bibendum an non bibendum*" [3]). Neque comminationibus motus est Papa. Interea alium patriarcham Anastasium constituerat imperator, tractabile instrumentum ad evertendas imagines. Noluit hunc probare Papa [4]). Vehementior tum exarsit contentio. Frustra reluctantibus clericis et populo, in omni loco imagines eversae sunt. Gravissimus adver-

---

[1]) De Leone vide Byzantinische Zeitschrift 1896, p. 257—301.

[2]) *Jaffé*, Ed. 2a, N⁰. 2181; *Mansi*, XIII, 91 sq.

[3]) *Jaffé*, N⁰. 2180, 2182. Dubitant aliqui an sint haec verba genuina, cf. *Duchesne*, Le Lib, Pont., I, p. 413 sq. *Louis Gérard*, Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'école française de Rome 1890, p. 44 sq.

[4]) *Jaffé*, N⁰. 2183.

sarius imperatori iconclastae prodiit, eruditus Joannes Damascenus, qui notas tres *apologias* edidit[1]). Cosmas, imperii aemulus, cui se adjunxerant ii qui rectae fidei adhaerebant, victus est et supplicio affectus. Anno 730 alterum atque violentius persecutionis edictum prodiit. Gregorius III papa denuo vetuit cultum imaginum oppugnari[2]), oppugnatoresque excommunicatione constrinxit. Tum, Papam punitura, classis Constantinopoli ad Italiam vela dedit. At naufragio periit in mari Adriatico (732). Dein Illyriam imperator a Patriarchatu Romano avulsit patrimoniaque in Italia meridionali et Sicilia rapuit. Mortuus est Leo Isauricus anno 741.

Artabasdus, ejus gener, conatus est imperio potiri cultumque imaginum redintegrare. At victus est a **Constantino Copronymo V**[3]) (741—775) qui patris exemplum novo ardore est imitatus. Dum pravo exemplo praeibat Anastasius, perfidus patriarcha et cruenta grassabat persecutio, episcoporum vigor intepuerat. Ab imperatore, anno 754, in synodum coacti Constantinopolim, numero 338 cultum imaginum idolatriam opusque diaboli declaraverunt[4]), et anathematizarunt eos qui recte credebant. Etsi in hac synodo deerant legati patriarchatuum Alexandrini, Hierosolymitani, Antiocheni et Romani, putabat tamen imperator cultum imaginum recte impugnari suamque crudelitatem zelum arbitrabatur. Imagines evertendas curavit et sacras picturas calce obducendas aut topiariis picturis permutandas, ita ut „ecclesia caveae avium aut pomario similis" videretur. Quo autem humilius clerici saeculares obsecundabant tyranno, eo fortius ei restiterunt monachi. At mox in monasteriis facta est solitudo, monachis in exsilium ejectis aut crudeliter trucidatis. Ita factum Petro Calybitae, Andreae Cretensi, Stephano abbati etc. Postulavit imperator ab incolis Constantinopolitanis ut juramento promitterent se omnem Sancti imaginem idolum ducturos, nullum cum monachis commercium habituros, imo vero potius lapidibus et contumeliis eos obruturos. Reliquiae quoque Sanctorum impugnabantur et rapiebantur. Quibus omnibus gestis extra fines imperii saepius

[1]) *Migne*, P. G., Tom. 94, p. 1227 sq.

[2]) *Jaffé*, N⁰. 2233. *Ermoni*, S. Jean Damascène, Paris 1906.

[3]) *Lombard*, Etudes d'histoire byzantine. Constantin V, empereur des Romains, Paris 1902.

[4]) Acta apud *Mansi*, XIII, 205 sq.

multi oblocuti sunt. Synodus Lateranensis (769) anathematizavit pseudo-synodum Constantinopolitanam. Defuncto Copronymo, anno 775, Leo IV (775—780) successit, qui licet multo mitior fuerit, tamen edicta edita non abrogavit. **Irene,** Leonis uxor, hoc mortuo, pro filio suo minorenni gubernacula arripuit.

3°. Quae mulier salutare imperium inchoavit convocanda **synodo oecumenica VII** [1]), Nicaena II (787). Praesidebant Hadriani I Papae legati. Sessione secunda, praelectis Papae epistolis ad patriarcham et ad imperatorem [2]), universi episcopi 390 conclamaverunt: „ita credit universa synodus". Sessione IV et V prolata sunt S. Scripturae et Patrum testimonia pro cultu imaginum [3]). Sessione VI damnata est pseudo-synodus anni 754 et sessione VII demum exposita est doctrina de imaginum cultu. Is, juxta perpetuam Ecclesiae doctrinam, est *honoraria veneratio* (προσκύνησις τιμητική) non autem *vera latria* (ἀληθινὴ λατρεία) quae solo Deo debetur. Sic ad tempus restituta pax (787). At 802 expulsa est Irene, intrudentibus sese Nicephoro (802—811) et Michaele Rhangabe (811—813), qui tamen synodi decreta non abrogarunt.

4°. **Leone V Armeno** (813—820) imperante, instaurata persecutio est (814). At Nicephorus patriarcha firmus mansit. Monachorum princeps celeberrimus fuit Theodorus Studita [4]) abbas. Sanguinis quasi rivis loca cuncta inundabantur. Episcopi, presbyteri, monachi, moniales, mulieres et virgines tormentis et suppliciis mulctati. Haud pauci martyrio coronati. Studita conquerente, Papa legatos misit, sed nihil potuit obtinere. **Michael II** (820—829) imperator, licet initio mitior, postea perrexit persequi, sicut qui ei successit **Theophilus** (829—842) qui suos ipse domesticos insectatus est. Defunctus reliquit filium minorennem, Michaelem III, pro quo

---

[1]) *Mansi*, Tom. XII—XIII. *Hefele*, III, 456 sq. *Pargoire*, l'Eglise byzantine, p. 263.

[2]) *Jaffé*, No. 2448—2449.

[3]) *Exodus*, XXV, 17—22. *Numer.*, VII, 88—89, *Ezechiel*, XLI, 1, 15, 19, *Hebr.*, IX, 1—5. *Bréhier*, L'origine du Crucifix dans l'art religieux, Paris 1903.

[4]) *Migne*, P. G., Tom. 99. *G. A. Schneider*, Der H. Theodor von Studion. Sein Leben und Wirken. Kirchengeschichtl. Studien, Münster 1900, III Heft, p. 1—111. *Tongard*, La persécution iconoclaste d'après la correspondance de S. Théodore Studite. Revue des quest. histor., Tom. 50 (1891), p. 80 sq. *Marin*, De studio coenobio Constantinopolitano, Parisiis 1897. *Id.* Saint Théodore, 759—826, Paris 1906.

Theodora mater regno potita finem persecutioni imposuit. Cultus imaginum instauratus est.

Anno 842 synodus, Constantinopolim coacta[1]), symbolum synodi VII et priorum oecumenicarum omnium redintegravit, festumque diem Dominica prima Quadragesimae instituit, ut solemniter omnium haeresum victoria ageretur: πανήγυρις τῆς ὀρθοδοξίας.

---

§ 70. Reluctatio occidentis adversus Synodum VII.

Migne, P. L., Tom. 98, 999—1349. *Hefele*, Conc., III, 694 sq.; IV, 1 sq.; 38 sq. Acta SS. Boll., Tom. II, Junii, p. 745. Histoire littéraire de la France, Paris 1733, Tom. IV, 571, 575. *Hampe*, Hadrians I Vertheidigung der II Nicänischen Synode gegen die Angriffe Karls des Grossen. Neues Archiv 1895, p. 83 sq. *Foss*, Leben und Schriften Agobards, Erzb. von Lyon, Gütersloh 1897.

1⁰. Actis in Synodo VII (787) occidens vehementer refragatus est. Cujus rei duplex fuit causa. Imprimis, quae jam diu aderat, occidentis ab oriente aversio incrementum coepit e diremptis nuptiis Constantini VI (780—797) cum Rotruda Caroli Magni filia. Dein Graeci tuebantur Adelchin, Longobardorum regis filium. At propria et praecipua causa fuit quod acta synodi ex versione valde manca Gallis innotuerant[2]). Non enim solum sermo imbecillus, sed in pluribus etiam vitiosus, ut falsa daretur fidei enuntiatio. Verba προσκύνησις et προσκύνειν recte quidem per *adorationem* et *adorare* reddita, sed Galli putabant significari *cultum latriae*. Metropolitam Cypricum dicentem faciebant, se imagines eodem ac SS^{am} Trinitatem cultu honorare[3]).

2⁰. Lectitata hac manca actorum versione, Carolus Magnus circa annum 790, probabiliter per Alcuinum conficiendos curavit *Libros Carolinos*, quibus disquisita et damnata sunt

---

[1]) *Mansi*, XIV, p. 787 sq. *Hefele*, IV, 107—109. *Pargoire*, l'Egl. Byz., p. 270.

[2]) Anastasius bibliothecarius postea novam versionem edidit; vide *Migne*, P. L., Tom. 129, col. 195, ubi haec de prima editione: „Quod interpres paene per singula, relicto utriusque linguae idiomate, adeo fuerit verbum ex verbo secutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut nunquam possit adverti."

[3]) *Mansi*, XII, 1148. Fragmenta indicata apud *Hefele*, III, 704 sq.

haec synodi VII acta[1]). Cum hac, capitibus 85 facta, refutatione, quod fuit summum *librorum Carolinorum* argumentum, Carolus Angilbertum, generum suum misit Romam. Quo facto, Hadrianus papa uberrimae disceptationis epistolam scripsit ad Carolum, qua synodum Graecam fortiter defendit et difficultates Francorum accurate refellit[2]). At haud magno fructu. Etenim anno 794 synodus convenit Francofurti, ubi episcopi quoque refragabantur Nicaeno II[3]), Graecosque reprehendebant quod imagines eodem honore ac SS^{am} Trinitatem colerent. Accuratam a Synodo VII factam distinctionem inter *cultum latriae* et *cultum duliae* Galli percepisse non videntur. Et quamquam a recta fide non discesserunt, tamen ex aversione Graecorum aliquantum singulares sententias enuntiarunt: colere imagines aut non colere rem esse indifferentem; ergo reprehendendam esse Synodum, quod iis qui non colerent imagines, anathema minitasset; genuflectendo vel osculo honorari posse homines, non vero eas res, quae manu factae vita carerent; prodesse imagines ad ornandas ecclesias atque ad recolendam sancte factorum memoriam, sed stultum esse honorare imagines luminibus accensis aut thure; semper in occidente S. Crucem, S. Scripturam, vasa sacra et reliquias Sanctorum honore debito honoratas esse, sed eodem modo imagines colere esse reprobandum[4]).

3⁰. Iterum agitatum negotium fuit in amplo conventu Parisiensi, anno 825. A mente *Librorum Carolinorum* non est recessum, imo vero conati sunt Papam eo perducere ut hoc sensu ad Graecos scriberet[5]). Notum non est utrum Eugenius II huic petitioni satis fecerit. Sed Ludovicum pium ipsum voluisse Byzantinos ad suam sententiam traducere, ideoque Halitgarum episcopum et Ansfridum abbatem Constantinopolim misisse, constat. Claudius Taurinensis[6]) istis diebus ad veri nominis iconoclasiam progressus est. Inde ab anno 824

---

[1]) Libr. Carol. apud *Migne*, P. L., Tom. 98, p. 99 sq. Cf. *Hefele*, III, 694 sq.

[2]) *Migne*, P. L., Tom. 98, p. 1277—1292.

[3]) *Mansi*, XIII, 907, can. II.

[4]) *Hefele*, III, 707—708, habet praecipua quae de imaginibus dicentur in Libris Carolinis.

[5]) *Mansi*, Tom. XIV, 421 sq.

[6]) *E. Comba*, Claudio di Torino, ossia la protesta di un vescovo: cenno storico, Firenze 1895.

imagines omnes et cruces ex ecclesiis dioecesis suae ejecit vetuitque fideles venerari reliquias aut Sanctos colere et invocare. Fortiter tamen restiterunt ei Jonas Aurelianensis, Theodemirus abbas et Dungal S[i] Dionysii monachus. Agobardus Lugdunensis[1]) quoque noluit externo honore imagines coli. Attamen mox recta sentiendi ratio passim invaluit, auctoritate praesertim Hincmari Rhemensis et Walafridi Strabonis.

---

§ 71. Controversia de „Filioque" in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano.

De Rue, Essai de conciliation sur le dogme de la procession, Paris 1857. *J. van der Moeren*, Dissertatio theologica de processione Spiritus Sancti, Lovanii 1864. *Hefele*, Concil., III, 749 sq. *Hergenröther*, Photius, I, 684—711. *Gams*, Kirchengesch. von Spanien, II, 2, p. 175 sq. *Duchesne*, Eglises séparées, p. 75 sq. *Swete*, On the history of the procession of the Holy Spirit, Cambridge 1876.

1⁰. Doctrina de **processione S[i] Spiritus** in concilii oecumenici II Constantinopolitani symbolo (381) plene quoad rem, quoad formam vero non adeo complete exposita fuerat: „*et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit*". Licet oriens cum occidente consenserit in recta doctrina, tamen illic dicebatur *processio ex Patre per Filium* fieri, hic *ex Patre Filioque*. In occidente autem jam inde ab antiquo ortum est desiderium in symbolo addendi vocem *Filioque*. Prodiit primum in synodo Toletana 447, dein in Toletana III 589, in IV 633 et iterum in VIII, in XII etc.[2]). Saeculo V formula *Filioque* permanavit ad Francos, saeculo VIII ad Germanos. Paulinus Aquileensis patriarcha defendit verbum *Filioque* et suscepit in Synodo Foro-Juliensi 796[3]); item *Libri Carolini*, Alcuini opus *De processione S° Spiritus* et synodus habita Francofurti (794).

2⁰. Sententiarum dissensio oborta est, quum Egilbaldus et Felix, aulae Caroli Magni monachi, rediissent ad suum in monte Oliveti Latinum monasterium atque in Missa symbolo

---

[1]) De Agobardo vide Zeitschrift für wissenschaftl. Theol. 1898, p. 526 sq. vel *J. B. Martin*, art. Agobard in Dict. de théol. cath.

[2]) *Hefele*, II, 305—307; III, 48.

[3]) Ibd., III, 718—719.

adderent *Filioque*. Increpati a monacho quodam S[i] Sabbae, quod est prope Hierosolymas monasterium, haeretici quoque compellati atque ab orientalibus convitiis exacti, provocarunt ad Latinae Ecclesiae usum. Dein ad Leonem III papam scripserunt, referentes hanc vigere consuetudinem in sacello aulico Aquisgrani, supplicaruntque pontificem ut de re inquireret. Qui a Carolo petiit, ut monachorum tutelam susciperet addiditque „*Credimus Spiritum a Patre et a Filio aequaliter procedentem*"[1]). Tum Theodulpho Aurelianensi mandavit Carolus ut librum scriberet *De Spiritu Sancto*[2]), et anno 809 Aquisgranum amplissimam synodum coegit, qua accurate defensum est rectum dogma. Non tamen patet utrum synodus praescripserit, ut adderetur symbolo Nicaeno-Constantinopolitano verbum *Filioque*. At Leo III in Synodo Romana 810, licet laudaverit valde acta synodi Aquisgranensis, vetuit tamen verbum *Filioque* addi symbolo, reddiditque rationem hanc, patres synodorum oecumenicarum, qui sane idem credidissent, noluisse tamen neque ipsos addere, neque ab aliis quidquam addi symbolis, „*novum ultra symbolum*, inquiens, *a quoquam qualibet necessitate seu salvandi homines devotione condere*, *et in veteribus tollendo*, *addendo mutandove quidquam inserere*". Non quae necessaria sunt ad salutem, inquiebat, omnia in symbolo sunt ponenda; insuper, ad evitandam admirationem, quae fortasse expungendo *Filioque* moveretur, permisit ut omitteretur symbolum in Missa, eo quod etiam Romae non cantaretur. Galli tamen, sicut antea, postea quoque symbolum, addentes nimirum *Filioque*, cantaverunt. Leo III in ecclesia *S. Petri* grandes titulos argenteos duos appendit, quibus symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum sine *Filioque* Graece et Latine fuit incisum. Saeculo autem X, quum refragantes Graeci non amplius timerentur, Benedictus VIII (1012—1024) vocem *Filioque* ad symbolum addidit.

---

[1]) Vide epistolas cum Leonis III symbolo apud *Migne*, P. L., Tom. 129, 1257—1262.

[2]) *Migne*, P. L., Tom. 105.

§ 72. **Adoptianismus.**

Enhuber et *Frobenius*, Dissertationes in opera Alcuini, *Migni*, P. L., Tom. 101, 87—438. *Gams*, Kirchengeschichte von Spanien, II, 2, p. 261—296. *Schwane*, Dogmengeschichte, III (2 Aufl.), p. 277 sq. *Hefele*, Concil., III, 642 sq. *E. H. Limborgh*, Alcuinus als bestrijder van het Adoptianisme, Groningen 1901. *H. Quillet*, Art. Adoptianisme in Dict. de théol. cath.

1°. **Adoptianismus** distinguebat Verbum aeternum, qui *naturalis* Dei Filius est, a Filio Mariae, quem solum *adoptivum* Dei Filium habebant. Eo autem quod unus idemque non potest ejusdem Patris simul esse naturalis Filius et adoptivus, debuerunt in Christo duas personas admittere. Quod consequens, etsi a sectariis non colligeretur, jam tamen ab initio patuit doctrinam adoptianorum non esse nisi fucatum Nestorianismum[1]). Ut purgarent se, haeretici, filiationem perperam naturae ascribebant, dicebantque in Christo esse duas naturas, adeoque duos filios, naturalem unum, alterum adoptivum.

2°. Doctrinam hanc propagarunt praesertim Elipandus, archiepiscopus Toletanus, et Felix episcopus Urgelitanus. Uter ex iis prior errorem docuerit, non patet. Videtur Elipandus in errorem incidisse quum impugnaret Migetium quemdam, qui docebat triplicem Dei revelationem Sabellianam, Patris in Davide, Filii in Christo, S. Spiritus in Paulo[2]). Oppugnatores primi fuerunt S. Beatus, Libanensis abbas et Eutherius Osmensis, qui tamen ab adoptianis obruti sunt conviitiis et contumeliis. Interea vagabatur error et mox Romae quoque innotuit. Hadrianus papa, anno 785, gravissimam epistolam misit ad episcopos Hispaniae[3]). Utrum synodus Narbonensis anno 788 damnaverit adoptianismum et Felix Urgelitanus se subjecerit, valde dubium est. At anno 792 Carolus Magnus Ratisbonam synodum convocavit, in qua, praeter multos e Germania et Italia episcopos, etiam interfuit Felix Urgelitanus e provincia Hispanica[4]). Qui, ejurato

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 96, p. 827, Epist. Elip. ad Albinum (Alcuinum). Cf. *Hefele*, III, 644 sq.

[2]) *Hefele*, III, 629.

[3]) *Migne*, P. L., Tom. 96, p. 373 sq.

[4]) *Einhard*, Annales, *Pertz*, Script., I, 179.

errore missus est Romam, ubi etiam falsam suam doctrinam cum juramento repudiavit. At redux in Hispania, errorem recepit. Quo facto, Alcuinus ad eum scripsit *Epistolam exhortatoriam*, ut ab haeresi recederet[1]). Iterum anno 794 Francofurti adoptianismus examinatus est et damnatus. Ad quem refellendum plurima opera scripsit Alcuinus[2]). In synodo anno 799 Aquisgrani habita, Felix Urgelitanus postquam cum Alcuino sex dies disputaverat, tandem se subjecit. Cum Elipando error evanuit[3]).

---

§ 73. **Gotteschalcus et controversia de praedestinatione.**

Gaudard, Gottschalk, moine d'Orbais, ou le commencement de la controverse sur la prédestination au IX siècle, Paris 1887. *Borrasch*, Der Mönch Gottschalk, sein Leben und seine Lehre, Thorn 1868. *Freystedt*, Zeitschrift für Kirchengesch. 1897—1898. *Schwane*, Dogmengeschichte, II, 428 sq. *Harnack*, Dogmengeschichte (3e Aufl.), III, 269 sq. *Hefele*, Concil., IV, 130 sq. *Schrörs*, Hinkmar von Reims, Freiburg 1884.

1°. **Gotteschalcus,** Bernonis comitis Saxoniae filius, puer susceptus est *oblatus* in monasterio Fuldensi. Adultus recedere a monasterio voluit, quod non libero arbitrio suum ipse statum elegisset. Synodus Moguntina 829 permisit. Cui se opposuit doctus vir Rabanus Maurus, Fuldensis abbas. Provocavit ad imperatorem conatusque est demonstrare[4]) eum, qui a parentibus monasterio esset datus (oblatus), in monasterio etiam invitum debere perseverare. Itaque Gotteschalcus mansit, sed translatus est in monasterium Orbacense dioecesis Suessionensis. Ibi versatus, studendo operibus Augustini et Fulgentii, nec rite horum auctorem mentem perspiciens, ad hanc doctrinam devenit: esse duplicem praedestinationem, ad vitam alteram, alteram ad mortem; ad bonum et ad malum. Praedestinatum ad mortem non posse se de errore et peccato ad vitam convertere; qui redemptus sit, neminem periturum; qui pereant, non fuisse redemptos nec pertinuisse ad Ecclesiam; pro istis sacramenta

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 101, p. 252.
[2]) Ibid.
[3]) *Denzinger*, Ed. X, N°. 299, 309—315.
[4]) De oblatione puerorum, *Migne*, P. L., Tom. 107, p. 419 sq.

esse caerimonias inanes; doctrinam, juxta quam Deus velit omnes homines salvos fieri, de solis praedestinatis esse intelligendam[1]).

2⁰. Annis 847—848 peregrinatus est Gotteschalcus Romam, unde revertens degit apud Eberhardum, comitem Foro-Juliensem. Ubi conatus est Notingum, futurum episcopum Brixiensem ad suam sententiam pertrahere. Is autem scripsit ad Rabanum Maurum, tum archiepiscopum Moguntinum, qui dein composuit librum *De praedestinatione*[2]), praeposita praefatione ad Notingum. Gotteschalcus in synodis Moguntina (848) et Carisiaca (849) damnatus, cum recedere nollet, ab hac monasterio est inclusus. Hincmarus Rhemensis, in cujus dioecesis monasterio Gotteschalcus degebat, conatus est duplicem ejus praedestinationem refutare, scripto suo libro *Ad reclusos et simplices*[3]). At frustra. Gotteschalcus mansit in errore suo, et mortuus est 868.

3⁰. Quo Hincmari interventu occasionem nactus, Ratramnus quoque Corbejensis ad scribendum se composuit et brevi ingens exorta est controversia, in qua ab altera parte stabant Hincmarus Rhemensis, Rabanus Maurus et Pardulus Laodunensis (Laon), ab altera Ratramnus, Prudentius Trecensis et Lupus Ferrariensis (Ferrières). Horum virorum doctorum nullus quidem erroribus Gotteschalci inhaerebat; attamen hi defendebant *duplicem* praedestinationem, illi vero *simplicem*. Aliorum quoque Hincmarus sententiam rogavit, prae reliquis Scoti Erigenae, qui deinde scripsit opus suum *De praedestinatione*[4]), multa minus recta continens. Hincmarus interea synodum coegit Carisiacensem (853), quae has quatuor theses probavit:

Quod una tantum sit praedestinatio Dei.
Quod liberum arbitrium per gratiam sanetur.
Quod Deus omnes homines velit salvos fieri.
Quod Christus pro omnibus hominibus passus sit[5]).

Quo tamen facto pax nondum restituta est. Anno 855 habita

---

[1]) *Mansi*, XIV, p. 914.
[2]) *Migne*, P. L., Tom. 112, p. 1530 sq.
[3]) Zeitschrift f. Kirchengeschichte, X (1890), 258—390, in quo prima hujus libri editio.
[4]) *Migne*, P. L., Tom. 122, p. 355 sq.
[5]) *Hefele*, IV, 187. Cf. *Denzinger*, Ed. IX, p. 96 sq. Ed. X, N⁰. 316—320.

est synodus Valentina[1]), quae plura Scoti Erigenae et synodi Carisiacensis effata rejecit; anno 859 synodus Lingonensis[2]), in qua Valentinae decreta partim sunt revocata. Neque synodus Tullensis I apud Saponarias anno 859 convocata, concordiam adducere valuit. Tum scripsit Hincmarus librum *De praedestinatione Dei et libero arbitrio*[3]), in quo concessit duplicem esse praedestinationem, alio tamen sensu quam Gotteschalcus docuerat. Hincmaro auctore recte dicitur: *electi praedestinati sunt ad vitam et vita illis*"; et: „*poena praedestinata est reprobis*", perperam vero: „*reprobi ad poenam*". Anno 860, in synodo Tullensi II apud Dusiacam non quidem sententiarum de praedestinatione concordia, sed tamen pax instaurata est. Hincmari *Epistola synodalis*[4]) probata est, quae, omisso discordiae argumento, sententias tantum ab utraque parte admissas referebat.

---

§ 74. Controversia de Eucharistia.

Choisy, Pascase Radbert. Etude historique, Genève 1888. *Martin*, Ratramne. Une conception de la cène au IX siècle, Toulouse 1891. *Ernst*, Die Lehre des H. Paschasius Radbertus von der Eucharistie, Freiburg 1896. *Schwane*, Dogmengeschichte, III, 628 sq. *A. Naegle*, Ratramnus und die H. Eucharistie, Wien 1903. *Batiffol*, Etudes d'hist. et de théol. positive, 2e Série, 3e édit., p. 351.

1°. De **S. Eucharistia** quoque oborta est saec. IX controversia. Non agebatur de hoc, utrum Christus sit praesens in S. Eucharistia, sed tantum quo modo in ea maneat. S. Paschasius Radbertus, monachus et postea abbas monasterii Corbejensis veteris (844—851), in gratiam monachorum monasterii Corbejensis novi, et ad instruendos Saxones librum scripsit *De corpore et sanguine Domini*[5]). Rectissime docebat de S. Mysterio, inter alia „*et ut mirabilius loquar*, inquiens, *non alia plane* (*caro*), *quam quae nata est de Maria et passa in cruce et resurrexit de*

---

[1]) *Mansi*, XV, 1 sq. *Denzinger*, Ed. IX, p. 97 sq. Ed. X, N⁰. 320—326.
[2]) *Mansi*, XV,537.
[3]) *Migne*, P. L., Tom. 125.
[4]) *Hincmar*, Epist. 21, apud *Migne*, Tom. 126, p. 122 sq.
[5]) *Migne*, P. L., Tom. 120, p, 1267—1269.

sepulchro" (Cap. 1.). Anno autem circiter 853, Rabanus Maurus ad Egilum abbatem Prumiensem misit librum, quo impugnavit sententiam Radberti, dicens corpus Christi in S. Sacramento vere quidem (*naturaliter*) idem esse atque illud quod sit ex Maria natum, sed non forma et figura (specialiter) idem [1]). Cui doctrinae contrarium licet nihil scripsisset Radbertus, nonnullis tamen videbatur una alterave ab eo usurpata expressio posse dubium ingerere atque capharnaiticam sententiam inducere, quasi *species visibiles* essent Christi corpus [2]). Utrum Scotus Erigena contra eum scripserit, in comperto non est. Certo tamen Scotus falsa multa de S. Eucharistia dixit. Teste Hincmaro asseruit „*quod sacramentum altaris non verum corpus et verus sanguis sit Domini, sed tantum memoria veri corporis et sanguinis ejus*" [3]). Etiam ab aliis Scotus accusatus est [4]).

2⁰. Ratramnus, Corbejensis monasterii veteris monachus, sicut Paschasius Radbertus, adversus hunc edidit librum *De corpore et sanguine Domini* [5]) quo distinguit *spectabilem* praesentiam Christi a *sacramentali*, opponit *figuram veritati sacramenti*, urgetque formalem differentiam corporis Christi *physici* et *eucharistici*. Obscurus est Ratramni sermo. Neque adversariorum nec ejus ipsius mens atque sensentia e scriptis certo erui potest. De ejus orthodoxia diu est certatum. Gerbertus, postea Silvester II papa, enumerans varias hujus controversiae sententias, etiam hanc refert, *corpus Christi eucharisticum* sicuti alia alimenta digeri (stercorianismus). Quam sententiam defendisse ferunt, quod tamen fortasse verum non est, Amalarium Metensem [6]).

---

[1]) Dicta cujusdam sapientis de corpore et sanguine Christi, *Migne*, P. L., Tom. 112, p. 1510, 1540. *Dom Morin*, Revue Bénédictine, Janv. 1908.

[2]) Cf. *Franzelin*, De Euchar. Thes. 10.

[3]) *Hincmar*, De praedestinatione, c. 31.

[4]) *Adrewaldus*, De corpore et sanguine Christi, *Migne*, P. L., Tom. 124.

[5]) Ibd., Tom. 121, p. 403 sq.

[6]) *Silvester*, Libellus de corpore et sanguine Domini, *Migne*, P. L., Tom. 139, p. 177—188.

§ 75. Berengarii Turonensis error.

Schnitzer, Berengar von Tours, sein Leben und seine Lehre, München 1890. *C. Bottemanne*, Berengarius van Tours, De Katholiek, Deel 34—40 (1858—1861). Bigginelli, La rinascenza degli studi eucaristici nel medio evo in occasione dell' eresia di Berengario, Compte rendu du IV congrès international etc.: Sciences relig., Fribourg 1898, p. 19 sq. *Renaudin*, L'hérésie de Bérenger, Paris 1902. *F. Vernet*, art. Bérenger de Tours in Dict. de théol. cath. *O. Delarc*, Les origines de l'hérésie de Bérenger. Rev. des quest. hist., Tom. XX (1876), p. 115—155.

1°. **Berengarius,** ortu Turonensis, ab anno 1031 canonicus-scholaster ecclesiae ibidem *S. Martini*, et anno 1040 archidiaconus Andegavensis, oppugnavit Paschasium Radbertum, defenditque Scotum Erigenam. Prorsus negavit realem Christi in SS. Sacramento praesentiam. Teste Guitmundo jam 1046 docebat: „*Eucharistiam Domini non esse vere substantialiterque corpus et sanguinem Domini, sed sola voce sic appellari, pro eo quod tanquam umbra et figura significativa sit corporis et sanguinis Domini*[1]). Utrum Berengarius per aliquod tempus docuerit impanationem, non est adeo certum[2]). Admonitus fuit primum ab Adelmano suo condiscipulo, scholastico Leodiensi, futuro episcopo Brixiensi[3]) (1046); dein ab Hugone episcopo Lingonensi[4]). Frustra: pertinax Berengarius scripsit adversus Lanfrancum Beccensem[5]). Tunc in synodo paschali Romana, anno 1050, damnatus est[6]). Quod quidem adeo moleste tulit Berengarius, ut adhuc 1073, quum scriberet librum suum *De sacra coena*[7]), acerbissimis verbis id vituperaverit. Eodem anno 1050 accitus in synodum Vercellensem,

---

[1]) De corporis et sanguinis Christi veritate etc. *Migne*, P. L., Tom. 149, p. 1430.

[2]) *Guitmundus*, l. c. Dicunt ibi corpus et sanguinem Domini revera sed latenter contineri, et ut sumi possint quodammodo, ut ita dixerim, *impanari*. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam aiunt."

[3]) *Migne*, P. L., Tom. 143, p. 1289. Epistola scripta est 1048.

[4]) Tractatus de corpore et sanguine Christi contra Berengarium, *Migne*, P. L., Tom. 142, p. 1325.

[5]) Pervenit ad me, apud Mansi, XIX, 768.

[6]) *Lanfranc*, De corpore et sanguine Domini adv. Berengarium. *Migne*, P. L., Tom. 150, p. 407 sq.

[7]) Ed. *Vischer*, Berolini 1834.

ab Henrico I, Galliae rege, custodiae inclusus et damnatus est. Synodus Parisiensis 1051 eum iterum damnavit vel mortem ei minitans. Tamen perrexit defendere, doctrinam suam rectae fidei non esse adversam.

2⁰. Anno 1054 Hildebrandus, Leonis IX legatus, venit Turones, quo facto Berengarius se sistens synodo errorem ejuravit et huic sententiae subscripsit: „*Panis et vinum post consecrationem sunt corpus et sanguis Christi*". Non tamen stetit in veritate. Anno 1059 vocatus in synodum Romanam, cui praesidebat Nicolaus II papa, scite errorem dissimulare conatus est. At postulabatur ab eo, ut falsam doctrinam rejiceret et scripta ejus exurerentur. Tum denuo subscripsit juratus formulae, ab Humberto cardinali compositae, in qua inter alia haec occurrebant: „*post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini Jesu Christi esse, et sensualiter non solum sacramento sed in veritate, manibus sacerdotum tractari et frangi et fidelium dentibus atteri*" [1]). Mox tamen iterum ad errorem regressus est Berengarius, unde vehemens nata est controversia. Lanfrancus [2]), Guitmundus [3]) et Durandus [4]) hominem haereticum impugnaverunt, qui tunc scripsit librum *De sacra coena* suamque factam confessionem revocavit (circa annum 1073). Saepius damnatus et iterum in episcoporum Galliae judicium vocatus, appellavit Berengarius ad Gregorium VII.

3⁰. Praeclarus Papa senem octogenarium accivit Romam, et benigne tractavit, praesertim quod conquestus esset Berengarius, se in Gallia tutum esse non posse. In synodo 1078 subscripsit confessioni, a seipso confectae, et in synodo quadragesimali 1079 formulae sibi propositae [5]). Prae hac subscriptione durior ei fuit confessio, se in doctrina de SS. Eucharistia usque ad hunc diem erravisse. Postea conquestus est, Papam sibi benevolum, ab episcopis sibi infensis ad haec inductum fuisse. Semel iterum se sistere debuit synodo Burdigalensi 1080, quo

---

[1]) *Lanfranc*, De corpore et sanguine Domini, *Migne*, P. L., Tom. 150, p. 410, 415. Vide hanc formulam defensam apud Franzelin, Thes. XIV, Schol. 1.

[2]) *Migne*, Tom. 150, p. 407 sq.

[3]) Ibid., Tom. 149, p. 1427 sq.

[4]) Ibid., Tom. 149, p. 1374 sq.

[5]) *Denzinger*, Ed. IX, p. 104—105, Ed. X, N⁰. 355.

facto a recta fide amplius non aberravit. Recepit se in insulam S[i] Cosmae prope Turones, ibique poenitens fere nonagenarius obiit 1088. Discipuli ejus nonnulli haeresim aliquamdiu propagare conati sunt, alii in alias sententias abeuntes. At successum non habuerunt. Mox error plane exstinctus est[1]).

---

§ 76. Pauliciani et Bogomili.

Euthymius Zigabenus, Panoplia dogmatum, tit. 24—25 apud *Migne*, P. G., Tom. 130, p. 1189 sq. *Petrus Siculus*, Hist. Manichaeorum, P. G., Tom. 104, p. 1240—1304. *Photius*, Contra Manichaeos (Paulicianos), libri IV, *Migne*, P. G., Tom. 102, p. 9 sq. *Döllinger*, Beiträge zur Sektengeschichte des Mittelalters, I, München 1890, p. 1—51. *Hergenröther*, Photius, Bd. I—II. Muséon, revue des religions, Tom. XIV (1897), p. 68 sq. *Louis Léger*, L'hérésie des Bogomiles en Bosnie et en Bulgarie au moyen-âge, Revue des questions hist., 1870, Tom. VIII, p. 479 sq. *J. Pargoire*, l'Eglise Byzantine de 527—847, 2e éd., Paris 1905, p. 284.

1°. **Pauliciani** originem ducunt e veteri Manichaeismo, et in varias paulatim sectas digressi sunt. Antiqua narratio est, sectae fundatores fuisse Joannem et Paulum, Callinicae mulieris Manichaeae filios. Anno circiter 660 novus sectae vigor additus est a Constantino quodam, Mananali prope Samosaten oriundo. Magno is honore habebat Paulum apostolum. Se ipse Silvanum appellabat, Pauli discipulum, et primum sectae suae coetum vocabat Macedoniam. Persecutionem ab imperatoribus Graecis passi, tamen numero augebantur. Saeculo IX denuo in partes divisi sunt quum Sergius et Baanes cum sequacibus se in vicem impugnarent (Baanitae et Sergiotae). Priores fundatorem imitabantur omni libidinis intemperantia, dum contra Sergiotae conarentur non tantum verbis sed etiam armis sectam purgando reformare. Quum Leo V Armenus gravissime in eos decrevisset, fugerunt ad Saracenos cum quibus Graecos molestabant. Substiterunt tamen in imperio orientali usque ad saeculum XI, quum Alexius I Comnenus (1081—1118) denuo persequens eos simul conatus est convertere. Unde nomen habeant, dissentiunt auctores, aliis eorum fundatores, aliis Paulum apostolum referentibus.

---

[1]) *Guitmundus*, De corpore et sanguine Christi, *Migne*, Tom. 149, p. 1427 sq.

2°. Caput doctrinae putidus fuit dualismus: supremus Deus et *demiurgus*. Hic materiam formavit, quae sit vel propter hoc ipsum despicienda. Laudabant primum (Adae) peccatum, quod esset principii mali impugnatio, cujus opus nimirum vetus Testamentum, contemnebant. Mariam matrem esse Dei negabant, eo quod Christus speciem solam corporis assumpsisset (docetae). Deerat cultus externus, sectaeque mores erant abominabiles. Vel in conventu religioso turpissimae libidini indulgebant.

3°. Ineunte saeculo IX simul apparuerunt **Bogomili,** hoc nomine vocati vel ab eorum prece *Bog milui* (Miserere Deus) vel, ex aliorum sententia, ab eorum sacerdote et fundatore Bogumil (amicus Dei). Ab Euchitis oriundi, et ipsi cognatione cum Manichaeis conjuncti fuerunt. Praecipue inter Slavonicas gentes propagari conati sunt. Alexius Comnenus imperator Basilium medicum, sectae caput, damnavit ut igni cremaretur, sectamque vi et poenis oppressit[1]).

4°. Docebant, Dei esse filios duos, primogenitum Satanael qui regebat mundum, sed adversus patrem rebellavit, ac propterea cum asseclis e caelo ejectus est. Is novum tunc formavit mundum et ex invidia corrupit homines. Anno 5500 alter Dei Filius comparuit, appellatus Michael vel Jesus Christus. Is vicit Satanaelem eumque fecit esse Satan, rediit deinde ad dextram Patris et misit Spiritum Sanctum, qui habitat in Bogomilis, dum in reliquis hominibus habitet Satan. Membra sectae fiebant baptismo Spiritus, i. e. impositis manibus et invocato Spiritu S°. Respuebant sacramenta omnia, omnesque precationes, praeter *Pater Noster*; insuper totam Bibliam rejiciebant exceptis psalmis, prophetis et Joannis Evangelio. Vetabant connubia esumque carnium.

---

[1]) *Vacandard*, Les origines de l'hérésie Albigeoise. Revue des quest. hist. 1894, I, p. 50 sq. *F. Vernet*, art. Bogomiles in Dict. de Théol. cath.

§ 77. Photius et schismatis orientalis praeparatio.

Hergenröther, Photius, Patriarch von Constantinopel. Sein Leben, seine Schriften und das griechische Schisma, III Bde et I Bd. Monumenta Graeca ad Photium ejusque historiam pertinentia, Regensburg 1867—1869. *Hefele*, Concil., IV, 228 sq., 269 sq., 333 sq., 352 sq., 384 sq., 436 sq. *Bréhier*, Le schisme oriental du XI siècle, Paris 1899. *Seppelt*, Das Pabsttum und Byzanz, Kirchliche Abh. und Unters. von *Sdralek*, II, Breslau 1904.

1⁰. Numerosae Graecorum haereses, multorum Novae-Romae patriarcharum arrogantia atque ambitio, aversi invicem Graecorum et Latinorum animi, ardor litigantium de *canonibus Quinisexti*, de *Filioque* et de cultu imaginum, haec omnia gravissime labefactaverunt utriusque Ecclesiae, occidentalis et orientalis, concordiam. Inde a coronato Carolo Magno, imo vero inde a condito dominio papali, imperatores Graeci occidentem ab oriente sejunctum arbitrabantur. Increscente continuo aversione, saeculo IX, **Photio** patriarcha, inducta est separatio transiens, quae saeculo autem XI, patriarcha Caerulario, facta est perpetua.

2⁰. Methodio[1]) (842—846) patriarchae pie defuncto successit S. Ignatius[2]), filius Michaelis I (811—813) imperatoris. Vitae sanctitate eminens, gubernabat probe gregem suum. Vitia aulae minuere desiderans, Bardam, impium Theodorae imperatricis fratrem, publice incestuosum excommunicavit. Qui vindictam meditans, non solum Ignatium sed etiam imperatricem, admonitionum molestiis eum irritantem, perdere decrevit. Opem petiit a Gregorio Asbesta, archiepiscopo Syracusano, qui jam diu S. Ignatio infensus erat. Primum effecit Bardas ut Michael III, homo juvenis, matri suae Theodorae imperii gubernacula eriperet; dein Michaeli persuasit ut, auxiliante Ignatio, mater sua sororesque monasterio includerentur. Quod quum Ignatius renueret, conspirationis incriminatus et a sede sua recedere compulsus, quum id facere recusaret, in exsilium missus est Terebinthum (857).

[1]) Acta SS. Boll., Tom. III Jun., 960 sq. *Migne*, P. G., Tom. 100. Cf. *Pargoire*, l'Eglise Byzant., p. 271, 378.

[2]) Vita Ignatii, Acta SS. Boll., Tom. X Oct., p. 167—205. Cf. *S. Vailhé*, art. Constantinople (église de) in Dict. de théol. cath., praesertim, p. 1355 sq.

3°. Cujus loco Photius laicus, vir doctus sed ambitiosus et perfidus, patriarcha constitutus et a Gregorio Asbesta consecratus est. Primum novi patriarchae negotium fuit ut se de intrusione purgaret. Quare synodus, ab eo Constantinopolim coacta (859), ipso machinante, Ignatio, quasi adversus imperatorem conspiranti, nec legitime electo aut consecrato, patriarchatum abrogavit. Quae quamvis esset falsa incriminatio, Photius Romam misit legatos, qui a Nicolao I impetrarent ut ejus electio probaretur[1]). Qui imperatorem et Photium reprehendit, quod, despecta *canonum* auctoritate, laicum patriarcham constituerant[2]). Papae legati duo, de negotio Constantinopoli inquirentes, arte subdola circumventi, auro et minis ad Photii partes traducti sunt; quo facto, praesidentibus his legatis, synodus episcoporum 318 Ignatium dejecit et confirmavit Photium. Hic callidam humilemque epistolam misit ad Nicolaum I[3]), qui tamen fuerat jam ab Ignatio et metropolitis *decem* melius edoctus. Coacta synodo Romana (862), Papa reprobavit dejectionem Ignatii et Photii evectionem[4]), excommunicavit suos ipse legatos et altera synodo (863) eandem poenam Photio minitatus est, nisi Ignatius restitueretur[5]). Facile intelligitur, multum abfuisse ut omnes episcopi perfidum Photium sequerentur. Praeeunte Metrophane Smyrnensi, mox multi falsum patriarcham damnarunt, qui vice sua adversarios excommunicavit. Ut tristissimum hoc negotium componeret, Nicolaus I utramque partem Romam convocavit[6]). At responsum accepit a Michaele imperatore per epistolam contumeliosam.

Auctae angustiae sunt, Bulgaris se Papae adjungentibus. Tum infamis illa Photii „*Encyclica epistola ad archiepiscopales thronos per orientem*[7]) missa est, qua omnis generis accusationes congesserat in Ecclesiam occidentalem: Latinos jejunare die sab-

---

[1]) Epist. I Photii, *Migne*, P. G., Tom. 102, p. 586. Cf. *Duchesne*, Eglises séparées, p. 218 sq.

[2]) *Jaffé*, Ed. 2, N°. 2682, 2683. Egerat Photius contra praeceptum can. 10 Sardicensis.

[3]) Epist. II, *Migne*, ibid., p. 593.

[4]) *Jaffé*, N°. 2691, 2692.

[5]) *Jaffé*, N°. 2736.

[6]) *Jaffé*, N°. 2796, 2797.

[7]) *Migne*, P. G., Tom. 102, p. 221 sq.

bathi, eos lacticiniorum usum permittere prima Quadragesimae hebdomade, contemnere sacerdotes matrimonio junctos, non permittere presbyteris sacramentum confirmationis conferre, offerre agnum in Paschate; clericos barbam radere; conficere chrisma cum aqua fluminis, conferre consecrationem episcopalem diaconis, non interposito sacerdotio, et alia hujusmodi. Per eandem epistolam convocavit Constantinopolim episcopos Photius, cum quorum synodo (867) Papam excommunicavit. Nicolaus I, funestas metuens controversiae sequelas, Hincmari aliorumque occidentis episcoporum rogavit sententiam de Graecorum incriminationibus[1]). E pluribus, quae data sunt, responsis duo libri supersunt, alter Aeneae Parisiensis († 870) *Liber adversus Graecos*[2]), alter Ratramni *Contra Graecorum opposita Romanam Ecclesiam infamantia*[3]).

4⁰. Anno 867 Michael III, Photii patronus, a Basilio I Macedone imperio dejectus et caesus est. Quo facto etiam Photius expulsus ejusque loco Ignatius est restitutus. Is tamen, a synodo ejectus, noluit ad sedem redire nisi interposita Papae auctoritate. Quare imperator, convocare synodum generalem desiderans, legatos Romam misit. Consensit Hadrianus II (867—872), missisque suis legatis cum epistolis decretalibus[4]) anno 869 **concilium oecumenicum VIII,** Constantinopolitanum IV, convenit[5]). Quo confirmata sunt priorum synodorum generalium decreta, Hadriani papae litterae receptae, Photius in contumacia perseverans damnatus et Ignatius restitutus est. Unitate hoc modo iterum composita, tamen Graecorum ambitio et ab occidente aversio perseveravit. Quod quidem in ipso concilio patuit. Etenim, dum subscribebant episcopi formulae subjectionis S^ae^ Sedi, conquesti sunt suam Ecclesiam factam esse Romanae Ecclesiae servam, atque aegre tulerunt, decreta valida non haberi nisi a Papa confirmarentur. Quod tamen praecipue paci obstitit fuit, quod, occasione hujus concilii, Bulgari patriarchatui Constantinopolitano subjecti sunt. Id adeo moleste tulit Joannes VIII (872—882) papa, ut Ignatio

---

[1]) *Jaffé*, N⁰. 2879.
[2]) *Migne*, P. L., Tom. 121, p. 225 sq.
[3]) Ibid., p. 685 sq.
[4]) *Jaffé*, N⁰. 2913, 2914.
[5]) Acta apud *Mansi*, XVI, 1 sq. *M. Jugie*, Art. Constantinople (IV Concile de) in Dict. de théol. cath.

poenam ejectionis et excommunicationis minitatus sit[1]). Quae litterae quum mitterentur, Ignatius obierat et Photius iterum recepit sedem patriarchalem (877).

5⁰. Is enim, licet ejectus et damnatus, tamen factione plurima defendebatur et post aliquod tempus gratiam imperatoris recuperavit, ita ut ei imperatoris filii instruendi sint traditi. Quare mirum non est, eum, defuncto Ignatio, in sedem patriarchalem iterum esse collocatum. Brevi post pervenerunt Constantinopolim Papae legati cum litteris minatoriis ad Ignatium. Noluerunt communicare cum Photio. Qui scripsit ad Joannem VIII, petens ne sua evectio reprobaretur. Facto stetit Papa ea lege, ut Photius in synodo suam culpam agnosceret et Bulgaros redderet patriarchatui Romano[2]). At Photius has Papae conditiones adulteravit, quod ita valuit exsequi, quia Petrus, cardinalis legatus, sermonis Graeci erat ignarus. Dein coacta 879 synodo, reprobandam suam dejectionem curavit, abolenda quaecumque a concilio VIII contra eum essent decreta, ejicienda quae Nicaeno-Constantinopolitano essent adjecta, atque hoc ipso damnandum *Filioque.*

Legati tamen sibi quasi de magno successu plauserunt, licet in ipsis acclamationibus Photius suum ipsius nomen Papae praeposuerit: *Photio et Joanni multos annos!* Joannes VIII, fraudis ignarus[3]), initio se valde benevolum praebuit. Paulo post tempore Marinum episcopum legatum misit. Qui, prius dies 30 in carcere clausus, postea redire debuit, omni successu frustratus. Tum Papa solemniter, coram populo, in Ecclesia S. Petri congregato, contumacem patriarcham damnavit. Attamen tutum se sciebat Photius, patrono Basilio imperatore, quem blanditiis sibi obligabat. Bulgarorum, Chazarorum, Armenorum et Saracenorum conversioni incubuit. At defuncto Basilio, anno 886, succedens Leo VI (886—912) Photium dejecit clausitque in monasterio, in quo mortuus est 891.

6⁰. Nec tamen sic inter *Photianos* et *Ignatianos* pax composita est neque orientis et occidentis unio instaurata. Annis 905—912 fervens tristissima controversia **tetragamiae**[4]) rerum angustias

---

[1]) *Jaffé,* N⁰. 3133—3135. *S. Vailhé,* Art. Bulgarie in Dict. de théol. cath.

[2]) *Jaffé,* N⁰. 3271—3273

[3]) *Jaffé,* N⁰. 3322—3323.

[4]) *A. Rambaud,* L'empire Grec au X siècle, Constantin Porphyrogénète, Paris 1870. *J. Gay,* L'Italie méridionale et l'empire Byzantin, 867—1071, Paris 1904.

non parum auxit. Etenim Leo VI unam post alteram uxorem duxit Theophano, Zoe, Eudokiam et Zoe Karbonopsynen. Ex hac natus est ei filius Constantinus Porphyrogenitus. Ex Graecae Ecclesiae disciplina Nicolaus Mysticus patriarcha *quartas* has nuptias reprobavit et excommunicavit imperatorem. Propter quod Nicolaus ejectus et ejus loco Euthymius evectus est. Interea imperator provocavit ad Sergium III Papam. Qui matrimonium esse validum declaravit eo quod nulla universali lege ecclesiastica esset vetitum, et satius videretur dispensari in disciplina Graeca, quod imperatori e superioribus connubiis filius non esset natus. Inde tamen Constantinopoli aversio a Roma acrior reddita est. In factiones duas distinguebantur, in *Nicolaitas*, qui Romanam dispensationem reprobabant, et *Euthymianos*, qui defendebant.

---

§ 78. Graecum Schisma consummatum.

Bréhier, Le schisme oriental du XI siècle, Paris 1899. *Duchesne*, Autonomies ecclésiastiques. Eglises séparées. 3e éd., Paris 1905. *Hefele*, Zur Geschichte der griechischen Kirche. Beiträge, I, 412 sq. *Hergenröther*, Photius, III, 730 sq. Acta SS. Boll., Tom. I Augusti: de patriarchis Constantinopolitanis. *W. Norden*, Das Papsttum und Byzanz. Die Trennung der beiden Mächte und das Problem ihrer Wiedervereinigung bis zum Untergange des Byzantinischen Reichs (1453), Berlin 1903.

1⁰. Ab altera Photii dejectione usque ad medium saeculum XI inter orientem et occidentem neque pax fuit neque apertum dissidium. Neo-electi patriarchae suam fidei confessionem ad Papam mittebant, ejus hinc inde rogabant sententiam, ejusque nomen in Canone Missae vocabant. Aversio tamen non est exstincta, imo vero saepius atque consulto excitata. Sisinnius II († 999) et, qui ei successerat, Sergius II († 1019), patriarchae, iterum protulerunt litteras Photii encyclicas contra Latinos Graecorumque animos in dies vehementius irritaverunt. Alii duo, quod arroganter egissent in S. Sedem, humiliati sunt. Primus erat Polyeuctus († 970), qui archiepiscopum Hydruntinum constituit metropolitam super episcopos quinque interdixitque ne in Italia Meridionali uterentur ritu Latino. Alter vero

Eustathius (†1025) auro conatus est a Joanne XIX papa obtinere appellationem *Patriarchae oecumenici*. Quorum precum denegationem aegerrime tulit Graeca superbia.

2⁰. **Michaele Caerulario** patriarcha (1043—1058), viro exigui ingenii et litterarum ignaro, consummatum schisma est. Anno 1053 omnes Constantinopoli ecclesias Latinas occlusit, monachosque Latinos, qui ritum Graecum sequi renuerunt, monasteriis expulit. Cum furore fanatico ea res acta est. Nicephorus *sacellarius* eo ferociae devenit, ut hostias a Latinis consecratas pedibus conculcaret dicens eas, utpote e pane azymo, esse invalide consecratas. Simul, jussu Caerularii, Bulgarorum episcopus Leo Achridensis ad Joannem Tranensem in Apulia epistolam misit, acerbissime Latinis exprobrantem eos uti pane azymo in Missa, jejunare die Sabbathi, manducare carnes cum sanguine suffocatorum animalium, et non usurpare *Alleluja* tempore Quadragesimae [1]). Publice etiam a Niceta monacho improbata est vigens in occidente lex coelibatus aliaeque consuetudines. Uberrimis litteris Leo IX (1049—1054) Caerulario respondit, reprehenditque ejus difficilem arrogantiam in Ecclesiam Romanam [2]). Qui tum reconciliatae gratiae epistolas ad Papam misit; at videtur hoc unice fecisse urgente Constantino IX imperatore, qui pacem dirimi noluisset. Mox missi sunt Constantinopolim Papae legati: Humbertus cardinalis, Fredericus cancellarius et Petrus Amalphitanus episcopus [3]). Quorum primus Graecis minime acceptus fuit eo quod antea non solum scripta Nicetae monachi refutarat, sed etiam reprehenderat Graecos, Graecam caelibatus legem improbarat, eosque, quod rejecissent *Filioque*, Macedonianismi crimine accusarat [4]).

Tractare cum legatis noluit arrogans patriarcha ecclesiasque, in quibus celebrabant, interdicto subjecit. Nicetas vero monachus, publica controversia convictus, ad recte sentiendum reversus est. Legati autem, perspicientes Caerularii contumaciam in dies roborari, die 16 Julio 1054 in altare *Hagiae Sophiae* deposuerunt litteras excommunicantes patriarcham,

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 143, p. 929—932.

[2]) *Jaffé*, N⁰. 4302.

[3]) Ibid., N⁰. 4332, 4333.

[4]) *Hergenröther*, Photius, III, p. 742.

Leonem Achridensem, Nicephorum eorumque fautores. Neque tum resipuit Caerularius, licet imperator omni ope conatus sit pacem componere.

3⁰. Profectis legatis, coacta est synodus, in qua litteras encyclicas Photii iterum retulit Caerularius, novasque iis querelas adjecit: episcopos occidentis annulum digito aptare, bellis interesse et barbam non nutrire; Latinos baptizare una immersione, baptizando sal ori imponere, non colere imagines et Sanctorum reliquias; Gregorium Nazianzenum, Basilium et Chrysostomum non inter sanctos retulisse, neque eorum doctrinam admittere; in occidente licitum haberi, ut duo fratres ducerent duas sorores. Frustra Petrus Antiochenus tentavit ad saniora consilia revocare Caerularium. Mox patriarchae reliqui omnes schismati se adjunxerunt manseruntque a Romana Ecclesia divulsi. Neque mutata res est, quum Caerularius, ab Isaac Comneno (1057—1059) in exsilium ejectus, defunctus est (1059). Summi Pontifices et imperatores hinc inde tentaverunt pacem concordiamque revocare. At patriarchae, omnem gratiae reconciliationem rejicientes, a Latinis separati manserunt usque ad synodum Florentinam. Cujus etiam concordia diuturna non fuit[1]).

---

[1]) *F. X. Seppelt,* Das Papsttum und Byzanz, apud *Sdralek,* Kirchengeschichtliche Abhandlungen, II Band, Breslau 1904.

CAPUT QUARTUM.

SACRAMENTA, CULTUS, MORES ECCLESIASTICI.

§ 79—§ 85.

§ 79. S. Missa, Communio et Breviarium.

Binterim, Denkwürdigkeiten, IV, 3. *Ebner*, Quellen und Forschungen zur Geschichte und Kunstgeschichte des Missale Romanum im Mittelalter, Freiburg 1896. Der Communionsritus in Abh. und Unters., I, p. 293—308, Tübing. Quart., 1906, p. 95—109. *Duchesne*, Origines du Culte chrétien, 3e éd., Paris 1903. *Funk*, Abhandl. und Unters., III, 1907: Über den Kanon der Röm. Messe, p. 85—134; Die Anfänge von Missa = Messe, p. 134—143. *Maximilianus*, *princeps Saxoniae*, Praelectiones de Liturgiis orientalibus, Tom. I, Friburgi Brisg. 1908.

1°. In Ecclesia orientis invaluit hac aetate **liturgia** [1]) Constantinopolitana, ita ut omnes aliae sint abrogatae. In occidente vero inde a saeculo IV gemina usurpabatur liturgia, *Romana* una, *Gallica* altera. Priore utebantur Romae, in Italia meridionali et in Africa, altera in reliquis omnibus occidentis regionibus. Paulatim tamen Romana magis magisque permanavit et, plus minusve cum Gallicana permixta, originem dedit variis occidentis liturgiis. Propter perpetuum tamen commercium omnium ecclesiarum cum Romana, non potuit Romana liturgia non invalescere. Quod tamen, dum tenaciter suis aut regionum aut locorum liturgiis inhaerebant, sine difficultate peractum non est.

2°. Frustra conati sunt Carolus Magnus, Nicolaus II aliique, ut Mediolani in consuetudinem veniret liturgia romana. In Francorum regno inducta est Pipini Brevis [2]) et Caroli Magni aetate. Quod autem Alexander II anno 1064 conatus est idem in Hispania efficere, successum non habuit. Grego-

---

[1]) *Krieg*, Die liturgischen Bestrebungen im karolingischen Zeitalter, Freiburg 1888.

[2]) Mon. Germ., Leg., Sect. II, Tom. I, p. 80.

rius VII demum ibi Romanam liturgiam induxit, permittens ut Mozarabico-Gothica usurparetur in solis sex ecclesiis civitatis Toletanae. Diu antea ritum Romanum acceperat Anglia, eumque universali obligatione usurpandum in synodo Cloveshoviensi (747) mandaverat [1]). Scotia vero et Hibernia non tam cito ad idem permotae sunt. Scotia enim Romanam liturgiam recepit, interveniente praesertim Margaretha († 1093) regina, et Hibernia procurante id Malachia episcopo, saeculo XII. Disparentibus autem ubique quae regionibus aut locis propriae erant liturgiae, acceptaque Romana, medio saeculo IX in Moravia S. Methodii *Slavonica* liturgia orta est, quae tamen invadentibus saeculo X Magyaris in desuetudinem abivit.

3⁰. In faciendo S. Missae sacrificio ingens inde a saeculo VIII mutatio inducta est. Usque ad hoc tempus enim Missae tantum dicebantur coram clero et populo; tum vero coeperunt fieri *Missae privatae*. In regno Francorum unusquisque sacerdos diebus jejunii obligatus erat hujusmodi Missas tres dicere, unam *de die*, alteram *pro vivis*, tertiam *pro defunctis* [2]). Necesse tamen visum est synodo Seligenstadtensi (1022) interdicere ne singulis diebus plus quam tres Missae dicerentur [3]). *Missa solitaria*, i. e. sine ministrante, nemini licita, neque licuit Missam dicere extra Ecclesiam nisi expressis verbis esset concessum [4]). Oblationes, quae antea solo pane, vino, uvis, oleo et thure constabant, tum saepe jam nummis fiebant, presertim cum sacerdos Missam offerret ad praefinitam intentionem vel pro defunctis [5]). *Missa praesanctificatorum* in oriente fiebat singulis Quadragesimae diebus, exceptis Sabbathis, diebus Dominicis et festo die Annuntiationis B. Mariae [6]), in occidente autem solo die Parasceves. Die Sabbathi ante Pascha [7]), Missa non dicebatur ante horam nonam (horam tertiam post meridiem), qua finita inchoabatur nox Paschalis [8]).

---

[1]) *Hefele*, III, p. 564, can. 13.

[2]) Synodus Dingolfingana anno 932; Moguntina circa 950. *Hefele*, IV, p. 592, 603.

[3]) *Hefele*, IV, p. 672.

[4]) Ibid., p. 64, 513—514.

[5]) *H. Thurston*, Stipends for Masses, the Month, 1908, p. 13.

[6]) Conc. Trull., Can. 50.

[7]) *Hefele*, Beiträge, II, 290 sq. Synod. Rhotomagensis anni 1072.

[8]) Cabrol, Introduction aux études liturgiques, Paris 1907. *Probst*, Die abendländische Messe von fünften bis achten Jahrh., Münster 1886.

4°. Mos antea fuit ut fere omnes, qui sacro intererant, etiam **S. Communione** reficerentur. Auctis autem *missis privatis*, id in desuetudinem abivit, ita ut S. Communio multo minus frequenter susciperetur. Synodus quaedam Germanica saeculo VIII de hoc conquesta est, Graecos, Romanos et Francos, qui singulis diebus Dominicis communicabant, in exemplum proponens [1]). Synodus Cabillonensis, anni 813, et Turonensis 858 mandarunt, ut ter in anno communicarent. Synodus vero Moguntina, Frederico archiepiscopo, non nisi alteram singulis annis communionem postulavit [2]). Hebdomadaria tamen Communio valde commendabatur. Synodo *Trullana* (692) adhuc praescribente ut S. Eucharistia manu reciperetur, non in scutula aut patella, in occidente jam linguae imponebatur. Adhuc dabatur S. Communio sub utraque specie, sub specie vini administrabatur per *fistulam*. Postea in oriente et nonnihil prius hinc inde in occidente panis consecratus intingebatur in consecrato vino et sic dabatur in cochleari, quod tamen vetuit fieri synodus Bracarensis (675). Usque multa medii aevi aetate mos viguit dandi infantibus species quae supererant. Eas imponi mortuorum ori, vetuit *Trullanum* (692) et postea S. Bonifatius [3]). In occidente saltem a saeculo VIII aut IX panis azymus usurpabatur, in oriente pergebant uti fermentato [4]). Hoc etiam tempore in usum venerunt **hostiae** (*oblata*, *formata*) i. e. panes orbiculorum forma. Iis autem qui non communicabant, hac aetate adhuc dabatur panis benedictus (*eulogia*) [5]).

In ordinanda **breviarii** recitatione, quanquam ea fuit praecipua Pontificum cura ut uniformitas ubique obtineret, impedire tamen non potuerunt quominus non solum ritus discrepantia permaneret, verum etiam ipsius textus persisteret discrimen (Psalterium romanum et Psalterium gallicanum). Saeculis VII et VIII

---

[1]) *Hefele*, III, p. 734.

[2]) Id., IV, p. 603.

[3]) Statuta Synodalia, can. 20; *Hefele*, III. p. 585.

[4]) *Mabillon*, (Dissert. de azymo et fermentato 1674) putat in occidente semper in usu fuisse panem azymum. Vide contra *Sirmond*, Disquisitio de azymo. Opp., Tom., V. Cf. Tübing. Quart., 1906, p. 95—109 et *Dom. Cabrol*, Art. azymes in Dict. d'Archéol. chrét. et de lit.

[5]) Cf. Dr. F. Pijper, Middeleeuwsch christendom. De vereering der H. Hostie. Auctor defendit medii aevi haereticos.

recitandi horae statutae octo (matutinae, laudes, prima, tertia, sexta, nona, vesperae, completae) communiter usurpari inceperunt [1]). Fixa forma atque amplitudo determinata non erat nisi vesperarum et laudum. Matutinae vero, saeculis VII et VIII, pro rerum atque temporum adjunctis, vel breviori vel longiori recitatione persolvebantur, neque ante saeculum IX quidquam satis fixum habebant. Parvarum autem horarum (primae, tertiae, sextae, nonae, completarum) conformatio ad saeculum usque IX permittebatur praeposito sive ecclesiae sive monasterii. Immo pro tertia, sexta, nona liberum cuique erat ut, quos voluisset, psalmos eligeret recitandos. Officium capituli in primam paulatim inductum est, saeculis VIII et IX. Completae denique, post ordinationem a S. Benedicto factam, immutationem jam non subierunt nisi exiguam. Ideoque factum est ut saeculo IX decurrente horae breviarii plena tandem atque fixa ratione ordinarentur [2]).

---

§ 80. **Cantus et sermo.**

Brendel Geschichte der Musik in Italien, Deutschland und Frankreich, Leipzig 1855. Paléographie musicale, T. I sq. Solesmes 1880 sq. *Wagner*, Einführung in die Gregorianischen Melodien, II Aufl., I Theil., Freiburg 1901. *Jacob*, Die Kunst im Dienste der Kirche, III Aufl., Landshut 1880. *Göbel*, Gesch. der Katechese im Abenland vom Verfall des Katechumenats bis zum Ende des Mittelalters, Kempten 1880. *Probst*, Geschichte der katholischen Katechese, Breslau 1886. *Wiegand*, Das Homiliarium Karls des Grossen u. s. w., Leipzig 1897. De Katholiek 1897, I, bl. 252 vv. *Cabrol*, Dict. d'Archéol. et de liturgie, Tom. I—II, Paris 1907—1909. *Lecoy de la Marche*, La chaire française au moyen-âge, Paris 1875.

1°. **Cantus ecclesiasticus** a Gregorio Magno melius ordinatus et ad altiorem perfectionem evectus est. Collegit enim melodias usitatiores, novas addidit, confecitque *Antiphonarium* in quo neumas textui superposuit. Ex ejus schola cantorum prodierunt, qui reliquos omnes in universa Ecclesia cantum docuerunt, magistri. Inter missionarios, a Gregorio in Angliam missos fuerunt qui cantando erant periti. A quibus schola Cantiana (Kent) fundata est. Quinquies saeculo VII Benedic-

---

[1]) Quibusdam in locis etiam nona hora addebatur, lucernarium, quae in ritibus Mozarabico et Mediolanensi etiam nunc subsistit.

[2]) *Dom Suitbert Bäumer*, Histoire du bréviaire, trad. Biron, 2 vol., Paris 1905.

tus, episcopus Eboracensis, romanum iter suscepit, ut liturgicum cantum e Romano corrigeret. In Galliam pervulgatus est cantus Gregorianus tempore Pipini Brevis, ubi Stephanus III (768—772) papa scholam Rhemensem condidit. Caroli autem Magni aetate communis factus est ille cantus in Gallia et Germania. Valde floruerunt scholae cantorum plures, auctoritate sua eas tuentibus Ludovico pio et Carolo Calvo. Hinc inde tamen iterum in usum venit vetustior cantus *Ambrosianus*[1]). Imo vero saeculo XI canonici Ratisbonenses a Martino quodam, sacerdote Mediolanensi, petierunt *Antiphonarium* cum notis musicis. Unde orta perturbatio, quae increvit ex eo quod mos fuit memoriter cantare atque ita, ut natura fert, multa immutare. Quare scholae cantorum florentissimae Fuldae, St. Galli, Moguntiae, Treviris, Corbejae, Augiae divitis, Hersfeldii etc. impedire non potuerunt, quominus unitas liturgici cantus mox perturbaretur.

Ne plenior adulteratio invalesceret, saepius cantum ordinabant ad libros authenticos Romanos. Alii, idem spectantes, conati sunt melodias genuinas firmare. Inter quos plurimum ad id contulit Hucbaldus St[i] Amandi († 930), qui primus textuum syllabas lineis septem vel pluribus interposuit, altius vel inferius, prout tonus esset altior vel inferior, lineisque praeposuit T (tonus) vel S (semitonus). Quae inventa methodus, priore saeculi XI parte, ad ulteriorem perfectionem adacta est a **Guidone Aretino** († 1050), qui ipsas neumas inter lineas vel in lineis posuit. Tum ars musica novam inchoavit aetatem, praesertim quum Franco, Coloniensis presbyter, invenisset signa (*figuras*) pro duratione tonorum et pro musica *mensuram*, ita ut ab eo inde tempore cantus *choralis* a *figurali* distingueretur (saeculo XIII).

2°. **Organa** saeculo VII demum in liturgia in usum venerunt. Pipinus Brevis unum accepit a Constantino V Copronymo, quod collocatum est Compendii. Alterum Carolus Magnus construendum curavit Aquisgrani. Mox organorum fabricatores germani magna artis laude floruerunt, ita ut Joannes VIII (872—882) unum flagitaverit ab Annone Friburgensi episcopo. Initio satis simplex, haec organorum fabricatio magis magisque in dies perficiebatur. Saeculo X

---

[1]) Cf. *Dom. Gatard*, Art. Ambrosien (chant) in Dict. d'Archéol. chrét. et de lit.

suum quaeque habebat organum ecclesia abbatialis et cathedralis.

3°. Sicuti cantus ita etiam **Sermo** principaliorem in cultu obtinuit locum. Certo errant, qui dicunt sermonem tantum latine habitum esse. Eligius, Bonifatius aliique missionarii praedicabant sermone populi, licet plurimae sermonum collectiones tantum latine conficerentur. Cujus rei praecipua causa haec fuit, quod initiis in scribendo unice vel certe usitatius latino sermone utebantur. Synodi Rhemensis, Moguntina et Turonensis (813) mandarunt, ut praedicaretur in Gallia et Germania *lingua rustica Romana, lingua rustica theotisca*. Idem denuo mandavit anno 847 Rabanus Maurus. Iterum atque iterum urgebatur praedicandi consuetudo, atque in longe pluribus ecclesiis constanter servabatur. Paulatim confectae sunt collectiones quaedam homiliarum, quae plurimum e patribus erant retractatae. Frequentiore usu fuerunt collectiones Venerabilis Bedae[1]) et Pauli Warnefridi[2]). Haec confecta fuit jussu Caroli Magni. Sermones catechetici exponebant symbolum, Pater-Noster et 7 (8) peccata praecipua et virtutes. Praeclari praedicatores laudabantur Garibaldus Leodiensis, Bernoldus Argentoratensis, Rabanus Maurus, et Haymo Halberstadiensis; dein saeculo IX Salomon Constantiensis et saeculo X Wolfgangus Ratisbonensis.

---

§ 81. Poenitentia et poenae ecclesiasticae.

Wasserschleben, Die Bussordnungen der abendländischen Kirche, II Aufl., Halle 1868. *H. J. Schmitz*, Die Bussbücher und die Bussdisziplin der Kirche, Mainz 1883. *Idem*, Die Bussbücher und das kanonische Bussverfahren, Düsseldorf 1898. *Kober*, Archiv für katholisches Kirchenrecht, XXI, 3 sq., 17 sq., 291 sq., XXII, 3 sq. *Hinschius*, Kirchenrecht, V, 19—32. *Duchesne*, Origines du culte chrétien, 3e éd., Paris 1903. *Cabrol*, Dictionnaire d'archéologie et de liturgie, Tom. I—II, Paris 1907.

1°. **Publica poenitentia,** subsistens etiam hac aetate, tamen mitigata est, eo quod sola peccata publica publice expiabantur. Superiore tempore vulgo delinquentis arbitrio permissum fuit utrum poenitentia publica uteretur; hac vero aetate natura

---

1) *Migne*, P. L., Tom. 94.

2) Ibid. Tom. 95.

ipsius delicti poenitentiae naturam definiebat. Qui resisteret, si publice dedisset scandalum, brachio saeculari ad subeundam poenitentiam compellebatur. Prius tria tantum fuerunt peccata canonica; hac autem aetate addita sunt: *raptus*, *usura*, *perjurium*, *rapina*, *incendium*, *magia*, etc. Sensim etiam tempus fixum pro subeunda poenitentia publica fuit constitutum, vulgo a die cinerum ad Coenam Domini. Si ab episcopo poenitentia injungebatur, poenitens confessus ingrediebatur ecclesiam et *ordo impositionis poenitentiae* persolvebatur. Poenitentia, tempore Quadragesimae subeunda, varia fuit: inclusio in monasterio, exclusio ex ecclesia, stare ad portam ecclesiae, pedibus iter facere, nudis pedibus incedere, non uti lineo indumento, jejunare, flagellare seipsum, peregrinationem facere etc. In coena Domini fiebat *reconciliatio*.

2⁰. Ne autem poenitentiae gravitas solo arbitrio sacerdotis relinqueretur, utque delinquentes omnes aequabili severitate tractarentur, singulae pro singulis peccatis poenitentiae determinatae sunt, unde **Libri poenitentales** orti, a synodis et nonnullis viris ecclesiasticis confecti. Celebriora Poenitentialia sunt *Romanum*, *Bedae* et *Theodori Cantuariensis*. At vero mox numerosi valde fuerunt hi libri, in quibus non raro non minus proprio arbitrio indultum, quam canonicis legibus statutum fuit. Imo recta fides et matrimonii sanctitas nonnumquam periclitabatur. Quamobrem saeculo IX synodi inchoarunt impugnare libros poenitentiales[1]). Non tamen aliquod *poenitentiale* praestitutum est. Permiserunt rem episcoporum judicio. Postea novi generis poenitentialia confecta sunt, e *decretalibus*, *canonibus* et patrum sententiis composita. Imo vero hinc inde redintegratae sunt orientis stationes poenitentiae, quod tamen diuturnum non fuit[2]).

3⁰. Contingebat non raro ut delinquens poenitentiam impositam non *posset* exsequi. Fiebat tum **commutatio.** Pro *jejunio* imponebatur *precatio*, pro *peregrinatione flagellatio* etc. Sic scribunt libri poenitentiales: pro unius diei jejunio psalmos 50, pro jejunio septem hebdomadarum *solidos* 20. Pauperes minus solvebant quam divites. Primum in Hibernia et Anglia saeculo VII, postea in Germania et alibi

---

[1]) *Synodus* Cabillonensis (813), can. 38; Parisiensis (829), can. 32; Moguntina (847), can. 31.

[2]) *Hefele*, IV, p. 415.

in usum venit **redemptio**, qua non solum ei, qui explere non posset, sed unicuique licitum fuit pecunia poenitentiam redimere. In multis libris poenitentialibus definitum invenitur, quanto pretio unaquaeque poenitentia esset redimenda[1]). Quod etsi in seipso reprobandum non fuit, poterat tamen facile abusus inducere. Quare synodi id impugnaverunt. Sic synodus Rotomagensis (1048) mandavit „*ut poenitentes occasione avaritiae gravare aut levare nemo praesumat; sed juxta modum culpae, vel possibilitatem naturae moderetur poenitentia*[2]).

4⁰. Numerabatur etiam in poenis Ecclesiae et peccatorum remediis **excommunicatio,** qua quis a communione aliisque sacramentis, ab ingressu ecclesiae, a beneficiis, jurisdictione et sepultura ecclesiastica excludebatur. Saepe omne cum excommunicatis commercium vetitum fuit. E synodorum autem decretis patefit, in articulo mortis, omni exclusione sublata, peccatori licitum fuisse Sacramentis muniri. Pro clericis non necessario juncta fuit cum excommunicatione dejectio ab officio, sequebatur tamen casu obstinationis.

Gravior et universalior fuit poena **interdicti.** Non patet quo ipso tempore haec poena in usum venerit. Minus late patens interdictum jam Gregorii Turonensis tempore occurrit[3]). Anno 869 Hincmarus junior episcopatum Laodunensem (Laon) interdicto punivit, quod paulo post ab ejus avunculo Hincmaro Rhemensi sublatum est. Anno 988 synodus Senlensis (Senlis) dioeceses Laodunensem et Rhemensem interdicto perculsit, propter scelera ibidem a Carolo Lotharingo patrata. Anno 1031 interdicto obstricta fuit dioecesis Lemovicensis, ac decretum: non licere quemquam sepultura (ecclesiastica) honorari praeter clericos, mendicos, peregrinos et infantes; tertia quaque hora, dato signo unicuique genuflectendum esse et orandum; non danda sacramenta nisi moribundis; altaria esse denudanda, sicuti Parasceves die; nemini licere matrimonium inire, aliisve cibis uti quam quibus jejunii diebus vesci liceret; nemini licere recidere capillos aut tondere barbam prius quam nobiles decretis synodi obsecundavissent[4]). Ejusmodi

---

[1]) *Dr. N. Paulus*, Zeitschr. für Kath. Theol., 1909, p. 281. Conf. Synodum Triburiensem (895), *Hefele*, IV, 558.

[2]) *Mansi* XIX, p. 753.

[3]) Hist. Franc., VIII, 31; X, 15. De gloria martyrum, 79.

[4]) *Mansi*, XIX, 541 sq. *Hefele*, IV, 695.

poenam salubre remedium fuisse, quo contumaces ad officium redigerentur, facile intelligitur. Solebat etiam diuturna contumacia frangi populi interventu.

---

§ 82. Jejunia et dies festi.

Funk, Die Entwicklung des Osterfastens, Abh. und Unters., I. 266—278. *Duchesne*, Origines du culte chrétien, 3e éd., Paris 1903. *H. Kellner*, Heortologie oder das Kirchenjahr und die Heiligenfeste in ihrer geschichtl. Entwicklung, Freiburg 1901. *N. Nilles*, Kalendarium manuale utriusque ecclesiae, ed. 2a, Oeniponte 1896—1897. *Cabrol*, Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie, Tom. I, Paris 1907. *E. Vacandard*, art. Carême (jeûne du) in Dict. de théol. cath.

1°. **Jejunium quadragesimale,** hac aetatis periodo, omni sua perfectione excultum est. Saeculo VII adjuncti sunt primi dies quatuor (caput jejunii) atque ita numerus quadragesimalis completus est. Synodo Beneventina (1091) Urbanus II papa vetuit post diem cinerum carnibus vesci praescripsitque ut omnes in capite cineres benedictas reciperent. In Scotia S. Margarita praecepit ut jejunium inchoaretur die cinerum, non feria II proxima [1]). Tempore Quadragesimae, diebus Dominicis non quidem jejunium, sed lex abstinentiae observabatur. Quae quidem lex abstinentiae, severior quam nostra aetate, vetuit uti carnibus, ovis, lacticiniis; interdicebantur quoque venatio, nuptiae, solemnia et judicia. Saepius Altare majus in signum poenitentiae, tempore jejunii, velo obtegebatur.

Jejunium quatuor temporum jam pridem Romae et in ecclesiis finitimis plene constitutum est. Dubium tamen ibi quoque fuit utrum verna quatuor tempora essent ante quadragesimam an in quadragesima celebranda. A Gregorio VII demum decretum id quod hodie quoque observatur. In Anglia quatuor tempora praescripta sunt Gregorio I pontifice (saeculo VII); in Gallia et Germania S. Bonifatius mandavit fieri *quatuor legitima temporum jejunia* [2]), quod mandatum Carolus Magnus in *Capitulari* suo anni 769 reiteravit [3]). Jejunii dies fuerunt quoque, licet tempore Paschali occurrerint, **rogationes,** quae ex Gallia oriundae [4]), demum Leone III (795—816)

---

1) *Hefele*, V, 111, 201.
2) Statuta Bonifatii, can. 30.
3) *Pertz*, Leg., I, 33.
4) Vide supra, § 50.

papa Romae in usum venerunt. **Vigiliarum** dies hac periodo creverunt numero. In occidente jejunium **Adventus**, jam superiore aetate ortum, non tamen ubique aeque diu durabat. Paulatim ubique mos Romanus invaluit insumendi hebdomadas quatuor. Ecclesia Graeca ritum Adventus non assumpsit, licet praescripserit a saeculo VIII jejunium Adventus. Fixus abstinentiae dies fuit **feria VI**; inde a saeculo XI in nonnullis locis additum fuit **sabbatum.**

2°. Hac aetate magis magisque creverunt **dies festi,** praesertim triplex festorum cyclus Nativitatis, Paschatis et Pentecostes. Dies octava Nativitatis, licet jam diu antea memorata, saeculo demum IX factus est dies festus, nuncupatus: *Circumcisio Domini*. Festum Pentecostes et magis quoque Paschatis, saepe integram hebdomadam agebatur. *Statuta Bonifatii* (saeculo VIII) pro Paschate tantum tres dies recensent: „*in Paschate dies tres*", *Poenitentiale Bonifatii* „*in Pentecoste dies quatuor*". Synodus vero Moguntina (813) pro utroque festo constituit unam hebdomadam. Sic etiam synodus Ingelhemensis (948) decrevit integram hebdomadam pro festo Paschatis, pro festo Pentecostes dies quatuor. Per tres dies agere Pascha et Pentecosten magis magisque consuetudine in usum venit. Quod etiam a synodo *Constantiensi* (1094) praescriptum est.

Nova instituta festa fuerunt imprimis *Trinitatis*, quod primum Leodii a Stephano (903—920) episcopo celebratum est, et a Richario (920—945) ei succedente, ulterius propagatum; Joannes XXII (1316—1334) papa in universa Ecclesia celebrandum jussit. *Defunctorum memoriam* Odilo Cluniacensis abbas, pro suis ordinavit anno 998. Non quidem fuit unquam facta hujus memoriae obligatio, attamen mox in universa occidentali Ecclesia in morem venit. Festum *Omnium Sanctorum*, jam multo prius institutum, a Gregorio III (731—741) a kalendis Majis ad kalendas Novembres translatum, a Gregorio IV (834), postulante Ludovico Pio, universae Ecclesiae impositum est. E festis *Apostolorum* major pars hac aetate oborta est, sicut etiam festum *S. Michaelis* Archangeli. Episcopis jus fuit in sua dioecesi praescribendi festa; quo jure haud raro usi sunt[1]).

---

[1]) Cf. Binterim Denkwürdigkeiten, V, 1, 299 sq. et *Batiffol*, Histoire du bréviaire romain, Paris 1893.

§ 83. Cultus Sanctorum. Canonisatio. Reliquiae.

Beissel, Die Verehrung der Heiligen und ihrer Reliquien in Deutschland, 2 Bnde, Freiburg 1890—1892. *Idem,* Die Verehrung unserer lieben Frau in Deutschland während des Mittelalters, Freiburg 1896. *Idem,* Geschichte der Verehrung Marias in Deutschland während des Mittelalters, Freiburg 1909. *J. A. F. Kronenburg,* Maria's heerlijkheid in Nederland, Deel 1—5, Amsterdam (1904—1909). *De Rossi,* Supplém. aux Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'école française de Rome, Tom. 12 (1892), p. 73—95.

1°. Quasi excitatus iconoclastarum impugnatione, hac aetate **cultus sanctorum** luculenter effloruit. Praesertim in occidente frequentiores collocatae sunt imagines. Cultus B. Mariae Virginis, utpote cui, Matri Dei, major prae omnibus sanctis debetur honor, valde ampliatus est: ejus festa numero aucta, ecclesiae et altaria in ejus honorem erecta; homiliis frequentissimis laudes ejus coram populo celebratae; dies sabbati ei sacratus; *horae* ejus in usum consuetudinemque redactae; atque exeunte hac periodo etiam precatio *Ave Maria* permanavit [1]). Apud Germanos praesertim increbuit Sanctorum cultus. Qui peregrinabantur Romam [2]), Compostellam, Turones et Hierosolymam [3]) regia tutela gaudebant. Cui fervori etsi Ecclesia faverit, quo scilicet fidelium mores magis magisque ab ethnicis superstitiosisque usibus averterentur, ab altera tamen parte justis finibus eum cultum circumscribere necesse fuit. Jam synodus Liftinensis (743 vel 745) vetuit quemlibet pie defunctum inter sanctos coli. Lege a synodo Francofurtensi lata vetitum fuit colere sanctos ignotos; interdictum quoque ne in horum honorem *memoriae* (sacella) juxta vias erigerentur (794). Caroli Magni capitulare praescripsit ut hujus rei judicium penes episcopum maneret [4]).

2°. **Canonisationem** *(elevationem ossium)* perficiebat episcopus pro sua dioecesi, synodus pro latiori territorio. Non quidem id fiebat sicut hodie post diuturnam atque accuratam disquisitionem, sed tamen aperto et fide digno populi testimonio seu, ut dicebant, *fama sanctitatis et miraculorum.* In oriente oborti sunt abusus. Imo vero Nicephorus Phocas (963—

[1]) *Esser,* Hist. Jahrb. der Görresges., 1884, p. 88 sq.

[2]) *Zettinger,* Die Berichte über die Rompilger aus dem Frankenreiche bis zum Jahre 800, Röm. Quartalschr., Rom, 1900.

[3]) *A. Baumstark,* Abendländische Palestinapilger und ihre Berichte, Köln 1906.

[4]) *Pertz,* Leg., I, p. 20, 134.

969) imperator postulavit ut omnes bello caesi inter martyres colerentur. Quod tamen postulatum exsecuti non sunt. Primam solemnem canonisationem papalem perfecit Joannes XV, quum anno 993 Ulricum († circa 973), Augustae Vindelicorum episcopum, inter sanctos retulit. Inde ab Alexandro III (1159—1181) canonisatio jus propium S. Sedis fuit [1]).

3°. Tabellae, quibus referebantur nomina eorum qui inter sanctos colebantur, appellabantur **Martyrologia** [2]). Earum tabellarum numerus hac aetate ingens fuit. *Martyrologium Hieronymianum* [3]), quo collectae fuerunt traditiones Romana, Africana et orientalis, prima parte saeculi V in Italia et Gallia elaboratum est. Postea aliud genus martyrologii est confectum, quo nominibus Sanctorum adjuncta sunt plura vel pauciora quae de eorum vita aut morte erant nota. Inter quae eminuit vetustissimum martyrologium Bedae († 735), quod fide et religione elaboratum, crebro usu frequentatum fuit. Reliqua fere omnia martyrologia scripta sunt saeculo IX, posteaquam saeculo VIII in officio canonico etiam martyrologium legi coepit, et a synodo Aquisgranensi (817) praescriptum est „*ut ad capitulum primitus martyrologium legatur*". Anno circiter 800 scriptum est martyrologium anonymum, inter Bedae et Flori Lugdunensis [4]) intermedium. Dein *martyrologia* Wandelberti Prumiensis [5]) et Rabani Mauri [6]), Adonis Viennensis duo, *martyrologium romanum parvum*, exigua fide dignum, et aliud, ex hoc et e Flori martyrologio collectum et Adonis nomine inscriptum [7]); praeterea Usuardi [8]) et paulo fortasse postea Notkeri Balbuli [9]), Wolfhardi Herridensis [10])

---

1) C. 1 (audivimus), X (3, 45). *T. Ortolan*, Canonisation dans l'église romaine, in Dict. de théol. cath.

2) *Dom Henri Quentin*, Les martyrologes historiques du moyen-âge. Etude sur la formation du martyrologe romain, Paris 1908. *Grisar*, Analecta Romana, Roma 1899, p. 231 sq.

3) Acta SS. Boll., Tom. II Nov. (1894), Ed. *de Rossi-Duchesne*.

4) Acta SS. Boll., Tom. II Mart., VI sq. *Migne*, P. L., Tom. 94.

5) Mon. Germ., Poet. aevi Carol., II, 569 sq.

6) *Migne*, P. L., Tom. 110, p. 1121 sq.

7) *Migne*, P. L., Tom. 123, p. 202 sq. *D. Quentin*, op. cit., p. 409—465.

8) *Migne*, ibid., p. 599.

9) Ibd., Tom. 31.

10) Anal. Boll., 1898.

quoque, et saeculo XI Hermanni Contracti[1]). Alter auctor librum alterius descripsit plerumque, quaedam tantum ad complendum adjiciens. Usuardi martyrologium, ex Adonis desumptum et supplementis auctum, postea factum est martyrorologium Romanum, quod etiam hodie vestigia retinet male ab Adone impensi laboris[2]).

4°. **Reliquiarum cultus** fructus uberrimos protulit apud populos nuper ad fidem conversos, pios usus substituens in locum ingentis superstitionis. Non solum missionarii sed multi alii quoque reliquiaria tanquam monilia gestare solebant. Antiquitus reliquiae habebantur lintea de sepulchris Sanctorum sublata, cineres sepulchrales, vel oleum e lampade coram sepulchris lucente. Postea autem quum saeculo VII et VIII corpora martyrum e catacumbis Romae essent effossa, augustiores reliquiae dispertitae sunt. Ardenter ubique desiderabant possidere reliquias ex ossibus Sanctorum. Quod quidem desiderium ex eo quoque efferbuit, quod, liturgia Romana magis pervulgata, Sancti Martyres majore cultu honorabantur. Principes nobilesque saepius Romae flagitabant ut reliquiae Sanctorum darentur vel ecclesiis suis vel sibi ipsis. Nec mirum abusus invasisse. Synodus Parisiensis 829 conquesta est, homines precari non posse nisi secum reliquias gestarent. Ex avaritia quoque falsae reliquiae tradebantur. Haud raro etiam occurrerunt reliquiarum furta[3]).

---

§ 84. Ecclesiae actio in vitam religiosam et moralem.

Grupp, Kulturgeschichte des Mittelalters, I Band, Stuttgart 1894. *Hefele*, Concil., IV B. *Fehr*, Der Aberglaube und die katholische Kirche des Mittelalters, Stuttgart 1857. *Dresdner*, Kultur- und Sittengeschichte der italienischen Geistlichkeit im X und XI Jahrh., Breslau 1890. *Fournier*, Les affranchissements du V au XIII siècle in Revue hist. (1884), XXI, p. 1—58. *Ratzinger*, Gesch. der kirchlichen Armenpflege, II Aufl., Freiburg 1884. *Lallemand*, Histoire de la charité, Tom. II—III, Paris 1904—1906. *G. Kurth*, Notger de Liège et la civilisation au X siècle, Paris 1905.

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 143.

[2]) Anal. Boll., 1908, p. 65 sq.

[3]) Cf. *J. Guiraud*, Quest. d'hist. et d'archéol. chrét., Paris 1906, p. 266 sq. *Eginhard*, Mon. Germ., Script., XV, 240 sq.

1°. Ineunte hac periodo, tristis nimis fuit in occidente morum conditio. Altera populorum parte nondum ad fidem conversa, altera vix potuit reparare labentis imperii Romani cladem populatasque barbarorum invasionibus regiones resarcire. Laborando quantum valebat pugnandoque, Ecclesia tamen perficere nequivit ut corrupti a longo tempore mores inveteratique ethnici usus, exiguo temporis spatio, in meliora verterentur.

2°. **Superstitionis** vis ingens fuit ut patet ex Bonifatii *Indiculo superstitionum* [1]). In *sepulcris* sternebantur epulae, fiebant sacra (*dadsisas*), assistentibus etiam presbyteris. Tenacissimo animo populus afficiebatur *festis spurcalibus* (mense Februario) quibus, in honorem solis ascendentis, mactabantur porci. Gestabant *phylacteria* et *amuleta* e ligno, metallo aut charta pergamena, quibus tutarentur a veneficiis aut infirmitatibus; *ligaturis* utebantur e panno aut herbis confectis, ne vulnerarentur. Usitata valde erant haruspicia e projectis taleis, e sternumento hominum, ex hinnitu equorum, e volatu avium etc. Saepe etiam indagabant *sortes sanctorum*, i. e. bibliorum; revoluta nempe biblia, quidquid casu primum oculis obvertebatur propheticum habebant. Ejusmodi omni superstitione uti vetuerunt S. Bonifatius, Gregorius III [2]) papa, aliique multi ac synodi in Galliis et Germania habitae, iterum atque iterum, ita ut paulatim ethnica superstitio decreverit.

3°. Alius abusus fuit, quae appellabantur **ordalia** [3]), e paganismo ortus, quo putabatur Deus testimonium ferre culpae aut innocentiae. Inveteratus iste usus eradicari non potuit. Hinc inde a quibusdam impugnata [4]), ordalia manserunt in usu ac paulatim tutelae cleri mandata sunt. Nonnullae synodi ea praescripserunt [5]). In Gallia et Germania regulis astricta sunt ordaliorum solemnia [6]), quorum nonnulla in ipsis ecclesiis per-

---

[1]) *Hefele*, III, 506 sq. *G. Kurth*, S. Boniface, p. 96.

[2]) *Jaffé*, N° 2246.

[3]) *Patetta*, Le Ordalie, Studio di storia del diritto e di scienza del diritto comparato, Torino 1890. *Vacandard*, l'Eglise et les ordalies. Etudes de crit. et d'hist. relig., Paris 1905. *De Smedt*, Les origines du duel judiciaire, Congr. scient. intern. des cath., Bruxelles 1895. *Dr. F. Pijper*, Middeleeuwsch christendom. De godsoordeelen, 's Gravenhage 1907.

[4]) Agobardus improbavit ordalia, vocavitque contraria doctrinae Christi. Cf. ejus opus: De divinis sententiis. *Migne*, P. L., Tom. 104, p. 125, 354, c. 6.

[5]) *Neusching* (771), can. 3—5, Frankfurt (794), can. 9, Salzburg (800), can. 15.

[6]) *Pez*, Thesaur. Anecdot., II, 2. *Mansi*, XVIII, 363 sq.

ficienda fuerunt. Dictu mirabile id hodie est, sed re vera multa alia mala per ordalia impedita sunt. Fuerunt autem varia eaque praecipua: certamen singulare (wehadink); experimentum crucis seu manuum extensarum; probatio ignis; judicium coenae sive S. Eucharistiae; probatio aquae ferventis vel frigidae; sortes; judicium offae casei vel panis, quam accusatus sine vomitu devorare tenebatur; jus feretri, quo suspectus habebatur homicidii reus, si cadaver ab eo attrectatum sanguinem vel spumam emisit; tandem probatio per libram, qua si femina levis inventa fuerit, cum diabolo contraxisse credebatur. Quae omnia etsi S. Sedes semper detestata est et quoties daretur opportunitas reprobavit, durarunt tamen, utut multum imminuta, donec Innocentius III (1198—1216) severo decreto ea abolevit.

4⁰. Funestius etiam fuit, quia feritati faventissimum, jus quod **in armis est (Jus fortioris).** Quum praesertim saeculo X summa esset judiciorum inordinatio, neque ipsa Ecclesia perpetuis suis monitionibus prohibere potuit quominus mos esset ut suum jus arbitratu quisque suo persequeretur, denuo Francorum synodi anno 1034 consuetudinem hanc abolere frustra conatae sunt. Tum Ecclesia coepit, quantum potuit, ferociae modum ponere, ut saltem paulatim et quasi per partes abusus tolleretur. Ita **nata est,** quam vocabant **Treugam Dei** (pacem Dei) [1]): Primae, quae de hac pace egerunt, synodi coactae sunt anno 1040, primumque monumentum, pacem Dei imperans, latum est anno circiter 1041, quum incerto loco habita est synodus: „*Recipite ergo et tenete pacem et illam trevam Dei... videlicet ut ab hora vespertina diei Mercurii inter omnes christianos, amicos et inimicos, vicinos et extraneos sit firma pax et stabilis treuva usque in secundam feriam id est die lunae ad ortum solis... Qui vero treuvam promissam habuerunt et se sciente infringere voluerint, sint excommunicati... maledicti et detestati hic et in perpetuum, et sint damnati sicut Dathan et Abiron et sicut Judas...*" [2]).

Confirmatum id fuit eodem anno a synodo Montriond, in dioecesi Lausanensi, et paulo post a Gulielmo, Normanniae duce (1042), qui spatium prorogavit, pacemque praescripsit ab Adventu ad octavam Epiphaniae, ab ineunte quadragesima

---

[1]) *C. F. Küster,* De treuga et pace Dei. Der Gottesfrieden. Rechtsgeschichtliche Studie, Köln 1902.

[2]) *Mansi,* XIX, 593 sq.

ad octavam Paschatis, a primo Rogationum die ad octavam Pentecostes. Henricus IV *Treugam Dei* in Germaniam invexit, summique Pontifices eam probaverunt, inter quos primus Urbanus II, in celebri synodo Claramontana anni 1095 [1]).

5⁰. Disciplinae ecclesiasticae fovendae saecula IX et X non fuerunt opportuna. Episcoporum haud paucorum vitae ratio erat socordiae, et voluptati dedita et non raro minus honesta. Consequens inde fuit ut clerus inscitia laboraret, et parvi faceret **coelibatum.** Cujus violatio vocabatur haeresis Nicolaitarum, fuitque valde frequens et in Lombardia arbitrabantur hoc esse privilegium ecclesiae Ambrosianae. Negandum tamen non est impugnatores saepe gravioribus, quam res ipsae erant, verbis vitium istud esse persecutos. Quorum praecipui fuerunt Ratherius Veronensis [2]), Atto Vercellensis [3]), Petrus Damianus [4]); in Anglia Dunstanus Cantuariensis [5]). Plurimae quoque synodi tentarunt isti corruptioni mederi: Vormatiensis (868), Moguntina (888), Trosleana (909) Augustana Vindelicorum (952), Pictaviensis (1000).

6⁰. Aliud hac aetate grassans vitium, cui oppugando multam operam collocavit Ecclesia, fuit **simonia.** Mediolani ipse populus se huic malo opposuit, ortaque est **Pataria** [6]), factio quaedam popularis, cujus duces fuerunt Anselmus, Landulphus, Arialdus sacerdotes et postea Herlembaldus eques. Nata factio est quum Guido, Mediolanensis archiepiscopus, simoniae crimine esset Romae damnatus. Vagata est in tota Lombardia, pro servandis juribus et officiis dimicans; succubuit tamen potentiae nobilium, animis invitis clericorum, et Henrici IV imperatoris libidini. Deum tamen semper Ecclesiae suae adesse, ex eo quoque patet, quod hanc adeo corruptam aetatem illustrarunt viri vere magni: Alfredus Magnus in Anglia († 901), Conradus Constantiensis († 934), Bruno Coloniensis († 965), Otto Magnus († 973), Ulrich Augus-

---

[1]) *Jaffé*, II Ed., I, 681.

[2]) *Migne*, P. L., Tom. 136: De contemptu canonum; Discordia inter ipsum et clericos: Apologia; Epistolae; Itinerarium.

[3]) De pressuris Ecclesiae. *Migne*, P. L., Tom. 134,

[4]) *Migne*, P. L., Tom. 145: De cœlibatu; Contra intemperantes clericos; De dignitate sacerdotii; Liber Gomorrhianus.

[5]) *Migne*, P. L., Tom. 137.

[6]) *Pellegrini*, Fonti e memorie storiche di S. Arialdo, Milano 1902.

tanus (973), Wolfgangus Ratisbonensis († 994), Willigisus Moguntinus († 1011), Bernwardus Hildeshemensis († 1022). S. Henricus II († 1024), Godehardus Hildeshemensis († 1075), Anno Coloniensis († 1075) aliique.

7⁰. Neque minor quam antea hac aetate fuit Ecclesiae beneficentia et **charitas** [1]). Impediri non potuit quominus temporum angustiis, imperitante vi et rapina, multa everterentur instituta caritati exercendae dicata. At alia denuo extiterunt. Bernardus Mentonensis († 1008) anno circiter 970 hospitia condidit in montibus S. Bernardi majore et minore. In Anglia, ubi multum opitulabantur pauperibus, Lanfrancus Cantuariensis ingens aedificavit hospitium; Gregorius VI (1045) idem fecit Romae. Hospitium celeberrimum Arbosiense exstructum est anno circiter 1056, et in civitatibus episcopalibus fere in dies numerus hospitiorum crevit. Monasteria congregationum Beccensis et Cluniacensis omnia benefaciendo claruerunt. Quibus episcopi omni ope et industria auxiliati sunt. Quos supra memoravimus, eminuerunt omnes charitate. Bardo quoque Moguntinus, Megingoz Aichstadiensis, Bruno Metensis multique alii. Synodi etiam continuo in pauperes adjuvandos instituerunt, v. c. synodus Aschaimensis in Bavaria canonibus 10, 11 et 15; pulcherrimo sermone Cloveshoviensis (747 in Anglia can. 26—27. *Capitula* Ratisbonensia (saec. IX) praescribunt ut quater singulis annis pauperibus eleemosynae erogentur (can. 10); idem decretum a synodis Riesbachensi et Frisingensi (can. 4). Multa decreta eandem Ecclesiae sollicitudinem erga pauperes demonstrant [2]). *Quarta pars pauperum* saepius commendata est e. c. a synodo Parisiensi (829) can. 31, a Moguntina (847) can. 10. Poenae constitutae sunt in clericos, qui pauperibus non erogarent, quae de reditibus ecclesiasticis superessent (*superflua clericorum* [3]). Occasione sepulturae et exsequiarum solebant fieri pauperibus erogationes.

8⁰. Propria quaedam aetatis nota fuit christianorum cum Judaeis ratio. Quum saepius doctrina et usu rerum hi eminerent, magnam identidem obtinuerunt, hinc inde fraude et astutia, potestatem, vel in ipsius Ludovici Pii aula. Unus e praecipuis

---

[1]) *Lallemand,* Histoire de la charité, Tom. II—III, Paris 1904—1906.

[2]) *Hefele,* IV, 11, 13, 16, 26, 64. 65, 514.

[3]) *Burchardi* decret., lib. 19, cap. 116. *Migne,* P. L., Tom. 140, p. 1006.

eorum adversariis fuit Agobardus Lugdunensis, qui non solum scripsit librum *De insolentia Judaeorum*[1]), sed etiam epistolam ad Ludovicum *De judaicis superstitionibus*[2]). Insuper iteravit veteres *canones*, de cavendo convictu et societate Judaeorum: ne emerent aut venderent; ne ancillae christianae operam suam locarent Judaeis[3]). *Missi dominici* querelis Judaeorum indulserunt. Attamen leges contra Judaeos quum ecclesiasticae tum civiles identidem sunt instauratae[4]). Petrus Damianus (saec. XI) scripsit *Contra Judaeos* librum et *Dialogum inter Judaeum et Christianum*[5]). In Hispania Judaei solvere debebant decimas de omnibus quae emerant bonis. Manserunt tamen Judaei potestate validi, et ingerere se omnibus rebus gerendis perrexerunt. Imo vero plurimae principum aulae utebantur medicis Judaeis.

---

§ 85. **Monachi.**

H. Helyot, Histoire des ordres monastiques etc., Tom. 1—8, Paris 1714—1719. *Heimbucher*, Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche, I—II Bnd., II Aufl., Paderborn 1907. *Pückert*, Aniane und Gellone. Diplomatisch-kritische Untersuchungen zur Geschichte der Reformen des Benedictinerordens im 9 und 10 Jahrh., Leipzig 1899. *Hefele*, Concil., IV, 19 sq. *Bäumer*, Die Cluniacenser in 10, 11 und 13 Jahrhundert. Hist.-Polit. Blätter, Tom. 103 (1889). Vita S. Romualdi, *Migne*, P. L., Tom. 144, p. 953 sq. Vita S. Joannis Gualberti, ibid., Tom. 146, p. 228 sq. *Montalembert*, Les moines d'Occident etc., Tom. 1—7. Paris 1860—1877. *Dom. L. Gougaud*, L'œuvre des Scotti dans l'Europe continentale. Revue d'hist. eccles., 1908, p. 21. *Sackur*, Die Cluniacenser in ihrer kirchlichen und allgemein geschichtlichen Wirksamkeit bis zur Mitte des 11 Jahrh., 2 Bde, Halle 1891—1894. *Dom L. David*, Les grandes abbayes d'Occident, Lille 1908.

1°. **Benedictini** brevi tempore late diffusi sunt. Dirutum est 580 monasterium Montis-Cassini, sed magnificentius reaedificatum. Abbatiae aliae multae erectae fructus uberrimos Ecclesiae protulerunt[6]). Qui missionarii Hollandiam, Germaniam et Galliae partem ad fidem converterunt, prodierant e monasteriis

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 104, p. 69 sq.

[2]) Ibid., p. 78 sq.

[3]) Ibid., p. 107 sq. *Fr. Wiegand*, Agobard von Lyon und die Judenfrage, Leipzig 1901. *J. B. Martin*, Art. Agobard in Dict. de théol. cath.

[4]) *Hefele*, Tom. III et IV passim.

[5]) *Migne*, P. L., Tom. 145, p. 41—68.

[6]) *J. H. Besse*, Les moines de l'ancienne France, Période Gallo-romaine et mérovingienne, Paris 1906.

Angliae. Pirminius, qui abbas fuit celeberrimus atque episcopus VIII saeculo (720—750) congregationem fundavit Benedictinorum reformatorum, quorum fuerunt abbatiae Augia dives, Desertina, Fabarium, Murbach, Hornbach aliaeque. In his simul conversionis gentilium opus, clericorum institutio, litterae et agricultura floruerunt. Hinc inde tamen, in occidente praesertim, laxata paulatim disciplina est. Caroli Magni tempore Benedictus Anianensis (750—821) in hoc laboravit ut prolapsa disciplina ad veterem perfectionem in Aquitania revocaretur. Cui labori favit Ludovicus Pius quoque, constituitque Sanctum Benedictum *visitatorem* omnium regni abbatiarum. Dein in idem opus incubuit anno 817 synodus reformatoria Aquisgranensis, qua habita Benedictus monasteria visitavit [1]).

Exeunte saeculo IX et ineunte X, occurrunt iterum **abbates laici** (*abbatocomites*), qui monasteria bonis suis simul et religiosa disciplina spoliabant. Gravissime de hac re conquesta est synodus Trosleana (909): multa monasteria esse diruta et quae superessent carere disciplina; non suos iis esse proprios superiores sed imperare peregrinos; laicos partes abbatum agere et habitare in monasteriis cum mulieribus, infantibus, militibus et canibus; mores esse corruptos, *clausuram* non observari; quapropter proprios esse constituendos abbates et abbatissas, laicos ejiciendos, disciplinam restituendam servandamque; ornatum e monasteriis esse abolendum monachisque praescribendum ne vagarentur [2]).

2⁰. Quam adeo desiderabant reformationem, suscepit abbatia **Cluniacensis** in Burgundia [3]). Anno 910 a Gulielmo Aquitaniae comite condita, facta est centrum celeberrimae *congregationis Benedictinae Cluniacensis*. Jam vivo Bernone († 928) primo abbate, monasteria septem reformationis regulam susceperunt. Successerunt huic praeclari abbates multi, qui in idem opus saluberrimum incubuerunt: Odo († 942), Aymar (948), Mayeul († 994), Odilo (1048). Hic ipsa etiam Poloniae et Hispaniae monasteria reformavit. Numerus monasteriorum accrevit ad 2000. Accurate regula S. Benedicti observabatur;

---

[1]) *Mansi*, XIV, 341 sq., 393 sq. *Hefele*, IV, 24 sq.

[2]) *Hefele*, IV, 572—573.

[3]) Antiquiores consuetudines cluniacensis monasterii, Spicil. d'Achéry, I, 641. *Dom Besse*, L'ordre de Cluny et son gouvernement, Arch. de la France monastique, Tom. I (1905).

altum adeo fuit in monasteriis silentium, ut solis gestibus quae essent proferenda, monachi significarent. A Cluniacensi abbatia monasteria reformata non pendebant, attamen multa ejus, quasi domus maternae, auctoritati sese subjicientia, a vicariis abbatibus regebantur. Exemplum Cluniacense secutae, multae paulatim natae sunt congregationes: *Cavea* in Italia (980), *Casa Dei* (1046), *Hirschavia* (1071), *Sasso Vigno* (1085), *Sauve-Majour* (1098) etc.

3⁰. **Camaldulensium** [1]) benedictinae reformationis pater fuit S. Romualdus. Ducali progenie oriundus, pauco tempore mundi voluptatibus obsecutus, in monasterium se recepit, multaque postea missionarius itinera suscepit in Italiam, imo vero etiam in Catalauniam et Hungariam. Incredibile dictu est quanta vi sermonis et exempli voluntates hominum quocumque voluisset impulerit. Vix quisquam peccator restitit. Anno 982 nonnulla monasteria Romualdus condidit in Istria, dein ascendit in amoenissimam regionem montuosam prope Aretium, cui postea nomen *Campus Maldoli* (*Camalduli*), probabili conjectura a *Maldoli* ductum, donatore quodam eximio. Ibi aedificavit monasterium constans cellis triginta, muro circumclusis, in quibus austeram vitam duxit cum suis *eremitis*, habitu candido indutis. Paulo post tempore aliud construxit monasterium in loco *Valle de Castro* prope Camerinum, in quod collegit *coenobitas*. E quibus monasteriis duobus orta diffusaque est, eremitis et coenobitis constans, Camaldulensium congregatio, quae tantos fructus protulit in Italia, quantos Cluniacensis in Gallia [2]).

4⁰. Non multo tempore post Joannes Gualbertus condidit Benedictinam **Congregationem Vallisumbrosae.** Is, Florentiae prius arti bellicae addictus, in praemium veniae inimico datae ad altiorem perfectionem a Deo vocatus, intravit in monasterium S. Miniati. Visitato postea S. Romualdo condidit monasterium Vallisumbrosae, quod factum est congregationis domus materna. Eremiticam prius vitam agentes, dein in communitatem coierunt. Habitu cinerei coloris induti, observabant accurate regulam Benedictinam.

5⁰. Quum in oriente tum in occidente antiquitus rari fuerunt

---

[1]) *S. Petri Damiani* Vita S. Romualdi, *Migne*, P. L., Tom. 144, p. 953 sq. *A. Florentini*, Historia Camald. Tomi II, Florentiae 1575. *S. Mittarelli*, Annales Camald., Tomi IX, Venetiis 1755—1772. *J. Besse*, Art. Camaldules in Dict. de Théol. Cath.

[2]) Regula Camald., *Holstein*, Cod. Reg. Monast., II, 194 sq.

sacerdotes monachi [1]). Quare omnes indiscriminatim vocati sunt *fratres*. Quum vero postea numerus sacerdotum accrevisset, opera manualia a S. Benedicto praescripta paulatim magis magisque **fratribus laicis** sunt relicta, sacerdotibus vacantibus choro, studio et doctrinae.

Fratres conversi primi occurrunt in Vallisumbrosae monasteriis. Licet proprie monachis non annumerarentur, nuncupabant tamen vota paupertatis, castitatis, obedientiae et stabilitatis. Alio prorsus habitu quam monachi vestiti, non obstringebantur silentio neque *clausura*. Quae instituta ratio mox in multas alias congregationes et religiosos ordines assumpta est. In nonnullis Benedictini ordinis monasteriis jam saeculo XI tres inveniuntur incolarum, qui inter se accurate distinguebantur, gradus: *sacerdotum*, *fratrum laicorum* et *fratrum ministrantium*, saeculari veste indutorum. Sic e. c. Hirschaviae (Hirsau). Aderant insuper in multis monasteriis qui appellabantur **oblati;** hi pueri, a parentibus in monasteria collocati, firmata deinceps aetate, arbitrio exeundi jam non fruebantur.

6⁰. Ad praescriptum concilii Chalcedonensis (451), monachi episcopis erant subjecti et ab his visitabantur. **Exemptio** [2]) autem de jurisdictione episcopali, jam antea paucis monasteriis facta [3]), hac aetate a Summis Pontificibus ad integras congregationes est extenta. Quod quidem tum praesertim crebrius evenit, quum monasterium Cluniacense, obtenta anno 949 exemptione, exemplum dedisset monasteriis magno numero sibi subjectis. Ab hac inita via Summi Pontifices postea non recesserunt, quamvis episcopi haud raro, quod jus suum esse arbitrarentur, acriter defenderent. Certaverunt Odilo, abbas Cluniacensis, anno 1025, cum episcopo Matiscensi; Fulco, abbas Corbejensis, cum episcopo Ambianensi in synodo Rhemensi 1049; atque iterum 1051; abbas Augiae divitis cum episcopo Constantiensi; Fulco Corbejensis cum Guidone Ambianensi 1063. Quas lites cunctas Papae diremerunt in gratiam monasteriorum. Exemptio monasterii S. Dionysii anno 1065 Romae probata est [4]).

---

[1]) *Dom. Besse*, Les moines d'Orient, Paris 1900, p. 411 sq.

[2]) *A. Blumenstock*, Der päpstliche Schutz im Mittelalter, Innsbruck 1890.

[3]) E. c. monasterium Bobbiense anno 628.

[4]) *Hefele*, IV, 680, 733, 737, 752 sq., 859, 872. *A. Hüfner*, Das Rechtsinstitut der klösterlichen Exemption in der abendländischen Kirche, Mainz 1907.

CAPUT QUINTUM.

Scientia et ars ecclesiastica.

§ 86 - § 88.

§ 86. Scientia ecclesiastica.

Krumbacher, Geschichte der Byzantinischen Litteratur, II Aufl., München 1897. *Baumgartner S. J.* Die lateinische und griechische Litteratur der christlichen Völker, I—II Aufl., Freiburg 1900. *Specht*, Geschichte des Unterrichtswesens in Deutschland von den ältesten Zeiten bis zur Mitte des 13 Jahrh., Stuttgart 1885. *W. Moll*, Kerkgeschiedenis van Nederland vóór de Hervorming, 2 Deelen, Arnhem 1864—1871. *Maître*, Les écoles épiscopales et monastiques de l'Occident depuis Charlemagne jusqu'à Philippe-Auguste, Paris 1866. *Schwane*, Dogmengeschichte der mittleren Zeit, Freiburg 1882. *Harnack*, Dogmengeschichte, III Aufl., III, 251 sq. *H. Hurter S. J.*, Nomenclator Litterarius, Pars I (1—1109), Oeniponte 1903. *Roger*, L'enseignement des lettres classiques d'Ausone à Alcuin, Paris 1905. *Cl. Blume S. J.* — *G. Dreves*, Analecta hymnica medii aevi. Hymni inediti. Tom. 1—51, Lipsiae 1886—1908.

1°. *Conspectus universalis in occidente.* **Scientia ecclesiastica** hac periodo parum effulsit. Magnorum patrum aetas jam erat exacta, scholastica vero scientia post longum demum spatium nascitura. Omissa altiore rerum disquisitione, retractabantur quae jam erant elaborata. Confecta sunt magno numero collectanea, in quibus ex abundantia veterum patrum, quae idonea essent, ad usum accommodata sunt: *libri poenitentiales*, *exegeses* vel *glossae* in antiquos tractatus theologicos, *homiliarum collectiones*, *formularia*, *ritualia*.

Tantisper tamen revixit scientia ecclesiastica in aula regia Francorum et aliquamdiu floruit, multis praesertim **scholis** erectis. Quod quidem acceptum referendum est monachorum industriae, episcoporum curae, et non solum Caroli Magni, sed etiam Ludovici Pii, Lotharii I, Caroli Calvi aliorumque principum gratiae et tutelae. Atque ita Ecclesia scientiam suam saeculo X ab interitu servavit. Eam saeculo XI

refloruisse, Ottonis Magni successorumque ejus debetur operae.

In Gallia, quae fuit Germanicae et Carolingorum sollicitudinis consors, celebres magno numero scholae floruerunt. In Anglia nondum obliterata erant quae effecerant Theodorus Cantuariensis et Hadrianus abbas. Revixisse autem studia, fere unice debetur industriae Alfredi Magni († 901), qui viros doctos accivit, ipse praestantiora scripta quaedam in sermonem Anglosaxonicum vertit, et alia opera ipse composuit. In Italia, ad finem saeculi IX, scientiae magis ethnicae quam christianae colebantur. Veteres pagani scriptores in honore, Patres vero despectui habebantur. Meliora inchoarunt esse tempora, quum saeculo XI Petrus Damianus et Humbertus Cardinalis scientiae laude florebant. In Hispania floruit Arabum scientia, christiana vero, jugo Arabum pressa, non potuit non esse languida.

Qui fuit hac periodo humanitatis cultus et scientiae ecclesiasticae ardor, quum **scholis cathedralibus** multis, tum monachorum sollicitudini debetur. Nobilium filii futurique magistratus excolebantur in schola aulae Caroli Magni et successorum ejus, clericorum autem major pars in **scholis monasteriorum**. Supra [1]) relatum est, quae scientiae et qua methodo, in his scholis sint traditae. In Germania, una ex antiquissimis fuit schola monasterii *Fuldensis* in Hassia (744), quae claruit Eigilo abbate et celeberrimo Rabano Mauro magistro (817), perrexitque florere usque ad annum 865. Non longe a Fulda, schola *Hersfeldii* praeclara quoque laude celebrata est. Docuit ibi saeculo XI magnam discipulorum frequentiam Albuinus, *magister famosissimus*. In Suevia scholae *Augiae divitis* et *St. Galli* certabant utra utram superaret. Prior praesertim a saeculo VIII ad XI eminuit. Docebant ibi Walafridus Strabo, Hermannus Contractus aliique hujus aetatis docti viri. Saeculo autem X et XI magis claruit schola altera St. Galli. Docuerunt in ea Ratpertus, Notkerus Balbulus, Toutilo, Salomo, futurus Constantiensis episcopus, Notkerus Labeo aliique. Magna fuit scholae St. Galli in alias quoque scholas ordinandas vis et auctoritas. In episcopatu Coloniensi fuit schola praeclara monasterii *Stabulensis*, in dioe-

---

[1]) Supra § 68, N°. 4.

cesi Trevirorum schola *St. Maximini*, in Monasteriensi dioecesi schola monasterii *Verdensis*, in Saxonia schola celeberrima monasterii *Neo-Corbejensis*. Docuit in hac S. Anscharius et Witukind notus historiographus, dein vir doctus Wibaldus abbas. Thietmarus Merseburgensis († 1019) prodiit e schola monasterii *Bergensis* prope Aichstadium. Exeunte saeculo X, scholae monasteriorum Bavariae e deteriore, in quam dilapsae erant, conditione ad meliora revocata sunt: *Tegernsee*, *Niederaltaich*, *Chiemsee*, *St. Emmeram* Ratisbonae, quae una fuit e totius regionis praecipuis. Etiam scholae monasteriorum Austriae ad finem hujus periodi novo vigore floruerunt. Quarum praecipuae fuerunt *S*[i] *Floriani*, *Kremsmünster*, *S*[i] *Hippolyti*, et *Melk*. Aliquanto posterius etiam *Klosterneuburg*, *Ranshoven* et *Reichersberg*. Etiam in Italia, Gallia et Anglia humanitatis cultus magnam partem monasteriorum scholis debebatur, scholis *Rhemensi* [1]), *Vetus-Corbejensi*, cujus Paschasius Radbertus fuit discipulus prius, dein magister, *S° Audomaro*, *Luxoviensi*, *S° Vandregisilo*, *Metensi*, *Turonensi* et *Beccensi*, unde prodiit celeberrima postea doctrina scholastica. In Italia prae ceteris creberrime frequentatae erant scholae *Bobbiensis* et *Monte-Cassinensis*. In Anglia inter numerosas monasteriorum scholas eminuerunt *Oxoniensis* et *Cantabrigiana*. In Neerlandia S. Willibrordus condidit scholam Ultrajectinam, magistris Gregorio, Ludgero, Adalgero, Thiatbrato aliisque celeberrimam. Monasteria quoque *Egmondanum* et *Amelandium* videntur suas jam habuisse scholas. Pauco tempore post etiam Rodensis abbatia egregiam habebat scholam [2]).

2°. **Scriptores ecclesiastici latini.** E scriptoribus ecclesiasticis hujus aetatis omnibus videtur praeclarissimus appellandus **Venerabilis Beda** († 735), universa illius temporis doctrina imbutus. Non solum crebros ad se attraxit discipulos celeberrimus magister, sed multa etiam ad docendum scripta reliquit. Praedicabantur diu ejus homiliae, scriptaque ejus exegetica etiam nunc frequenti manu versantur. Prae ceteris tamen scientiis optime

---

[1]) *Péchenard*, De Schola Rhemensi decimo saeculo, 1875.

[2]) Quod patet e Catalogo Rodensi. Cf. *Dr. P. J. M. van Gils*, Eenige opmerkingen over de middeleeuwsche boekenlijst der abdij Rolduc. Handelingen van het 1e Nederl. Philologencongres, gehouden te Amsterdam. 3 en 4 April 1907.

meruit de historia. Jure suo nuncupari potest pater historiae Anglicae, primamque composuit conversionis Neerlandiae historiam. Cujus rei testimonium adest celeberrima ejus *Historia Ecclesiastica gentis Anglorum*[1]).

Bonifatii († 755) supersunt praesertim *Epistolae* et *Homiliae*[2]).

Paulus Diaconus (Warnefried † 797). Caroli Magni jussu scripsit *Homiliarium*, congerens pro singulis diebus Dominicis et festis praeclariores patrum Graecorum et Latinorum homilias, quo opere mirum quantum emolumentum praestitit episcopis et sacerdotibus. Celebre insuper sibi nomen acquisivit scribenda sua *Historia gentis Longobardorum*[3]).

Alcuinus († 804), Bedae discipulus et diaconus Eboracensis (York) in Anglia, a Carolo Magno in Galliam accitus, scholae palatinae praefectus est. Sollicite operam dedit Francorum eruditioni, praefuitque suae aetatis scientiarum cultui. Emendavit *Vulgatae* textum ad *codices* veteres, librosque composuit de cultu imaginum et adversus Adoptianismi errorem. Hollandia ei debet enarrationem vitae S. Willibrordi. Non solum aequales sed posteri quoque magni eum fecerunt propter litterarum scientiam[4]).

Ludgerus († 809) scripsit vitam Gregorii Ultrajectini[5]).

Amalarius Metensis († circa 837) notus ex eo est quod scripsit librum liturgicum, cui titulus *De ecclesiasticis officiis*, quique frequenter in manibus fuit. Eo quoque auctore, saltem partim, confecta sunt *Regula canonicorum* et *De institutione monialium*[6]).

Claudius Taurinensis († 839) modicum nomen adeptus est scriptis suis exegeticis[7]).

---

[1]) Opera apud *Migne*, P. L., Tom. 90—95. *K. Werner*, Beda der Ehrwürdige und seine Zeit, Wien 1875.

[2]) Mon. Germ., Epist., III, 231–431. *Migne*, P. L., Tom. 89.

[3]) Mon. Germ., Script. rer. Longobard. 1878. *Migne*, P. L., Tom. 95.

[4]) *Migne*, P. L., Tom. 100—101. *C. J. Gaskoin*, Alcuin, his life and his works, London 1904. *Hamelin*, Essai sur la vie et les œuvres d'Alcuin, Paris 1877. *Torreiles*, Le mouvement théologique en France depuis ses origines jusqu'à nos jours, Paris 1901.

[5]) *Migne*, P. L., Tom. 99, p. 752—770. *Pertz*, Script., Tom. XV, 63–79.

[6]) *Migne*, P. L., Tom. 105. Cf. *Hefele*, IV, 10 sq. Revue Benedict., 1891, 1892, 1894, 1896.

[7]) *Migne*, P. L., Tom. 104, 609—927.

Agobardus Lugdunensis († 840) numeratur inter doctissimos suae aetatis viros. Opere et scriptis allaboravit ut Ludovicum Pium cum filiis ejus reconciliaret. Nec minus sollicite impugnavit Adoptianismum et Judaeos, quorum identidem crescebat potentia [1]).

Jonas Aurelianensis († 844) acri studio defendit revocandam veterem disciplinam, moresque bonos et scripsit *De cultu imaginum adversus Claudium Taurinensem apologiam* [2]).

Eginhardus († circa 848) praecipua laude floruit propter *Annales* et *Vitam* Caroli Magni, qui eo fido consiliario usus est in gravissimis imperii rebus gerendis [3]).

Walafridus Strabo († 849), abbas Augiae divitis et scholae monasterii hujus magister, edidit commentaria in S. Scripturam, quae vocabantur *Glossa ordinaria* et multum lectitabantur. Claruit insuper operibus liturgicis et hagiographicis (*Liber de exordiis et incrementis rerum ecclesiasticarum*) et etiam magis carminibus (*De visionibus Wettini*, *Hortulus*) [4]).

Altfridus († 849) scripsit *Vitam S. Ludgeri* [5]).

Haymo Halberstadiensis († 853) historiae scriptor laudabilis et S. Scripturae commentator, composuit *Breviarium historiae ecclesiasticae* [6]).

Rabanus Maurus († 856) abbas Fuldensis et archiepiscopus Moguntinus, nuncupatur scientificae instructionis et ipsarum scientiarum reformator in Germania. Scripta ejus sunt: Commentarii in Evangelium Matthaei et Vetus Testamentum, libri 22 *De Universo*, quae est quasi encyclopaedia quaedam, dein *De institutione clericorum*, qui liber in multorum manibus fuit; tandem quaedam carmina [7]).

Paschasius Radbertus († 865) libro suo *De corpore et sanguine Domini* partem habuit in controversia de Eucharistia,

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 104, Mon. Germ., Script., XV. *P. Chevallard*, S. Agobard Archevêque de Lyon, Lyon 1869.

[2]) *Migne*, P. L., Tom. 106. *K. Amelung*, Leben und Schriften des Bischofs Jonas von Orleans, Dresden 1888.

[3]) Mon. Germ., Script., Tom. II; *Migne*, P. L., Tom. 104.

[4]) *Migne*, P. L., Tom. 113—114. Mon. Germ., Poet., II.

[5]) Mon. Germ., Script., II, 403—425.

[6]) *Migne*, P. L., Tom. 116—118.

[7]) *Migne*, P. L., Tom. 107—112, Der Katholik, 1902, Tom. II; Bibl. Stud. XI, 3, Friburgi 1906.

edidit commentarios in Matthaeum et Jeremiam, *Vitas Sanctorum* et defensionem virginitatis Mariae [1]).

Ratramnus († circa 868) in controversia de Eucharistia se opposuit Paschasio. Ejus opera: *De praedestinatione Dei*, *Contra Graecorum opposita* et *De nativitate Christi*, in quo defendit B. M. V. virginitatem in partu, celebria manserunt [2]).

Aeneas Parisiensis († 870) notus praesertim est propter suum opus *Contra Graecos*, quod tamen inferioris pretii est quam Ratramni liber, de quo supra relatum est [3]).

Otfridus Weissenburgensis († circa 875) claruit scribenda veteri-Germanico sermone sua consensione evangeliorum (*Evangelienharmonie*) [4]), quae est versibus alliterantibus composita.

Eodem sermone et forma conscriptum est poema, cui nomen **Heliand** [5]), opus gravibus reconditisque sententiis plenum.

Scotus Erigena († 877) acute cogitandi facultate pollens, multiplici fuit variaque doctrina eruditus scriptor. Praecipuis suae aetatis disceptationibus, praesertim de praedestinatione et de Eucharistia se immiscuit, sed in errores pantheisticos inductus est. Opus ejus princeps inscribitur *De divisione naturae*, in quo *processio Spiritus sancti* exponitur ad mentem Photii [6]). E graeco sermone vertit *Pseudo-Dionysium Areopagitam*.

Anastasius Bibliothecarius († 879) bene meruit de scientia ecclesiastica vertendo Acta Conciliorum oecumenicorum VII et VIII, componenda *Historia tripartita* ex operibus Nicephori Callisti, Theophanis et Syncelli, vertendis vitis Sanctorum, Actis Martyrum etc. [7]).

Hincmarus Rhemensis († 882) rebus gestis et scriptis unus fuit e praeclarissimis suae aetatis viris. Propugnator acerrimus doctrinae libertatisque Ecclesiae, pene omnium suae aetatis certaminum particeps fuit. Scripta reliquit de praedestinatione,

---

1) *Migne*, P. L., Tom. 120. *Ernst*, Die Lehre des H. Paschasius Radbertus, Freiburg 1896.

2) *Migne*, P. L., Tom. 121, pag. 9—356; *A. Naegle*, Ratramnus und die H. Eucharistie, Wien 1903.

3) *Migne*, P. L., Tom. 121, p. 685—762.

4) Ed. *Piper*, Freiburg 1884. Monographia auctoris, *E. Pfeiffer* 1905.

5) *Heliand*, Altsächsische Evangelienharmonie, Ed. *Schmeller*, München 1830. *Piper*, Die altsächsische Bibeldichtung, Stuttgart 1897 sq. *V. Mohler*, Heliand poema saxonicum saeculi noni. Etude critique et traduction littérale, Paris 1898.

6) *Migne*, P. L., Tom. 122.

7) *Migne*, P. L., Tom. 127—129. *Lapôtre*, De Anastasio bibliothecario, Paris 1884.

de S. Eucharistia, de jure canonico et de sui temporis historia. Testantur tamen haec opera magis virum, qui multa aliorum scripta pervolutaverit, quam qui propria ingenii acie nova invenerit[1]).

Notkerus Balbulus († 912), monachus St. Galli, *sequentiarum* ecclesiasticarum pater est. Celeberrima illa cui titulus: *Media vita in morte sumus*, a nonnullis ei ascribitur. Scripsit deinde commentarios in S. Scripturam, *Martyrologium* aliaque opera, praesertim historica[2]).

Regino Prumiensis († 915) edidit *Chronicon* notumque omnibus librum *De synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis*[3]).

Radbodus Ultrajectinus († 917) scripsit de S. Suitberto, Amelberga, Lebuino, et Servatio, *sequentiasque* aliquas composuit, probabili judicio ante Notkerum[4]).

Atto Vercellensis († 960) celeber fuit exegeta et orator, scripsitque commentarios et homilias[5]).

Luitprandus Cremonensis († 970) sua *Historia imperatorum et regum* et *Antapodosi* praebuit se scriptorem partium studiosum[6]).

Ratherius Veronensis († 974) operibus, quae inscribuntur: *Praeloquiorum libri VI*, *De contemtu canonum*, *Invectiva*, *Epistolae* etc. morum censor sedulus, sed modum nonnihil excedens[7]).

Roswitha († 984) inter medii aevi auctores praestantissimo ingenio eminuit. Ipsa scripsit comedias, carmina in laudem martyrum sanctorum et poema *De gestis Ottonis I*[8]).

Gerbertus (Sylvester II, † 1003) scientiae arithmeticae, physicae et astronomicae pro sua aetate peritissimus, scripsit insuper libros theologicos: *De corpore et sanguine Domini*, *De informatione episcoporum*, *De dignitate sacerdotali*, *Epistolas* etc.[9]).

Notkerus Labeo († 1022) in sermonem veterem teutonicum

---

1) *Migne*, P. L., Tom. 125—126. Mon. Germ., Poet., III, 409—420. *H. Schrörs*, Hinkmar, Erzbischof von Reims, Friburg 1884.

2) *Migne*, P. L., Tom. 131. Mon. Germ., Script., Tom. II.

3) *Migne*, P. L., Tom. 132. Mon. Germ., Script., I, 536 sq.

4) *Migne*, P. L., Tom. 132. Analecta Boll., I.

5) *Migne*, P. L., Tom. 134.

6) *Migne*, P. L., Tom. 136. Mon. Germ., Script., Tom. III.

7) *Migne*, P. L., Tom. 136.

8) *Migne*, P. L., Tom. 137. Mon. Germ., Script., IV. Ed. *P. v. Winterfeld*, Berlin 1902.

9) *Migne*, P. L., Tom. 139. *Havet*, Lettres de Gerbert, Paris 1889.

vertit *Psalterium*, *Canticum*, *Symbolum Athanasianum* aliaque scripta [1]).

Hermannus Contractus († 1054), monachus Augiensis, doctrina eminuit scripsitque *Chronicon*, opus valde bonum et plura de arte musica, de astronomia etc. Auctor est antiphonarum *Salve Regina* et *Alma Redemptoris Mater* [2]).

Petrus Damianus († 1072), Ostiensis episcopus, cardinalis, fuit unus e praecipuis hujus periodi theologis. Ei ascribuntur opera fere 60, de simonia, de concubinatu, de avaritia etc., de ascesi, de vitis Sanctorum et theologia dogmatica. Inter precationes et cantica ejus 225 nonnulli numerant sequentiam *Victimae Paschali* [3]).

Lanfrancus Beccensis († 1089), celeber fautor instructionis et scriptor egregius. Operum major pars est exegetica in S. Scripturam et de theologia dogmatica: *De corpore et sanguine Domini*, *De celanda confessione*. Scripsit etiam de sui temporis historia [4]).

Referendi demum quoque sunt in hac periodo **Humbertus** († 1061), cardinalis, defensor Ecclesiae [5]), **Adam Bremensis** († 1068) historiographus [6]) et **Lambertus Hersfeldensis** († 1077) qui notas *Annales* reliquit [7]).

3°. **Conspectus generalis in oriente.** Inde ab ineunte saeculo VIII in oriente dominabantur in exegesi *Catenae*. Exponebatur S. Scriptura per effata patrum, fere sine studio altera ad altera conserta. Putant canonem Trullanum XIX huic methodo favisse [8]). Magnus certe *catenarum* numerus demonstrat inventionis et laboris defectum [9]). In dogmatica quoque theologia vix aut ne vix quidem apparet progrediendi studium. In controversia *de processione Spiritus Sancti* repetunt major scriptorum pars, quae jam a patribus fuerant dicta. Ulterior dogmatis explanatio desideratur, eo quod testimonia patrum

---

1) *Scherzius*, Thesaurus Antiq. Teuton., Tom. I. *P. Piper*, Die Schriften Notkers und seine Schule, Freiburg-Tübingen, 1882—1883.

2) *Migne*, P. L., Tom. 143. *Mon. Germ.*, Script., Tom. V, p. 67—133.

3) *Migne*. P. L., Tom. 144—145. *R. Biron*, Saint Pierre Damien, Paris 1908.

4) *Migne*, P. L., Tom. 150. *Longuemare*, Lanfranc, Paris 1902.

5) *Migne*, P. L., Tom. 143.

6) *Migne*, P. L.. Tom. 146. Mon. Germ., Script., Tom. VII.

7) Mon. Germ., Script., III, 22—263.

8) *Hefele*, III, 333—334.

9) *Krumbacher-Ehrhard*, Ed. 2, 206—218.

pro et contra *Filioque* allegari poterant. Feliciore novitate tractabantur ascesis, eloquentia ecclesiastica et hagiographia; non tamen potuerunt ad eximia exempla praeteritorum temporum assurgere. Theologia, per solos Joannem Damascenum et Photium ad altae perfectionis gradum elata, in reliquis animos numquam plane languidos aliquantum movit. Calamitosum tamen schisma non solum ecclesiasticae vitae moribusque, verum etiam scientiae damna ingentia attulit.

4°. **Scriptores ecclesiastici Graeci: Joannes Damascenus** († 749) non solum praecipuus fuit colendarum imaginum defensor (*Orationes III de sacris imaginibus*), verum etiam unus e maximis Ecclesiae Graecae theologis. Opus princeps inscribitur *Fons scientiae*, constans partibus tribus: *Dialectica*, *De haeresibus*, in qua parte haereses 103 describuntur, et *De orthodoxa fide*, qui est integer theologiae tractatus, concinne, clare et ordine elaboratus. Haec pars tertia, saeculo XII in latinum sermonem versa, magno pretio fuit penes Lombardum et Thomam Aquinatem; Parallela Sacra quoque lectitata est. Homiliae vero, Damasceni nomine inscriptae, 13 partim spuriae sunt [1]).

Theodorus Studita († 826) controversiae de cultu imaginum se immiscuit (*Antirrhetici tres adv. Iconomachos*, *Quaestiones*), sed praecipue in scientia ascetica versatus est (*Magna catechesis*, *Orationes*). Epistolae autem ejus magni sunt momenti pro Ecclesiae historia [2]).

Nicephorus († 829), patriarcha Constantinopolitanus, ipse quoque imaginum cultum scriptis defendit: *Apologeticus*, *Epicrisis* et *Antirrheticum* [3]).

Theodorus († saeculo IX), episcopus Edessenus, notus est libro suo: *Centum capita practica*. Reliqua ejus opera edita non sunt [4]).

Photius († 891), tristissimae famae patriarcha, doctrina et scriptis ecclesiasticis celeber fuit. Maximum ejus opus theologicum inscribitur *Amphilochia*, eo quod collecta in hoc scripta

---

[1]) *Migne*, P. G., Tom. 94—96. *D. Ainslee*, John of Damascus, Ed. 2, London 1903. *Ermoni*, S. Jean Damascène, Paris 1904. Echos d'Orient 1906, p. 28.

[2]) *Migne*, P. G., Tom. 99.

[3]) *Migne*, P. G., Tom. 100; *Pitra*, Spicil. Solesm., Tom. I, p. 302—503; IV, 233—415. *De Boor*, Nicephori opuscula historica, Leipzig 1881.

[4]) *Possinus*, Thesaurus asceticus, Paris 1604.

ad Amphilochium Cyzicanum diriguntur. Constat autem tractatibus 324, de philosophia, de dogmatica, de exegesi etc. Multi sunt Photii commentarii in S. Scripturam. Homiliarum, quae arte oratoria eminent, exigua tantum pars superest. Magni pretii opus est, cui titulus *Bibliotheca*, constans capitibus 280, quae singula singulos libros, plerumque deperditos, explicant, dijudicant et magnam partem referunt. Dein prostat ejus *Lexicon* antiquitatum. Liber, cui titulus *Nomocanon*, non esse Photii videtur [1]).

Leo VI Sapiens († 911), imperator Byzantinus, praeter alia opera scripsit multas homilias et sermones laudatorios, quorum nonnulli editi sunt [2]).

Simeon Metaphrastes († saeculo X) collegit ac venustiore sermone tractatas edidit vitas sanctorum et martyrum. Accusatus antea fuit quod facta esset commentitus. At injuria: quae in ejus operibus occurrunt incredibilia, eorum argumentum, ab aliis auctoribus acceptum, nulla critica disquisitione facta, suo sermone reddidit. Supersunt quoque nonnulli ejus *Sermones de moribus* etc. [3]).

Simeon († 1042), *theologus junior* appellatus, monachus in monasterio Studionensi multa reliquit opera, quorum major pars nondum typis vulgata sunt. Ex editis autem memorandae *Orationes* 33 et *Capita practica et theologica* 152 [4]).

Nicetas († saeculo XI), cognomine Stethatos, scripserat prius contra Latinos, sed postea ab Humberto cardinali ad unionem cum Ecclesia reductus est. Plura ejus opera ascetica nondum sunt typis edita. In eo quod typis impressum est *De purgatione animi etc.* describit vitae spiritualis gradus tres [5]).

Michael Psellos († 1079) acumine ingenii, doctrina et litterarum eruditione suae aetatis princeps fuit, atque e sententia Krumbacher cum Alberto M. aut Bacone comparandus.

---

1) *Migne*, P. G., Tom. 101—104. *K. E. Zacharias von Singenthal*, Mémoires de l'Acad. imp. des sciences de St. Petersbourg, VII Sér., Tom. 32 (1885). *Λόγοι καὶ ὁμιλίαι*, Ed, *St. Aristarches*, Tom. II, Constantinopel 1901.

2) *Migne*, P. G., Tom. 107.

3) *Ehrhard*, Die Legendensammlung des Metaphrastes, Festschrift u. s. w. Freiburg 1897. Anal. Boll., 1897. *Migne*, P. G., Tom. 114—116.

4) *Migne*, P. G., Tom. 120. *K. Holl*, Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum, Leipzig 1898.

5) *Migne*, P. G., Tom. 120, p. 852—1012.

Scripsit autem de omni genere litterarum: de poesi, arithmetica, astronomia, philologia, archeologia etc. Theologica ejus opera sunt Commentarius in *Canticum*, *De omnifaria doctrina capita* 157, *De daemonum energia*[1]).

Theophylactus († saeculo XI) notus commentator est[2]), sicut etiam aequalis ejus, **Euthymius Zigabenus** (saeculo XI), cujus est insuper *Panoplia dogmatica* ad omnes haereses refellendas[3]).

---

§ 87. Ars ecclesiastica.

F. X. Kraus, Geschichte der christlichen Kunst, II, 1, Freiburg 1897. *Dr. Ad. Fäh*, Geschichte der bildenden Künste, Freiburg 1897. *A. Kuhn*, Algemeine Kunstgeschichte, 3 Bnde, Einsiedeln 1897—1909. *Reusens*, Eléments d'Archéologie chrétienne, 2e éd., Tom. I—II, Louvain 1885—1886. *Dr. Erich Frantz*, Geschichte der christlichen Malerei, I Theil, Freiburg 1887—1888. *A. Springer*, Geschiedenis der beeldende kunst. Vertaald door *A. W. Weisman*, Leiden. *R. Borrman—J. Neuwirth*, Geschichte der Baukunst, II: Die Baukunst des Mittelalters, Leipzig 1904. *H. Bergner*, Handbuch der kirchlichen Kunstaltertümer in Deutschland, Leipzig 1905. *Raymond Lemaire*, Les origines du style gothique en Brabant, I partie. L'Architecture romane, Bruxelles—Paris 1906. *Ruprich-Robert*, L'Architecture Normande au XI et XII siècles en Normandie et en Angleterre, 2 vols, Paris 1890.

1⁰. In oriente hac aetate floruit, sicut antea, **ars Byzantina.** Quum Orientales et Latini fierent magis magisque in dies animis ab invicem aversi, consequens fuit ut ars ista in structurae genus illud, quo occidentales utebantur, non nisi parum influxerit. Si exceperis Italiam, cujus per Venetias et regiones meridionales satis diuturnum cum Oriente commercium fuit, vix in universo occidente vestigia ulla artis Byzantinae invenias. Regnantibus principibus Carolingicis, tempore Ottonis II et etiam postea, multa quidem opera arte facta Constantinopoli asportata sunt in Francorum regnum et in Germaniam, non tamen haec animos Latinorum ad imitandam orientis artem moverunt. In-

---

[1]) *Migne*, P. G., Tom. 122.
[2]) *Migne*, P. G., Tom. 123—126.
[3]) *Migne*, P. G., Tom. 130.

veniuntur in Sicilia, Torcellis et Venetiis eximia opera tessellata. Parva ecclesia *La Cattolica* prope Stilonem in Calabria, Torcellis *Santa Fosca*, Venetiis *S. Zaccaria* et prae ceteris *S. Marco* structurae genus Byzantinum prae se ferunt. Architecti tamen cathedralium Torcellis, Muranii et Gradis videntur magis artem Ravennatensem secuti.

2⁰. In imperio Germano-Gallico, principum Carolingicorum aetate, architectura ad altiorem artis gradum evecta est [1]). Jam antea multae in Galliis fuerant extructae basilicae, inter quas pulcherrima *S*[i] *Servatii* Trajecti ad Mosam [2]), a S. M o n u l p h o (saeculo VI) aedificata. Quae etsi cunctae formam Romanam servaverint, **Carolingica instauratio** tamen effecit ut nonnihil ad patrias traditiones sint mutatae [3]). Quod non solum palatia C a r o l i M a g n i villaeque demonstrant sed etiam sacella et ecclesiae. C a r o l u s aedificavit aedes sacras polygonas Neomagi et Aquisgrani. Haec octigona aedes quanquam *S. Vitalis* Ravennatensis et nonnullas ecclesias Longobardiae [4]) in memoriam revocant, tamen hoc habet proprium, quod octigoni latera exterius duplicata sunt (16), quo aedificium et venustius factum est et firmius [5]). Videntur architecti hoc exemplum esse secuti in aedificandis sacello castelli Divodurensis, ecclesia *S. Joannis* Leodiensi (978), *S. Walburgis* Groninganae, monasterii Essenensis (saec. X) etc. In hoc praecipuos progressus fecit structurae ars aevo Carolingico, quod basilicae formam ulterius excoluit. Nonnumquam data est ei forma crucis (*crux immissa*): uti Fuldae (819), S. Galli (830), Hersfeldi (850), Verdae ad Ruram (875); nonnumquam *presbyterium duplicatum*, uti Centulae (798), Fuldae (819), St. Galli (830), Augiae divitis, Hildeshemii,

---

[1]) Cf. *Camille Enlart*, Manuel d'Archéologie française, I, Architecture religieuse, Paris 1902, p. 155 sq.

[2]) *Dr. P. Doppler*, Le „Grand Temple" de S. Monulphe, l'église Saint-Servais à Maestricht. Extrait du Bulletin XXXII de la Gilde St. Thomas et St. Luc, 1903. *E. Enlart*, l. c., p. 114 sq.

[3]) *Kraus*, op. cit., II, 1, p. 5 sq.

[4]) *G. T. Rivoira*, Le origini dell' architectura lombarda e delle sue principali derivazioni nei paesi d'Oltr'-Alpe, vol. I—II, Roma 1902—1907.

[5]) *Eginhard*, (Carolus) inquit, plurimae pulchritudinis basilicam Aquisgrani extruxit, auroque et argento et luminaribus adornavit. Ad cujus structuram, cum columnas et marmora aliunde habere non posset, Roma atque Ravenna devehenda curavit. Mon. Germ., Script., II, 457.

Treviris etc.; nec raro duplicatum transeptum, uti *S. Pantaleonis* Coloniae Agrippinae (980), *S. Michaelis* Hildeshemii (1033); aliquoties transeptum alterum prope presbyterium occidentale: sicuti in cathedralibus Vormatiae (1016), Augustae Vindelicorum (994), *S. Emmerami* Ratisbonae (saeculo X—XI)[1].

3⁰. Harum ecclesiarum nonnullae extructae jam fuerunt aetate **architecturae Romanae,** quae, praeparata per Longobardicam[2]), Carolingicam et post-Carolingicam structurae artem, ipsa proprie florere inchoavit saeculo XI. Alte desederat saeculo X architectura Carolingica, eo quod imperitia principum societatis, quum publicae tum civilis, conditionem deorsum egerat. Germania enervata erat, Italia ad inopiam redacta. Auctis denuo saeculo XI rebus secundis, respirarunt revixeruntque artes. Rodulphus Glaber (1044), in celebri libri sui capite *De innovatione ecclesiarum in toto orbe*[3]), scribit non solum saepius sed etiam melius esse aedificatum.

Eximie floruit structurae genus Romanum. Ejus proprietas et quasi indoles, qua re distinguitur a genere basilicae, quaerenda est in fornicibus, quae quum fierent majoris ponderis, totius aedificii structura firmior fieri debuit. Hinc structurae Romanae species angusta, gravis, ponderosa sed etiam dignitate augusta. Hinc ad perpendiculum librata cuncta, in basilica vero ad aequum directa. Romana structura, utut pondere quasi premens, tamen contemplanti jam insinuare videtur proceram illam elevationem, quae in structura Gothica summam perfectionem attigit. Ab hoc tempore ecclesiae adhaerebat *turris; crypta*, jam antea presbyterio supposita, construi perrexit, ad presbyterium altius extollendum; pilae saepe pro columnis usurpatae, pilarum et columnarum capitula ornabantur plantarum et animalium effigiebus; antiqua christiana signa symbolica magis magisque in dies neglecta sunt.

In historia hujus architecturae distinguuntur vulgo periodi

---

[1]) *R. Hedde* notat hic: Quoique l'architecture Carolingienne ait laissé moins de traces chez nous (in Gallia), il faut citer la crypte de l'église de S. Quentin, l'église S. Christophe à Suèvres (Loir-et-Cher), l'église de Germigny-les-Prés (Loiret), consacrée par Théodulphe en 806, les deux cryptes de S. Avit et de S. Aignan d'Orléans, la crypte de S. Germain d'Auxerre (845—850) etc.

[2]) Cf. *Rivoira* op. cit.

[3]) Hist. lib. III, c. 4. Historiens de la Gaule (*Bouquet*), Tom. X.

tres: prae-Romana, Romana et post-Romana seu *transitionis*. Prioris periodi ecclesiae supra plures relatae sunt. Ad alteram florentis structurae Romanae periodum pertinent in Hollandia: celeberrima crypta ecclesiae monasterii Rodae Ducis (Rolduc) (saeculo XII) et, jam antea exstructa ecclesia *B. M. Virginis* Trajecti ad Mosam, cujus pulcherrimum presbyterium cryptaque pulcherrima saeculo XI aedificata sunt. Pulchritudinis culmen structurae Romanae attigerunt cathedrales ecclesiae ad Rhenum: Spirae (saeculo XI), Moguntiae (saeculo XI—XII) et Vormatiae (saeculo XI—XII). Tertiae periodi pulchriores ecclesiae habentur: cathedralis Padebergae (saeculo XII—XIII) et Limburgi ad Laganam (saec. XII). Valde pulchrae etiam censentur ecclesia *B. M. Virginis* Ruremundae (saeculo XII—XIII) et propylaeum meridionale ecclesiae *S. Servatii* Trajecti ad Mosam. Structurae Romanae templa, quae in variis regionibus supersunt, pro natura locorum et varia incolarum indole, typum varium prae se ferunt[1]). In Gallia autem triplex haec aetatis partitio distingui non potest. Celeberrimae ejus temporis ecclesiae sunt: *S. Frontonis* Petricoricensis (934), cathedralis Engolismensis (1017—1020), *S. Stephani* Cadomensis (1064) *S. Eutropii* Sanctis, cathedralis Podiensis, *S. Sernini* Tolosae, *S. Hilarii* et *B. M. V.* Pictavii.

In Anglia distinguunt structuram Anglo-Saxonicam et Normandicam. Praecipuae hujus temporis ecclesiae sunt cathedralis Cantabriae, dein *St. Albani*, tum Glowcester, Durham, Ely, Chichester etc.[2]).

4°. Ad ornandas ecclesias ministra advocata est imprimis **pictura** monumentaria. Hanc Carolingica aetate non fuisse neglectam, testantur imprimis ejusdem aetatis scriptores. Memorant autem *Christum in throno sedentem* in ecclesia Centulae, *Nativitatem Domini* in ecclesia Frisingensi, *Davidem inter cantores quattuor* Salisburgae. L u d o v i c u s P i u s sacellum Ingelhemense ornavit picturis e Veteri Testamento desumptis. In ecclesia *St. Galli* picta fuerunt *Christus juvenis*, *Christi miracula*, *Christi passio*. Vix tamen quidquam de his omnibus superest; un-

---

[1]) *Dr. P. J. H. Cuypers—Jan Kalf*, De katholieke kerken in Nederland, Amsterdam 1906 sq.

[2]) *R. Hedde*, op. cit., I, p. 417.

de ex ipsis monumentis parum notitiae hauriri potest. Neque quidquam superest de pictis fenestris, quibus tum jam utebantur [1]).

In periodo altera, quae proprie Romana erat, florebat illa pictura monumentaria. Vulgo fuit symbolica. Antitypus opponebatur typo. Saepius explicandi causa adjungebantur tabulis pictis inscriptiones seu legendae. Echard IV abbas versibus composuit ejusmodi inscriptiones ad imagines ecclesiae abbatialis suae *St. Galli*, idemque fecit pro ecclesia cathedrali Moguntina [2]). Tractabatur autem tabulae argumentum simplicissima methodo. Si sub dio fingebatur res gesta, appingebatur unica caulis cum flore conventionali. Aedes, rupes, arbores, undae, nubes numquam prae se ferebant ullum studium imitandae naturae. Imagines pingebantur in recessu unius coloris, altera vulgo juxta, non post alteram. Artifices non sequebantur principia realismi; utebantur coloribus liquidis non acerbis. Praecipuum eorum studium fuit ut imagines dignitatis speciem prae se ferrent. Pigmentum inducebant non solum parietibus sed saepius etiam columnis aut pilis, basibus et capitulis. Integras ecclesias variis coloribus ornare solebant. Cujus rei vestigia supersunt in Hollandia, Germania, Gallia etc.; e. c. in ecclesia cathedrali Tornaci, in apside *S. Servatii* Trajecti ad Mosam, in ecclesia Aldeneyk in Belgio, in *S. Gereonis* Coloniae Agrippinae, *St. Michaelis* Hildeshemii etc. Celeberrima sunt opera tectoria in *S. Clementis* Romae (saeculo XI) [3]).

5°. **Sculptura** quoque ad exornandas ecclesias adhibebatur. Aedes sacrae, structura Romana factae, interius et exterius distinguebantur statuis multis et operibus sculptilibus, ad aedificationem et instructionem populi [4]). In transitionis periodo ubérrimis saepe decorabantur statuis propylaea. Pulcherrima supesunt in ecclesiis Freibergi in Saxonia et *S. Servatii* Trajecti ad

---

[1]) Vita II Ludgeri, Mon. Germ., Script., II, 423: „Aurora jam rubescente et luce paulatim per fenestras irradiante, imagines in eis factas monstrare digito coepit". Cf. *Moll*, De glasschilderkunst in Nederland; in *Taurel*, De christelijke kunst, Amsterdam 1889, bl. 119 sq.

[2]) *Wattenbach*, Deutschlands Geschichtsquellen, I (Ed. VI), p. 395.

[3]) *Reusens*, I, 408 sq. (Ed. II).

[4]) *Suger* abbas S. Dionysii:

„Mens hebes ad verum per materalia surgit,
Et demersa prius, hac visa luce, resurgit."
Reusens, I, 526.

Mosam. In tympano supra portam fere semper collocabatur Christus sedens. Cujus exemplar praeclarum habetur in parvo ostio ad septentrionem *S. Servatii* Trajecti ad Mosam[1]). Universe dici potest artem sculpturae hac aetate nondum potuisse se veteribus formis hieraticis exuere. Quum imagines altitudine naturali finguntur, tum praesertim deest elegantia habitus et vestitus, desiderantur argutiae vultus et gestus, qui fere semper languidus est et severus. Qui tamen omnes defectus rarius inveniuntur in minoribus operibus, in dipticis, reliquiariis et aliis hujusmodi. Aurifices autem artem suam hac aetate ad altam perfectionem extulerant[2]).

6⁰. In Italia aliisque regionibus iis, ubi marmora abundabant, ecclesiarum **pavimentum** exstruebatur *opere Alexandrino*. Conglutinabantur nempe varia marmora praesertim porphyrites rubra et viridis. Dixisses tapete varium et spectabile. In partibus septentrionem spectantibus, e lateribus colore vario fingebantur figurae geometricae, opus Alexandrinum fere imitantes. Haud raro figurae symbolicae, atque effigies Sanctorum e Veteri et Novo Testamento in pavimento fingebantur. Sic in *S. Gereonis* Coloniae Agrippinae, in *S. Remigii* Rhemis, et in multis ecclesiis monasteriorum Cluniacensium. Quod satis acriter improbavit S. Bernardus „*Utquid*, inquiens, *saltem sanctorum imagines non reveremur, quibus utique ipsum, quod pedibus conculcatur, scatet pavimentum? Saepe spuitur in ore angeli, saepe alicujus sanctorum facies calcibus tunditur transeuntium. Et si non sacris his imaginibus, cur vel non parcitur pulchris coloribus? Cur decoras quod mox foedandum est? Cur depingis quod necesse est conculcari? Quid ibi valent venustae formae, ubi pulvere maculantur assiduo?*" [3]).

7⁰. Structurae Romanae **altare** vulgo fuit forma quadrata oblonga. Mensa fulciebatur opere caementario vel columnis. Opus hoc caementarium saepe decorabatur praeposito *antipendio*,

---

[1]) Sub tympano legitur:

† Haec domus orandi domus est peccata lavandi †
† Hoc subeas limen purgare volens homo crimen †
† Intus peccatis lavacrum dat fons pietatis †

[2]) *J. Helbig* apud *Reusens*, Elements d'Archéologie, I, 566 sq.

[3]) Apologia ad Gulielmum St. Theodorici abbatem, *Migne*, P. L., Tom. 182, p. 914 sq.

ex auro vel argento, vitro metallico (émail), caelatis figuris aut picturis ornato. Pulcherrimum antipendium superest in *St. Ambrosii* Mediolani (835). Celebris *Pala d'oro* Venetiis, quo postea tanquam scamno (*retable*) usi sunt, pridem antipendium fuit (saeculo X). Structurae Romanae altaria, columnis sustentata, adsunt Bastoniae (saeculo XII) et in cathedrali Ratisbonensi (saeculo XII). Altaria cum *ciborio* ex hac aetate pauca supersunt: Ravennae (812), Parentii in Istria, *S. Marci* Venetiis et *S. Ambrosii* Mediolani (saeculo XI). *Scamna* usurpari coeperunt exeunte saeculo XI, ad fovendam pietatem sacerdotis, Missam celebrantis. Decorabantur vitro metallico, et operibus pictis aut sculptis. Plurima tamen initio conficiebantur ex auro, argento aut cupro deaurato. Saepius retro post haec scamna collocabantur reliquiaria ecclesiae. Nonnunquam reliquiaria ipsa pro scamnis usurpabantur: sicut e. c. in altari majore *S. Servatii* Trajecti ad Mosam[1]). Postea tamen saepe collocabatur alterum altare in anfractu apsidis, in quo reliquiaria Sanctorum ponebantur.

8⁰. Structura Romana nunquam nec collapsa nec depravata est. Ad meliora perpetuo contendens, tandem conversa est in structuram Gothicam. Quod Gallia septentrionalis jam fieri vidit saeculo XII, dum in Germania, etiam post integrum fere saeculum, adhuc aedificarentur praeclara structurae Romanae monumenta.

---

[1]) *Dr. P. Doppler*, Publications du Limbourg, 1901, p. 85—86 (nota).

PERIODUS ALTERA.

A GREGORIO VII AD BONIFATIUM VIII.

1073—1303.

CAPUT PRIMUM.

SUMMI PONTIFICES.

§ 88—§ 95.

§ 88. Gregorius VII et controversia de investitura.

Duchesne, Liber Pont., II, 282—291. Registrum Gregorii VII apud *Migne*, P. L., Tom. 148; idem apud *Jaffé*, Biblioth. rer. German., II. *Pertz*, Monum. Germ., Libelli de lite imp. et pont., Tom. I—III, Hannover 1891—1897. *Voigt*, Hildebrand als Pabst Gregor VII, 2e Aufl., Weimar 1846. *Gfrörer*, Pabst Gregor VII und sein Zeitalter, VII Bde, Schaffhausen 1859—1864. *Delarc*, St. Grégoire VII et la réforme de l'église au XI siècle, 3 vol., Paris 1889—1890. *Martens*, Gregor VII, sein Leben und Wirken, 2 Bde, Leipzig 1894. Heinrich IV und Gregor VII nach der Schilderung von Rankes Weltgeschichte, Danzig 1887. *Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands, III, Leipzig 1896, p. 752 sq.

Hac periodo Ecclesia medii aevi ad altissimum gradum efficientiae suae evecta est: primatus auctoritas maxime firmata, Crucigerorum expeditiones institutae, universitates conditae et scholastica doctrina exculta, ordines militares erecti, monasteriorum instituta latissime expansa, ars celeberrima Gothica inventa, vitae ecclesiasticae disciplina reformata.

1⁰. Hildebrandus, diaconus-cardinalis, mortuo Alexandro II (1073), fere sexagenarius fuit. Nemo ei par laboribus, quibus fuerat perfunctus, tum simplex monachus[1]), tum pontificum legatus in Italia, Gallia et Germania, causam Paparum sex, qui praecesserant, defendens. Nemo penitius perspexerat angustias, quibus premebatur papatus. Tamen, unanimi suffragio electus, nonnihil moratus suscepit officium, sibique nomen dedit **Gregorio VII** (29 Aprilis 1073). Nicolai II[2]) *Decreto*

---

[1]) *Berlière*, Grégoire VII fut-il moine? Revue Bénédictine, 1893, p. 337 sq.

[2]) Cf. supra § 65, N⁰. 3. De electione vide Hist. Pol. Blätter, Tom. 93 (1884), p. 492 sq.

electionis obsecundans, probabiliter confirmationem petiit a rege Romanorum **Henrico IV,** simul sua principia, quaeque meditaretur gubernandi consilia, ingenua libertate exponens. Nihilominus confirmationem misit Henricus. Quae quidem ultima fuit a principe saeculari petita confirmatio. Primo tempore, Henrico, homine crudeli et moribus dissolutis, benigne et indulgenter usus est Gregorius, sperans fore ut maturior aetas eum ad lenitatem bonosque mores revocaret. Julio circiter mense 1073 nimium exagitati Saxones in seditionem commoti sunt. Quibus angustiis pressus, Henricus humilem scripsit ad Gregorium epistolam[1]), poenitens et promittens se mores suos mutaturum, petensque Gregorii auxilium consiliumque[2]).

2⁰. At Gregorius, cumprimum electus, statim aggressus est aetatis mala, praesertim *simoniam* et *coelibatus violationem*, quantum poterat corrigere[3]). Dominica prima quadragesimae 1074 synodum coegit, in qua decrevit: 1⁰) „*Ut hi qui per simoniacam haeresim, hoc est interventu pretii, ad aliquem sacrorum ordinum gradum et officium promoti sunt, nullum in sancta ecclesia ministrandi ulterius locum habeant.* 2⁰) *Illi quoque qui ecclesias datione pecuniae obtinent, omnino eas perdant, nec deinceps vendere vel emere alicui liceat.* 3⁰) *Sed nec illi qui in crimine fornicationis jacent missas celebrare aut secundum inferiores ordines altari ministrare debeant.* 4⁰) *Statuimus etiam, ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imo sanctorum Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, ut qui pro amore Dei et officii dignitate non corriguntur, verecundia saeculi et objurgatione populi resipiscant*" [4]).

3⁰. Haec praescripta per legatos et epistolas undique annuntiata sunt. Henricus IV benevole recepit legatos; quinque suos, jam antea excommunicatos, consiliarios a se removit, licentiamque fecit cogendi synodos, ad exstirpandam simoniam et concubinatum. At restiterunt Pontificis decretis episcopi et sacerdotes. Ac licet haec decreta inniterentur antiquis legibus, jam iteratis a Pontificibus Clemente II (1046—1047),

---

¹) Registrum Gregorii VII, I, 25. *Migne*, P. L., Tom. 148, 509: „talia qualia neque ipsum neque antecessores suos recordamur Romanis pontificibus misisse."

²) *Baronius*, ad an. 1073, N⁰. 43.

³) Vide supra § 84, N⁰. 2—6.

⁴) Epist. ad Ottonem Const., *Migne*, ibid., Tom. 148, p. 645. Cf. Regist., III, 4 etc. *Jaffé*, Regist., RR. PP. Ed. 2ª, I, 603.

Leone IX (1049—1054), Nicolao II (1058—1061) et Alexandro II (1061—1073), incassum coactae synodi sunt. Erfurti, Passavii, Rotomagi et Pictavii in synodis indigna prolata actaque sunt. Qui interfuerunt Patres synodo Lutetiae Parisiorum, decreta Gregorii dicebant „*importabilia esse ideoque irrationabilia*". In Italia Papae conviciabantur, vocantes eum haereticum eo quod verba Christi non intelligeret dicentis: „*qui potest capere capiat*". Imo vero eminentes sanctitate episcopi, ut Anno Coloniensis, timebant mala, si decreta Papae exsecutioni mandarentur[1]). Altmannus Passaviensis, qui causam Papae defendere pergebat, in vitae discrimen adductus est. Gregorius vehementer dolens de corruptione, quae adeo alte invaserat animos, de socordia et indignitate episcoporum et de principum ambitione et cupiditate, firmus stetit suo consilio, Deo confidens[2]).

4⁰. Probe noscens periculum esse in mora, fortiter agere perrexit, et in celebri sua altera synodo quadragesimali (24—28 Febr. 1075) tulit notum illud *decretum adversus investituram*[3]). Etenim non solum foede violabatur coelibatus ac pretio venalia vulgo erant beneficia ecclesiastica, sed etiam in dies magis premebatur Ecclesia principum auctoritate, qui episcopis et abbatibus dabant investituram solemnem cum *baculo et annulo*, insignibus ecclesiasticae potestatis. Quamobrem iteravit, in relata synodo quadragesimali, antiqua decreta contra simoniam et concubinatum, addiditque: „*Si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicae personae susceperit, nullatenus inter episcopos habeatur, nec ulla ei ut episcopo aut abbati audientia concedatur; insuper ei gratiam beati Petri et introitum ecclesiae interdicimus, quousque locum quem cepit, resipiscendo non deserit; similiter de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Si quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet saecularium potestatum aut personarum investituram episcopatuum vel alicujus ecclesiasticae dignitatis dare praesumpserit, ejusdem sententiae vinculo se adstrictum sciat*"[4]).

---

[1]) Registr., I, 79; II, 25; II, 67.

[2]) Registr., II, 49.

[3]) De investitura vide *G. Waitz*, Deutsche Verfassungsgeschichte VII, p. 272—291; de episcopatuum commercio, ibid., p. 291 sq.

[4]) *Jaffé*, Registr., I, 612.

5⁰. Optimo jure suo egit Gregorius, debuitque talia agere ne Ecclesia obruta principum seculari potestate perverteretur. Praeterea imitatus tantum est exempla synodorum VII (787) et VIII (869). Attamen altius radices egerat corruptio quam ut uno nisu convelleretur. Acerrime Papae restitum est a principibus. Hi enim episcopatus multos feudis ditaverant, eorumque hoc ipso plurimum intererat, quid cui daretur, quum qui fuisset designatus fieret simul eorum vasallus.

Philippus I, Galliae rex, decretis obsecutus est. At eo vehementius exarsit certamen in Germania. Gregorius proposuit Henrico, ut de gravioribus decreti consequentiis ulterius tractaretur [1]). Is vero, nihil curans, arbitrium suum viamque sequebatur, quasi nullum esset editum decretum. Quod antea poenitentiam manifestaverat et se promiserat emendaturum, videtur per simulationem esse factum. Excommunicatos consiliarios ad se revocavit, constituit proprio arbitratu episcopos, Thebaldum Mediolanensem, Hidulphum Coloniensem, iisque investituiam dedit, sicut antea solebat facere. Gregorius in memoriam ei revocavit quae promiserat minitatusque est excommunicationem [2]). Legatos portantes hanc Papae epistolam Henricus inhumaniter valde accepit, et quae secreto cum iis acta fuerant, iracunde conquerens, effatus est coram universa aula. Quo facto, quum legati eum Romam vocassent, ut coram synodo, quae feria 2ª secundae Quadragesimae hebdomadis congressura erat, se purgaret, non jam temperans furori, ut praeveniret Papam, in Septuagesimam (1076) coegit synodum Vormatiam, qua Gregorius VII sede sua et dignitate dejiceretur [3]).

Vocante Henrico, fere omnes Germaniae episcopi die 24 Januario Vormatiae affuerunt. Fere omnes dejectioni Gregorii subscripserunt, paucis tamen renuentibus. Tum Gulielmus Ultrajectinus episcopus „*qui causam regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat; ut aut cum ceteris in dampnationem Papae subscriberent, aut regi, cui sub jurejurando fidem spopondissent, protinus renuntiarent*" [4]). Synodicum dejectionis decretum,

---

[1]) *Labbe*, Conc. Collect., X, p. 137.

[2]) *Bruno*, De bello Saxonico, *Pertz*, Mon. Germ., Script., V, p. 351.

[3]) Vide epistolam convocationis ad episcopos et principes apud *Mansi*, Collect. Concil., XX, 466 sq.

[4]) Haec scribit *Lambertus Hersf.*, Annales ad a. 1076 (*Pertz*, Mon. Germ., Script., V, 242) et post relata verba sic pergit: „Is eo tempore regi admodum

conviciis in Gregorium VII refertum, confectum est. Id promulgavit Henricus in Longobardia et ipse nuntiavit dejectionem, non Gregorio, sed „Hildebrando, *falso monacho*" [1]).

6⁰. Illo ipso tempore, quum Gregorius synodum ageret quadragesimalem anno 1076, legati attulerunt istas Henrici litteras. Rolandus, clericus quidam Parmensis, dicendi copia facta, tradens indignam epistolam, omnimoda convicia in Gregorium effatus est. Defatigatus tandem consessus est. Laici insurrexerunt et, impetu facto, nisi Gregorius intercessisset, certo Rolandum interfecissent. Una voce omnes declararunt, dignissimum esse Henricum, in quem excommunicatione animadverteretur. Quare Gregorius jam differre non potuit. Excommunicavit [2]) Henricum et Germanos fide ei jurata solvit [3]). Aequales autem, quantopere hoc judicium justum et aequum aestimaverint, satis patet ex epistola Agnetis, Henrici matris, ad Altmannum Passaviensem [4]) atque ex eo quod hominum animi mox iterum Gregorio faverunt.

7⁰. Henricus interea, Vormatia profectus per Coloniam, ubi Hidulphum consecrandum curavit, Ultrajectum venit, Paschatis festa celebraturus. Judicium papale in itinere ei nuntiatum est. Cujus nullam rationem habens, ingressus est excommunicatus cathedralem Ultrajectinam. E suggestu Gulielmus verba fecit, plena conviciis in Gregorium, quem, iracundia inflammatus, solemniter excommunicavit [5]).

---

carus acceptusque erat, eique rex omnium quae privatim vel publice agenda erant post se ordinationem delegaverat, vir saecularibus litteris adprime eruditus, sed fastu nimio inflatus, vix se ipse ferebat." Sic ille; fuerat autem Gulielmus, nobili loco Gelriae natus, post Bernulphum anno 1054 ad episcopatum Ultrajectinum evectus.

[1]) „Heinricus, non usurpatione, sed pia Dei ordinatione rex, Hildebrando, jam non Apostolico sed falso monacho," *Pertz*, De bello Saxon., V, 352.

[2]) Excommunicati etiam sunt archiepiscopus Moguntinus et episcopi Ultrajectinus et Padebergensis. Nonnulli jam antea excommunicati erant; aliis injunctum est ut Romae se purgarent. *Lamb. Hersf.* Annales, (*Pertz*, V, 243.)

[3]) Solemnem excommunicationem vide apud *Duchesne*, Lib. Pont., II, 282; *Bernried*, Vita, *Migne*, P. L., Tom. 148, p. 74; *Bruno*, De bello Saxonico, *Pertz*, V, 353 sq. *Mansi*, Coll. Conc., XX, 467 sq.

[4]) *Watterich*, Vitae Rom. Pontif., I, 381. Cf. *Giesebrecht*, Geschichte der Deutschen Kaiserzeit, III, p. 352 sq.

[5]) *Bruno*, De bello Saxonico, *Pertz*, V, 361; *Lamb. Hersf*, Ann., *Pertz*, V, 244; *Bernoldus*, Annal., *Pertz*, V, 433. Gulielmus paulo post mortuus est.

8⁰. Tota tamen Germania commota fuit Gregorii verbis. Contumacia Henrici auxit numerum eorum, qui huic resistendum censuerunt. Caput eorum fuit Rudolphus, dux Sueviae. Aestate 1076 congressi sunt Ulmam et coegerunt comitia Triburiam, prope Moguntiam, in diem 16 Oct. 1076. Gregorius epistolis *Audivimus*[1]) et *Gratias agimus*[2]) conatus est regem et ceteros excommunicatos ad resipiscendum adducere. Henricus, degens Oppenhemii prope Triburiam per legatos suos optima quaeque se facturum promisit. Decretum in comitiis fuit ut concederetur mora regi, utque res tota relinqueretur arbitrio Gregorii, qui in comitiis, die 2 Februarii 1077 Augustae Vindelicorum habendis, ubi Henrico ut adesset injungebatur, rem dirimeret. Decretum deinde est ut Henricus, nisi intra unius anni spatium excommunicatione solveretur, ab omni jure imperandi haberetur destitutus. Tum rex, ea humiliatione fractus, subscripsit *Edicto*[3]), quo imperii principibus promisit se obsecundaturum Papae, et *Promissioni*[4]), qua Gregorio obsequium et obedientiam testificatus est.

9⁰. Reluctans tamen et metuens prospexit diem comitiorum, quantumque potuit conatus est assequi ut prius jam absolveretur. Proposuit Gregorio ut Romam adiret. Noluit Gregorius, persistens ut in comitiis res dirimeretur[5]). Inde iter in Germaniam aggressus, mox Gregorius venit ad Alpes (*ad Clusas*), ubi frustra exspectavit Germanicum comitatum. Henricus interea, pauco tempore ante festum Nativitatis Dni 1076 Spira profectus, per Montem Cineris in Italiam venerat, et Aleidam de Susa, socrum suam, Mathildam Marchionissam et Hugonem Cluniacensem flagitaverat ut apud Papam intercederent. Quo inopinato nuntio audito, Gregorius rediit in Mathildae castellum **Canossae.** Regem autem rejecit ad comitia Augustana, sicut a principibus Triburiae fuerat constitutum. Tum Henricus, inscio Papa, confestim Canossam adiit. Nocte degebat in inferioribus castelli

---

1) *Bruno*, ibid., p. 354.
2) *Mansi*, XX, 206 sq.
3) *Pertz*, Mon. Germ., Leges, II, p. 49.
4) Ibid., p. 49. *Bertholdi* Annal. dicunt Henricum immutasse verba Promissionis, *Pertz*, V, 286. Cf. *Hefele*, Conc., V, 89—90.
5) *Bruno*, De bello Sax., *Pertz*, V, 361; *Mansi*, XX, 379 sq.

partibus, et interdiu, tres dies continuos, identidem habitu poenitentium indutus, stetit ante portam superiorem, a Gregorio ut absolveretur flagitans. Die 28 Januarii absolutus est.

Errant sane qui hanc poenitentiam contumeliam fuisse dicunt regiae Germanorum dignitatis[1]). Contra, poenitentia sincera eo tempore laudi habebatur et honori. Poenitentiam egerant Henricus III, Henrici IV pater, Theodosius imperator, Ludovicus pius et Otto Magnus imperatores. Imo vero S. Ludovicus IX, Galliae rex, poenitentiam publice egerat[2]). Ceterum neque Gregorius dicendus est fuisse asper et durus, quod post triduam supplicationem demum votis indulsit. Probe enim metuebat, ne Germani principes indignarentur, eo quod statuerant negotium in comitiis Augustanis esse tractandum et dirimendum. Quamobrem a sola excommunicatione regem liberavit, idque tantum cum quibusdam conditionibus[3]), ac probabiliter eodem die scripsit ad principes Germaniae, ut quae gratiose fecerat explicaret[4]).

10°. At Henricus non adiit comitia Augustana, sed pellectus ab episcopis Longobardiae, jusjurandum datum laesit atque prohibuit quominus Papa adiret comitia. Tum principes Germani, congressi Forchenae prope Pabebergam, licet Papa suasisset ut rem differrent[5]), Rudolphum Suevum, die 15 Martii 1077, regem elegerunt. Moguntiae, die 26 Martii, diadema regium capiti ejus impositum est. Quam electionem Gregorius quidem non probavit, eo quod Henricum servandum arbitrabatur, hujus tamen efflagitationi, ut Rudolphus excommunicaretur, non concessit. Voluit prius Rudolphum coram audire. At exarsit in Germania bellum civile. Eo quod Rudolphus in exsequendis reformationis decretis severius ageret, ejus adversarii in dies numero augebantur, praesertim quum Henricus, cum auro multo et exercitu valido, qui

---

[1]) Quae *Giesebrecht* scribit: „Als Heinrich vor dem Thore von Canossa im Büsserhemd vergeblich um Einlass flehte, erblasste der Glanz des Deutschen Kaiserthums" (Kircheng., III, p. 393) inania verba sunt et voces.

[2]) Cf. *Knöpfler*, in Hist. Pol. Blätter, Tom. 94 (1884), p. 309 sq. Hist. de la Gaule, XX, 106.

[3]) *Promissionem Heinrici* vel *jusjurandum* vide apud *Migne*, P. L., Tom. 148, p. 466. *Mansi*, XX, 219.

[4]) *Epistolam ad Germanos* vide *Migne*, ibid., p. 465.

[5]) *Bertholdi* Annales, ad a. 1077, *Pertz*, V, p. 291—292.

auxiliantibus nonnullis episcopis et comitibus, pauco temporis spatio ad numerum armatorum 12 millium accreverat, in Germaniam profectus est. Summus Pontifex utrisque partibus suasit ut per gratiam, non armis, rem dirimerent[1]). Renuit Henricus. Tum Gregorius partibus Rudolphi se adjunxit, et Henricum die 7 Martii 1080 denuo excommunicavit[2]). Qui, convocata synodo Brixinensi, Wibertum Ravennatensem antipapam (Clementem III) constituit. Die 15 Octobris 1080, facto proelio ad Elstram Henricus victus, Rudolphus caesus est[3]).

Quum in Saxonia tutus non esset Henricus, anno 1081 in Italiam est profectus, ut contra Gregorium VII pugnaret. Spes tamen eum fefellit. Ingredi Romam non valuit. Perdurante bello civili in Germania, Hermannus Luciburgensis electus est rex. Henricus IV tamen mansit in Italia et in Romam iterum impetum fecit. Mense Junio 1083 partem urbis Leoninam cepit, praeter castellum *S. Angeli*, quo Gregorius se munierat. Wibertus Ravennatensis occupavit basilicam *S. Petri*. Frustra deinde de pace agi coeptum est. Per proditionem Henricus Romam cepit et basilicam Lateranensem, in qua Wibertus solemniter in sedem pontificiam collocatus est. Gregorius tamen, in castello clausus, animo non cecidit neque tradere castellum voluit. In basilica *S. Petri*, cogente Henrico, synodus congressa Gregorium VII de sede pontificia dejecit, Clementem III papam constituit, qui in die Paschatis solemniter Henricum ejusque uxorem diademate imperii insignivit. Gregorius autem flebilibus verbis auxilium efflagitans: „*Nonnulli*, inquit, *imperatores, reges et principes aliorumque ordinum personae, misera cupiditate capti... ejus (ecclesiae Romanae) possessiones invaserunt, et in proprios usus redegerunt; hinc igitur inopia, devastationes, latrocinia, rapinae contra ipsum Ecclesiae caput, beatum videlicet Petrum, et in ejus quasi visceribus exortae eunt*"[4]). Mense Majo 1084 Robertus Guiscardus processit, Papam obsidione liberaturus.

---

[1]) Vide duas epistolas in Registro *Migne*, P. L., Tom. 168, p. 478 sq.

[2]) Acta synodi vide *Migne*, ibid., p. 814 sq. *Mansi*, XX, 581 sq.

[3]) Descriptionem proelii et mortis Rudolphi vide apud *Brunonem*, De bello Saxon., *Pertz*, V, p. 380 sq

[4]) *Jaffé*, I, No. 5273. *A. Hauck*, Kirchengesch. Deutschlands, III, p. 829—830.

Cui impar Henricus Roma exiit. Normanni a Romanis dignas proditionis poenas sumpserunt. Gregorius autem primum Montem Cassinum atque inde Salernum adiit. Die 25 Maji 1085 ibidem obiit. Suprema ejus verba: „*Dilexi justitiam et odi iniquitatem, propterea morior in exilio*", testantur, quo sancto consilio omnia egerit.

11⁰. Videbatur Gregorius victus, re tamen vera moriens vicit. Principia enim, quibus in gubernanda Ecclesia usus est, magis in dies permanarunt et facti sunt fontes splendoris quo papatus proximis saeculis effulsit. Liberam reddere Ecclesiam et sanctam, hoc sibi animo proposuerat, non vero constituere ecclesiasticam universalem monarchiam. Voluit a principibus Christi imperium agnosci, Ecclesiam non servam sed matrem haberi. Expressis verbis docuit, principum potestatem a Deo esse, adeoque concordiam esse oportere inter ecclesiasticam et saecularem auctoritatem. Propositiones *Dictatus Papae* [1]) difficile *omnes* Gregorio tribui possunt, quoniam, quae ex iis magis inusitatae sunt, neque apud Gregorium neque apud ejus successores inveniuntur. Ceteroquin, si recte intelliguntur, nulla ex iis reprehensione digna est [2]).

Gregorius consilium ingens animo ceperat ut ipse christianorum exercitum in Orientem duceret, bellum sacrum gesturus [3]). Fuit unus e praeclarissimis Pontificibus, vere vir Providentiae divinae, fortis et intrepidus. Refragantibus principibus et episcopis, certavit pro sanctitate coelibatus, adversus simoniam et investituram cum baculo et annulo. Soli Deo confidens propositum hoc magnificum peregit, tum quoque, quum vel sanctitate eminentes viri desperarent alte insitum malum eradicari posse.

---

[1]) Registr., II, 55. *Migne*, Tom. 148, p. 407—408. *Mansi*, XX, 168 sq.

[2]) De iis qui defendunt et rejiciunt vide *Hergenröther-Kirsch*, II, p. 369—372. *Jungmann*, Dissert., IV, 311.

[3]) Registr., I, 46, 49. *Migne*, Tom. 148, p. 325, 329. *Mansi*, XX, 129 sq.

§ 89. Summi Pontifices et certamen de investituris, annis 1086—1123.

Duchesne, Liber Pontif., II, p. 293 sq. *Jaffé*, Reg., II ed., I, p. 655 sq. *Hirsch*, Desiderius von Monte Cassino als Pabst Victor VIII (Forsch. zur Deutschen Gesch. 1867). *Poulot*, Un Pape français: Urbain II, Paris 1903. *Robert*, Histoire du Pape Callixte II, Paris 1891. *Idem*, Bullaire du Pape Callixte II, Paris 1890. *Ibach*, Der Kampf zwischen Pabsttum und Königtum von Gregor VII bis Callixtus II, Frankfurt a. M. 1884. *R. Nostiz-Rieneck*, Textkritisches zum Investiturprivileg Callixtus' II (Jahresbericht der Stella matutina zu Feldkirch, 1894).

1⁰. Gregorius VII dignissimos qui sibi succederent designaverat, Desiderium abbatem Monte Cassinensem, Ottonem cardinalem Ostiensem, Hugonem archiepiscopum Lugdunensem et Anselmum episcopum Lucensem. Sed angustis illis temporibus difficile fuit electionem perficere. Uno elapso anno, tandem electus est Desiderius abbas, qui sibi nomen **Victori III** imposuit (1086—1087). Die 16 Septembris 1087 jam obiit. Cui successit Otto cardinalis Ostiensis, a Victore morituro designatus. Nomen sibi dedit **Urbano II** (1088—1099). In historia celebris est memoria ejus, quod auctor fuit primae expeditionis sacrae. Cum magno animi robore magnaque prudentia inhaesit principiis Gregorii VII, fortiter opposuit se abusibus pervulgatis, edidit in synodo Amalphitana (1089) canones 16 adversus simoniam, concubinatum et investituram, declaravitque invalidas esse nuptias eorum clericorum, qui ad sacros ordines evecti sunt (presbyteratum, diaconatum et subdiaconatum)[1].

2⁰. Interea degebat Romae antipapa et excommunicavit Urbanum. Henricus IV, anno 1090, tertium aggressus est iter in Italiam. Fortuna, ei prius prospera, anno 1092 commutata est. Etenim Mathilda, una e fortissimis medii aevi mulieribus, ab oppugnando eo non destitit, ita ut anno 1097 coactus sit Henricus ex Italia egredi, eam post hac non visurus. Dein filius ejus Conradus ab eo descivit, crucigeri Papam Romae restituerunt, et Henrici uxor Praxedis regina per totam Germaniam et Italiam conquesta est de moribus dissolutis mariti sui[2].

---

[1]) Cf. C. 10. D. 32.

[2]) *Bernoldi* Chron. ad. an. 1094. *Pertz*, V, p. 458 sq. Annal. Disibodenberg. *Pertz*, XVII, p. 14. Cf. *Hefele*, V, 212.

Acerbi doloris causa debuit esse Henrico nuntius, Papam in synodo Claramontana[1]) severa edicta Gregorii VII de investitura iterasse: „*Ut nullus ecclesiasticorum aliquem honorem a manu laicorum excipiat. Ut clericus nullum ecclesiae honorem a laicali manu recipiat* (*can* 15). *Interdictum est ne reges vel alii principes aliquam investituram de ecclesiasticis honoribus faciant* (*can* 16). *Ne episcopus vel sacerdos regi vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat*" [2]).

In Germania redux, in gravissimam incidit perturbationem. Hermannus Luciburgensis jam 1088 regiam auctoritatem dimiserat; sed qui se ei adjunxerant, etiam tum anno 1097, Henrico infensi, eum impugnare non cessabant. Quum autem Coloniae Henricus infideli filio suo Conrado regnum ademisset suamque auctoritatem paululum instaurasset, spes nonnulla affulsit fore, ut, mortuo antipapa Clemente III, reconciliaretur cum **Paschali II** (1099—1118), qui Urbano II interea successerat. Spes autem fefellit. Tum alter quoque filius, Henricus, a patre descivit, praedicans nolle se convivere cum viro excommunicato. Sic sibi dedit speciem recti. Quo specie deceptus, Paschalis ei dedit absolutionem et benedictionem apostolicam. Ita roboratus, contra patrem incessit, dolo eum comprehendit, in comitiis Ingelhemensibus abdicare coegit (1105), inclusitque in castello Bökelheim, prope Kreuznach. Infelix Henricus IV brevi inde aufugit Leodium, ubi 9 Aug. 1106 defunctus est [3]).

3°. Haud diu post Paschalis II expertus est Henricum V, non amore Ecclesiae sed ambitione motum, contra patrem suum certasse, et in synodo Guardistalli in Longobardia (1106) iteravit decreta contra investituram et *homagium*. Invitatus ab Henrico, ut Germaniam adiret, tum jam metuens regem juvenem, abnuit et profectus in Galliam est. Ibi eum convenerunt Henrici legati postularuntque ne interdicerentur investitura et

---

[1]) *Mansi*, XX, 817; cf. *Migne*, (Ruinart), P. L., Tom. 151, p. 170 sq. *Hefele*, V, 223.

[2]) Hoc jurejurando sese adstringebant ad ferenda auxilia contra quemcumque hostem, nullo excepto. Ultimus hic *canon* fortasse ex eo originem ducit quod episcopi praetexebant se propter sponsionem suam debere adversus papam certare.

[3]) Annales Hildeshem., ad an. 1004—1006 et 1011. *Pertz*, III, 107—111 et 112—113.

homagium, ac digne deneganti Paschali minati sunt, Henricum cum exercitu Romam iturum. Henricus V tamen, utut pervicax, nondum erat excommunicatus. Quam rem moleste ferens Henricus I, Angliae rex, se quoque dixit investituram dare inchoaturum[1]). Cui Paschalis respondit „*exspectamus quidem*, inquiens, *ut ferocia illius edometur*"[2]). Interim Henricus V negotiis multis in Germania distinebatur quominus iter Romanum aggrederetur. Anno vero 1110 profectus est in Italiam, ut diadema imperii acciperet. Legatis ab Henrico Aretio Romam missis respondit Paschalis, dimittendam esse investituram. Negavit Henricus addiditque nimia esse *feuda* et *regalia* episcoporum in Germania. Cui confestim Paschalis brevi fore dixit, ut *feuda* et *regalia* regi redderentur. Nimia promisit Pontifex, nec sane noverat rerum in Germania rationem, si cogitaverit episcopos sponte sua reddituros *feuda* et *regalia*, solis oblationibus et decimis contentos. Henricus contra, probe intelligens haec Pontificis promissa praestari non posse[3]), accepit tamen, et hac lege pepigit cum Papa *foedus Sutriense* (12 Febr. 1111)[4]). Pacti autem haec sunt: a) rex dimittit investituram et accipit promissa Pontificis de *feudis* et *regalibus*, b) ecclesiae retinent bona omnia, quae feudalia non sunt, c) rex subditos suos liberat jurejurando episcopis facto, d) poenam excommunicationis proponit Papa episcopis, retinentibus aut accipientibus feudalia, regalia aut comitatus, e) patrimonium S. Petri manet tutum, f) Papae et Papae legatis praesidium publicum praestabitur. Hoc icto foedere, die Dominica proxime sequente Henricus solemniter in basilica *S^i^ Petri* diademate imperii insigniendus. At episcopi Germani, ut praevideri poterat, noluerunt dimittere *feuda* et *regalia*, et Henricus, hac pacti lege non servata, noluit pacto stare. Quamobrem diadema ei dare noluit Paschalis. Moleste tulerunt Romani regis infidelitatem. Facta pugna est, qua multi Germani ceciderunt. At Papam nacti sunt, qui initio firmus, mox coactus investituram concessit, „*Cogor*, inquiens, *pro Ecclesiae liberatione ac pace hoc pati*, *hoc permittere*, *quod pro vita mea nullatenus consen-*

---

1) *Mansi*, XX, 1023.
2) *Mansi*, ibid., *Migne*, P. L., Tom. 163, p. 184.
3) *Pertz*, Leges, Tom. II, p. 70.
4) *Pertz*, Leges, Tom. II, p. 66—69.

tirem"[1]). Hac extorta pactione utriusque jurejurando firmata[2]), Papa liberatus et Henricus (13 Aprili 1111) diademate imperatorio honoratus est.

4⁰. Vi Henricus desiderata obtinuerat, non tamen vicerat. Ubique statim, tum quae imperator, tum quae Papa gesserat, acriter vituperata sunt[3]). *Non privilegium*," dicebant Henrico concessum, sed „*pravilegium*". Communi consilio synodus Lateranensis (1112) repudiavit extortum privilegium[4]). Synodus Viennensis, eodem anno, Henricum excommunicavit. Quae omnia nihil curans Henricus vel in ipsa Germania partes sibi adversas in dies augeri vidit. Tum anno 1115 Goslarii denuo excommunicatus est, et in ipsum imperii discrimen incidit. Ineunte anno 1116, Alpibus superatis plurimas Mathildae possessiones occupavit, postulavitque ut Papa eum absolveret ab excommunicatione, qua legati et synodi eum obstrinxerant. Postulavit Papa ut missam faceret investituram, stetitque verbis synodi Lateranensis (6 Mart. 1116)[5]). Quum Henricus signa ferret contra Romam, Paschalis aufugit Beneventum nec rediit nisi post discessum imperatoris. Die autem 21 Januar. 1118 obiit[6]).

Cum in mortui locum electo **Gelasio II** (1118—1119)[7]) denuo vi certatum est. De improviso redux Romam, Henricus Burdinum Bracarensem antipapam (Gregorium VIII) constituit. Gelasius aufugerat Capuam, dein excommunicatis Henrico et antipapa, in Galliam aufugit ibique Cluniaci obiit, die 29 Jan. 1119. Roma mansit sub potestate antipapae.

5⁰. Attamen electus **Calixtus II** (1119—1124)[8]) est, quem propter concordatum Vormatiense historia celebrat. Ex Italia redux, magnam perturbationem invenit Henricus in Germania. Factio Pontificis invaluerat. Promittens comitia futura

---

1) *Pertz*, Leges, II, p. 71.

2) *Pertz*, ibid., p. 71—73. *Hefele*, V, 297 sq.

3) *Ivo Carn.*, *Migne*, P. L., Tom. 162, p. 238 sq.

4) *Mansi*, XXI, 49 sq.

5) *Jaffé*, I, 762: Privilegium Heinrico regi datum a Paschali „condemnatur sub perpetuo anathemate." — Paschalis „investituram ecclesiasticarum rerum a manu laica rursus excommunicat sub anathemate dantis et accipientis."

6) Annales Rom., *Pertz*, V, p. 477.

7) Vide *Watterich*, Vitae Rom. Pont., II, 91—114.

8) Praeter supra relata opera cf. *Watterich*, ibid., p. 115—153.

Triburiae (24 Jun. 1119), inducias obtinuit Henricus. Ibi praeparata pacis compositio, quam prosecuta est ingens synodus Rhemensis (Octob. 1119), in qua etiam Papa interfuit egitque cum imperatore. Cum vero jam res in eo esset ut negotium conficeretur, spem omnem iterum praecidit Henrici contumacia. Tum solemniter universa synodus, constans praelatis 430, eum excommunicavit[1]). Vetita autem investitura ad episcopatus et abbatias restricta est[2]).

Per Alpium iter Papa Romam rediit, ubi cum gaudio populus eum accepit. Antipapa fugit Sutrium et pauco tempore post relegatus est in Caveam abbatiam. Henricus quoque dimissa synodo, e Gallia in Germaniam, non gratus acceptusque suis redierat. Ob iteratam excommunicationem, quam Papae suasisse videntur episcopi Adalbertus Moguntinus, Fredericus Coloniensis et Conradus Salisburgensis[3]), increverat adversariorum vis et acerbitas. Imminebat bellum inter imperatorem et principes, nisi proposita fuissent comitia, quae habita sunt Herbipoli 29 Sept. 1121. In his statutum est: imperatorem pariturum Papae, pacem imperii annuntiandam; Ecclesiae et imperio dandum quod cujusque esset; synodum cogendam; interim agendum sicut antea soleret. Quam parum ea omnia imperator servaverit, patuit vel ex eo quod arbitratu suo episcopum Herbipolitanum elegerit eique investituram fecerit[4]). Quo facto, pax iterum perturbata, exarsissetque bellum civile, nisi legati Pontificis intercessissent. Amanter et placabiliter valde scripsit Callixtus II[5]) ad imperatorem, episcopos et principes invitans omnes ut congrederentur generali consessu Moguntiam (postea Vormatiam) 8 Sept. 1122. Ibi 23 Sept. celebre **concordatum Vormatiense** factum est [6]) statutumque a) Henricum dimittere investituram cum baculo et

---

[1]) *Mansi*, XXI, p 233—255. Cf. Annales Mosomagenses, ad an. 1120. *Pertz*, III, 162. Cf. *Hessonis Scholastici* commentariolus etc., *Migne*, P. L., Tom. 163, p. 1082 sq.

[2]) Vide Can. 2 apud *Hefele*, V, 356.

[3]) *Hefele*, V, 363.

[4]) *Ekkehardi* Chronicon, *Pertz*, VI, 257—258 sq.

[5]) *Migne*, P. L., Tom. 163, p. 1232 sq.

[6]) Acta vide apud *Pertz*, Leges, XI, 75—76. Cf. *Ekkehardi* Chron., l. c. et *Giesebrecht*, Gesch. d. deutsch. Kaiserz., III, p. 937 sq. *Hauck*, Kirchengesch. Deutschl., III, p. 913 sq.

annulo; b) promittere liberam se relicturum episcoporum et abbatum electionem et c) redditurum bona ecclesiastica; d) Calixtum dare Henrico, in imperio Germanorum, jus ut interesset episcoporum et abbatum electioni ac e) facultatem ut, si electio dubia esset, conferendo cum provinciae ecclesiasticae episcopis, rem dirimeret; f) electum accepturum investituram cum sceptro; g) quam investituram datum iri in Germania *ante* consecrationem, in Italia vero et Burgundia intra sex menses *post* consecrationem. Sapienter, prudenter et cum pacis studio confectum, hoc concordatum finem imposuit fere quinquaginta annorum luctationi. Die 13 Dec. gratulatus est Calixtus imperatori petiitque ut redirent legati ad futuram **synodum oecumenicam IX Lateranensem** (18 Mart. 1123)[1]. Cui interfuerunt episcopi amplius 300. Praelecto primum et approbato Concordato Vormatiensi, dein magno numero saluberrima decreta edita sunt. Compositae paci nec Papa neque imperator diu superfuerunt. Ille obiit 13 Dec. 1124, hic 23 Maji 1125.

---

§ 90. Luctamen de investitura in Anglia.

Stephens, The English Church from the Norman Conquest to the accession of Edward I (1066—1272), London 1902. *Schmitz*, Der Englische Investiturstreit, Innsbruck 1884. *A. du Boys*, L'Eglise et l'Etat en Angleterre depuis la conquête des Normands, Paris 1887.

1⁰. Gulielmus I, Angliae rex, eximio subsidio fuit Gregorio VII contra simoniam et violatum caelibatum. Hinc inde tamen emergente indomita ejus indole, impotenti violentia usus est in clerum. Quo facto, admonitionibus Pontificis obsecundans, resipiscere solebat. Solebat etiam mittere *obolum S. Petri*, probos idoneosque constituere episcopos et ecclesiasticam firmare disciplinam. Noluit tamen unquam audire ullum verbum de dimittenda investitura cum baculo et annulo. Id enim esse jus regum Angliae existimabat. Abusum Papa toleravit, ne graviora mala orirentur[2]. Mortuus Gulielmus est anno 1087.

2⁰. Cujus filius Gulielmus II effrenis fuit tyrannus. Non

---

[1]) *Mansi*, XXI, 281 sq. *Hefele*, V, 378 sq.

[2]) *Eadmer*, Hist. novorum, Lib. I. *Migne*, P. L., Tom. 159, p. 347 sq.

solum violavit investiturae leges, sed etiam spoliavit bona ecclesiastica, auro vendidit ecclesiastica munera, vacare sivit sedes episcopales ut reditibus uteretur, vetuitque *obolum S. Petri* mitti Romam. Morbo correptus, ad meliora conversus est. At sanus iterum factus, fere statim pessimam vivendi consuetudinem recepit. Quamobrem mox in certamen incidit cum Anselmo, cui, ex morbo ad meliorem frugem redactus, Angliae primatum dederat rex (1093). Fervidus enim Ecclesiae defensor, Anselmus instabat ut haberentur synodi, ut abbatiis vacantibus provideretur, elegendis abbatibus. Negavit Gulielmus vetuitque Anselmum ire Romam *pallium* petendi causa, eo quod Urbanum II nollet Pontificem agnoscere. Utrum simul possent clerici parere Urbano et fidelitatem vasallorum servare, dirimendum statuerat in comitiis Rockinghamensibus[1]). At in his episcopi, Anselmi sententia rejecta, Gulielmo adhaeserunt. Tum Anselmus, vel invito rege, anno 1097 Romam profectus est. Voluit abdicare se dignitate sua. Quod consilium quum Papa nollet probare, exsul mansit in Italia. Invitatus a Papa, interfuit synodo Barensi[2]), ubi patres scientiam ejus et sapientiam admirati sunt. Gulielmo II anno 1100 defuncto, revocatus Anselmus in Angliam est.

3°. Henrico I (1100—1135) rege, luctatio in Anglia vehementius instaurata est. Sicut qui eum antecesserant reges, neque is dimisit investituras. Urgente Paschali II, ut in Anglia quoque vigeret lex Gregorii VII successorumque ejus, denegavit Henricus, ita ut Anselmus iterum exsulaverit (1103), tres annos in Gallia degens. Quum autem, in synodo Lateranensi, (1105) Henrici consiliarii et malevoli praelati excommunicatione essent obstricti, quumque Anselmus animo agitaret Henricum quoque ipsum excommunicare, Julio 1105 in monasterio Beccensi convenit Anselmum regis soror Adela

---

[1]) *Hefele*, V, 209—210.

[2]) In itinere Barium versus (1098) Urbanus II dedit Rogerio Siculo privilegium, postea *Monarchiam Siculam* nuncupatum, atque a regibus Siculis arbitratu suo haud parum adauctum. Cum deberent exsequi quae legati mandarant, principes sibi arrogarunt summa jura ecclesiastica. Cum soli Rogerio ejusque filiis privilegium esset datum, posteri omnes eo frui voluerunt. Pius IX privilegium abrogavit finemque imposuit certamini (1864). Cf. *Muratori*, Rer. Italic. Script., V, p. 601—602; *Jaffé*, ed. II, I, n. 6562. *Sentis*, Die Monarchia Sicula, Freiburg 1869. *Jungmann*, Dissertationes, Tom. V, p. 43 sq.

Blesensis. Constituerunt inter se, ut in Anglia neque rex neque laicus cuiquam daret investituram, sed ut electi ante consecrationem jusjurandum vasallorum praestarent regi[1]). Doluit quidem Henricus postea quod investituras dimisisset, stetit tamen pacto Beccensi, idque post Anselmi reditum in comitiis Londinensibus (1107) probandum curavit[2]). Facti sunt amici Henricus I et Anselmus ita ut, absente rege, Anselmo regnum gubernandum traderetur.

---

§ 91. Papa adversus schisma Anacleti et factiones Italicas. Synodus oecumenica X (1139).

Duchesne, Lib. Pontif., II, p. 379—387. *Watterich*, Vit. R. Pont., II, p. 157—321. *Jaffé*, Reg., I, 823 sq., II, 1 sq. *Bernheim*, Lothar III und das Wormser Concordat, Strassburg 1874. *Volkmar*, Das Verhältniss Lothars III zur Investiturfrage, in Forsch. z. Deutschen Gesch., 1886, p. 435 sq. *Mühlbacher*, Die streitige Papstwahl des Jahres 1130, Innsbruck 1876. *Sainati*, Vita del B. Eugenio III, Monza 1874. *Hauck*, Kirchengesch. Deutschl., IV, p. 108 - 184.

1⁰. Defunctis Calixto et Henrico V, ingens lucta exorta est tum de pontificia tum de imperatoria dignitate. Fractio familiae Frangipani opposita erat cardinalibus. Quum autem horum candidatus recessisset, unanimi consensu electus est Lambertus Ostiensis, **Honorius II** (1124—1130). In Germania post quam nonnihil Fredericus, Sueviae dux, reluctaverat, Lotharius III regno potitus est. Qui ibidem Ecclesiae studiosiores erant, conati sunt assequi ut rex post factam consecrationem daret investituram cum sceptro postularetque solum fidelitatis jusjurandum, non vero ***homagium***, utque supersederet jure adeundi electionis consessum. Fertur Lotharium, antequam eligeretur, de hoc negotio nonnihil spopondisse[3]). Verisimile id non est. Re autem vera stetit privilegiis, sibi per concordatum Vormatiense factis, nec fere his fuit contentus[4]).

---

1) *Migne*, P. L., Tom. 163, p. 183 sq.

2) *Mansi*, XX, 1058; 1158 sq. praesertim cf. *Ordericum Vitalem*, Hist. Eccles., ed. *Migne*, P. L., Tom. 188, VIII, 8; IX, 2—3; X, 12—14.

3) Narratio de electione Lotharii haec habet, sed fidem non meretur. *Pertz*, XII, p. 511.

4) *Hefele*, V, 338.

2⁰. In eligendo qui Honorio II, mortuo 1130, succederet, **schisma** jam prius imminens prorupit. Legitime electo **Innocentio II** (1130—1143) factio minus Ecclesiae bono studiosa opposuit antipapam Anacletum II. Quo facto Innocentius, Romae minime tutus, aufugit in Galliam. Post institutam inquisitionem de Innocentii electione S. Bernardus ei adhaesit ejusque causam defendit in synodo Stampensi (1130). Quem secuti sunt, qui intererant synodo, episcopi omnes, et sensim tota Gallia et Anglia. In Germania, in synodum Herbipolensem congressi, defendente Innocentium S. Norberto, Anacletum damnaverunt, cujus causam propugnare perrexerunt sola Scotia, Italia meridionalis et Sicilia [1]. Anno 1131 Innocentius Leodii congressus est cum Lothario. Desiderabat, comitante imperatore, redire Romam. Promisit Lotharius. Mense autem Octobri 1131 universa fere Europa Rhemis obsequium praestitit Innocentio, suamque ei factam promissionem iteravit imperator. Tum Papa, ante imperatorem profectus cum S. Bernardo, synodum habuit Placentiae ibique socium ei se adjunxit Lotharius. Germani ceperunt Romam armis. At antipapa cum copiis suis in castellum S. Angeli se receperat, potestatemque retinuit in parte urbis Leonina, fretus praesidio Rogerii Siculi. Die 4 Julii 1133, Lotharius diademate imperii solemniter est honoratus, feudumque recepit terras Mathildae († 1125), quas rapuerat Henricus V. Interea schisma duravit, nec finis ei impositus quum Lotharius anno 1136 iterum Romam venisset, nec quum anno 1138 Anacletus obiisset. Qui ei successit, Victor IV, post breve tempus Innocentio II se subjecit. Quem schismatis finem Lotharius non vidit, mortuus 1137.

3⁰. Reliquo vitae Innocentii II tempore duae fuerunt praecipuae luctaminis causae: arrogantia Rogerii et animi Romanorum seditiosi. **Synodus oecumenica X Lateranensis** (1139), coacta adversus schismatis reliquias et errores abususque varios, Rogerium excommunicavit, quod esset schismatis fautor et bonorum ecclesiasticorum raptor [2]. Quod cum nihil is curaret, Innocentius II ipse ad eum debellandum profectus est. At superatus est captusque. Pax tamen breve post tempus

---

[1]) Cf. *Mansi*, XXI, 435, 437 sq.; 473 et 479.

[2]) Acta Synodi apud *Mansi*, XX, 523 sq.

composita. Synodus quoque egit de **Arnoldo Brixiensi.** Is Abaelardo magistro studuerat Lutetiae Parisiorum, fuit vir uberrimo ingenio, arte oratoria ingenti instructus, et animo inquieto atque tumultuoso. Se ipse vocatum arbitrabatur ut adversus clericorum mores concionaretur, negabatque clerico licere possidere quidquam, bona omnia imperatoris esse docens, negansque episcopum *regalia* habentem posse salvari. Synodus demovit eum canonicatu, ejecit ex Italia imposuitque ei ut sileret [1]). Profectus Arnoldus in Galliam, magistro suo Abaelardo auxilio fuit in certamine contra S. Bernardum. Anno 1145 venit Romam, at quia fautor seditionis Romanorum fuit, anno 1154 a Frederico Barbarossa supplicio est traditus [2]).

Innocentius II, quum ad finem vitae vergeret, tolerare debuit Romanos a se defecisse, **liberam rem publicam** proclamasse ejusque caput Jordanum patricium constituisse. Quod studium libertatis immunitatisque civilis Innocentius II reprimere impotens, eodem anno 1143 obiit. Recens electus rex Romanorum, Conradus III Hohenstauficus (1138—1152), opem ferre recusavit. Qui successerunt Papae, **Caelestinus II** (1143—1144) et **Lucius II** (1144—1145), ob breve regni spatium, quietem instaurare non valuerunt. **Eugenius III** (1145—1153) autem, S. Bernardi discipulus, aufugere Roma coactus est. Reconciliata dein pax diuturna non fuit. Mores difficiles turbulentosque Romanorum dolens, Eugenius III anno 1147 migravit in Galliam et Germaniam. Quo facto ad Romanos S. Bernardus epistolam misit reprehensione plenam: ,,*O popule stulte et insipiens*, inquit, *o columba seducta non habens cor! Nonne ille caput, et illi oculi tui erant? Quid ergo nunc Roma, nisi sine capite truncum corpus, sine oculis frons effossa, facies tenebrosa? Aperi, gens misera, aperi oculos tuos et vide desolationem tuam jamjamque imminentem. Quomodo in brevi mutatus est color optimus, facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum?*" [3]).

Papa autem synodos coegit Lutetiam Parisiorum et Treviros,

---

[1]) *Otto Frisingensis*, De Gestis Frederici II, 20. *Pertz*, XX, 403.

[2]) *E. Vacandard*, Arnauld de Brescia, Revue des quest. hist., Tom. 35, p. 52 sq.

[3]) Epist. 243. *Migne*, P. L., Tom. 182, p. 439.

inquisitisque revelationibus S. Hildegardis, ad eam pulcherrimam scripsit epistolam[1]). Habita deinde synodo Rhemensi[2]) per Cremonam Tusculum profectus est et Romam. At celebrato die Natali Domini 1149 in palatio Lateranensi, anno insequenti coactus est tertio ex urbe egredi. Conradus III opem nullam tulit, obiitque 1152. Qui ei successit, *pacto Constantiensi* (1153) promisit Romanos se subacturum. Quod antequam exsequi ille potuit, Eugenius III eodem anno defunctus est[3]). **Anastasius IV** (1153—1154) haud diu regnavit.

Quae tunc secuta sunt tempora, plena fuerunt luctationibus *Guelforum* et *Ghibellinorum*, de rerum publicarum principatu. Ortae in Germania, Conrado III regnante, e lite inter Welfos et Waiblingos (factio Staufica), brevi post tempore ad Italiam factiones transierunt, vocataeque sunt nomine *Ghibellinorum* et *Guelforum*. Prior imperatorum factio fuit, agnoscensque Papae auctoritatem in rebus spiritualibus, voluit ut in rebus ad regnum civile pertinentibus imperatori pareret Papa. Posterior vero factio supremam aliquam Papae concessit auctoritatem, etiam in negotiis regni civilis; nonnumquam ipsa quoque ultra recti justique fines progressa est. Minore studio tueri imperium conabatur civitatumque libertatem propugnabat, dum *Ghibellini* potius *monarchiam universalem* imperatori tribuendam contendebant.

---

§ 92. Pontificum relatio ad Fredericum Barbarossam et Henricum VI. Synodus oecumenica XI.

Duchesne, Lib. Pontif., II, 388 sq. *Watterich*, Vitae RR. PP.. Tom. II. *Jaffé*, Reg. RR. PP., II, p. 102 sq. *Otto Frising.*, Gesta Friderici, Mon. Germ., I, 20. *Raumer*, Gesch. der Hohenstaufen, 4e Aufl., Leipzig 1871, 6 Bnde. *Hauck*, Kirchengesch. Deutschl., IV, 184. *Hefele*, V, 533 sq. *Malone*, Adrian IV and Ireland, London 1900. *Pfülf*, Hadrian IV und die Schenkung Irlands (St. a. ML. XXXIII, 382, 497). *Funk*, Tüb. Quart., 1891, p. 602 sq.

1°. Anastasio IV defuncto successit Nicolaus cardi-

---

[1]) *Mansi*, XXI, 737 sq.

[2]) De his Eugenii synodis cf. *Mansi*, XXI, 711 sq. *Hefele*. V, 503 sq.

[3]) Ejus cultus confirmatus est anno 1872. Cf. Civ. cathol. VIII, 3, n. 638, p. 399 sq.

nalis Breakspear, nuncupatus **Hadrianus IV** (1154—1159), usque ad hodiernam aetatem unicus Anglus Papa [1]). **Fredericus Barbarossa** (1152—1190) [2]) autem, qui Conrado III successerat, promiseratque Eugenio III (Constantiae, anno 1153) se Romanos subacturum, promissa soluturus, anno 1154 profectus est in Italiam, et mense Junio 1155 venit Sutrium ubi Papa eum convenit. Jam tum animum suum contumacem Fredericus ostendit, cum nollet, quod vetusti moris erat, stapiam Papae tenere. Quo viso cardinales fugerunt, Papa ipse timuit. Tertia tamen die Fredericus officium praestitit, suadentibus aliis principibus [3]). Quum autem accipere imperium democraticum, „populi Romani gratia", nollet, ventum est ad saevam pugnam, in qua Fredericus victor fuit. At quum in Germaniam rediisset, Papa Romae stare non potuit; qui primum hinc inde circumiens, tandem mansit Beneventi.

2⁰. Dum in Germania seditiosos Fredericus comprimeret et nuptias celebraret cum Beatrice Burgundica, Hadrianus IV foedus iniit cum Gulielmo Siculo, quo ei iterum Siciliae terras in feudum dedit. Quo facto offecit consiliis Frederici, qui utriusque Siciliae regiam auctoritatem sociare cum imperatoria satagebat. Quamquam summo suo jure id fecerat Papa et antevertere debebat ne ab utraque parte, in Italia superiore et inferiore, imperatoris potestate concluderetur, id tamen fuit causa contentionis, quae brevi facta est acris luctatio. Sollicitus nimium de imperatoria sua auctoritate, ita ut hinc inde ad caesaropapismum vergere videretur, inani metu ferebatur Fredericus ne sub Papae potestate redigeretur. Quem metum ipse inaniter acuerat, cum vidisset in Vaticano tabulam pictam coronationis Lotharii, cui erat subscriptum: *imperator fit homo Papae*. Haud minus Papa moleste ferebat Fredericum non servasse Concordatum Vormatiense, nec poenas exegisse ab iis, qui archiepiscopum Lundinensem male tractarant. Quamobrem Hadrianus IV misit legatos duos, Rolandum

---

[1]) *Pertz*, Leges, II, 89—185.

[2]) De bono Frederici indole vide *Wibaldum* apud *Watterich*, II, 314.

[3]) „Ex relatione illorum (antiquiorum principum) et veteribus monumentis judicio principum decretum est et communi favore totius regalis curiae roboratum, quod idem rex pro beatorum Apostolorum reverentia praedicto Pape Adriano exhiberet stratoris officium et ejus streuguam teneret." *Duchesne*, Lib. Pont., II, 391—392.

et Bernardum cardinales, cum epistola ad imperatorem [1]), Vesontione in Burgundia comitia agentem. Quum autem Raynaldus Dasselius, cancellarius, qui cum Ottone Bavarico malorum consiliorum apud imperatorem auctor fuerat, Pontificis epistolam malevole versam praelegisset [2]), universus consessus in iram prorupit ob suppositam Papae arrogantiam. Imo vero Rolandus cardinalis, qui causam tantae indignationis non perspiciens exclamaverat: „*A quo ergo habet, si a Domino Papa non habet, imperium*"? de vita periclitatus est. Ottonem Bavaricum retinens imperator impedivit caedem. Nihil moratus Fredericus legatos dimisit, scripsitque ad universum imperium litteras acerbis querelis plenas [3]). Quae cum nuntiata fuissent Hadriano, per epistolam exposuit verba sua *beneficium* et *contulerit* male fuisse versa: „*Beneficium*, inquit, *apud nos non feudum, sed bonum factum... Per... vocabulum contulimus nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est: imposuimus coronam*" [4]). His expositis, Fredericus acquievit.

3⁰. Diuturna tamen esse consensio non potuit. Frederici opinioni, *imperium* esse ipsum a Deo, esse jus (*debitum*), regem electum ungi [5]), non consentiebant ea, quae in instaurando imperio occidentis a Leone III gesta et statuta erant. Haec perpetua causa discordiae. Anno 1158 profectus in Italiam, Mediolanenses subegit habuitque comitia in campis Roncaliis. Juris consulti Bononienses adjudicarunt ei jura, aliena juribus quum Ecclesiae tum aliorum principum civitatumque. Ipse episcopus Mediolanensis in allocutione ad imperatorem: „*Scias itaque*, inquit, *omne jus populi in condendis legibus tibi concessum; tua voluntas jus est, sicut dicitur: quod principi placuit, legis habet vigorem, quum populus ei et in eum omne suum im-*

---

[1]) *Otto Frising.*, *Ragewin*, Gesta Frederici III, 9. Apud *Pertz*, XX, 420. *Mansi*, XXI, 789. *Watterich*, II, 357.

[2]) *Beneficium* verterat per *feudum:* quasi Papa imperium tanquam feudum Frederico dedisset. Verba quoque *contulerit* et *conferens* eodem sensu fuerant versa.

[3]) *Otto Fris.*, *Rag.*, l. c. *Pertz*, XX, 422—423. *Watterich*, II, 364. Epistolae Frederici ad Hillinum Trevirensem, hujus ad Fredericum, et Hadriani ad episcopos Germaniae, quibus Frederico tribuitur schismatis studium, genuinae non sunt. *Hefele*, V, 487 sq.

[4]) *Watterich*, II, 366.

[5]) Epistola ad Germanos, *Pertz*, XX, 422.

perium et potestatem concesserit. Quodcumque enim imperator per epistolam constituerit, vel cognoscens decreverit, vel edicto praeceperit, legem esse constat" [1]). Hoc ficto jure utens, tractavit Fredericus civitates, abbatias, episcopos et ipsum Papam. Mathildae terras, etsi erant *regalia* S[ti] Petri, tanquam suas occupavit. Quum episcopatui Ravennatensi suum praefecisset candidatum, noluit Papa hunc confirmare; quae acris discordiae causa fuit. In epistolis suis Fredericus nomen suum Papae nomini praeposuit, et numero singulari Papam allocutus est [2]). Ad festum Paschatis 1159 cardinales quatuor legatos ad eum misit Papa ad rem dirimendam. Frustra. Mox minitando exhortatus eum est Papa ut solveret quae promisisset. Superbe respondit imperator. Tum consilium dederunt Papae cardinales ut excommunicaretur. At Anagniae morte interceptus est Hadrianus, 1 Sept. 1159.

4⁰. Quod in praesenti rerum statu verebantur multi, duplex facta electio est. Cardinales numero longe plures elegerunt Rolandum Bandinellum, **Alexandrum III** (1159—1181), factio vero imperatoris constituit antipapam Victorem IV, Octavianum. Quo invalescente, Roma aufugere debuit Alexander. Tum imperator, fingens electionem fuisse dubiam, synodum coegit Papiam. Victorem invitavit nomine Episcopi Romani, Alexandrum vero appellatione Rolandi cardinalis. Synodus autem, quam non adierat Alexander, cuique tantum interfuerunt episcopi 50, Germani et Longobardi, auctore Raynaldo Dasselio, Papam legitimum Victorem declaravit, Alexandrum excommunicavit. Qui tamen, a reliquis omnibus principibus agnitus, securus aliquamdiu Romae degit, dein secessit in Galliam (1162). Prudentia Alexandri et fortiter interveniente Anglorum rege, depulsum periculum est ne Germanis Galli se adjungerent. Frederico tertia vice Italicum iter petente, mortuus est antipapa Lucae, anno 1164. Tum in hoc consilium inclinabat imperator, ut in gratiam cum Papa rediret, At Raynaldus Dasselius alterum antipapam eligendum curavit, Paschalem III. Quo facto, multi etiam in Germania a schismate discesserunt, de qua re questus est Fredericus [3]).

---

1) *Otto Fris.*, *Rag.*, *Pertz*, XX, 446.

2) *Otto Fris.*, *Rag.*, Gesta Frederici, IV, 18. *Pertz*, XX, 455. Cf. *Mansi*, XXI, 795 sq.

3) *Pertz*, Leges, II, 136.

Ut Germanorum gratiam sibi et antipapae conciliaret, Raynaldus Dasselius, anno 1164, *reliquias SS. trium Regum* Mediolano transtulit Coloniam Agrippinam et jussu Paschalis, 29 Dec. 1165, Carolum Magnum inter Sanctos retulit.

5°. Alexander III autem jam mense Nov. 1165 Romam redierat, fuitque cum magno gaudio a Romanis acceptus. Tum quarta vice Fredericus venit in Italiam, ejecit Roma Papam suoque capiti iterum ab antipapa, in S[i] Petri basilica, diadema imponendum curavit. At pestis prorupit in exercitu. Cui multa hominum millia succubuerunt, inter quos etiam Raynaldus Dasselius, contumax archiepiscopus Coloniensis. Reliquiis exercitus sui Lucae relictis, rediit Fredericus in Germaniam. Quo facto receptis animis, Alexander in synodo Lateranensi aut Beneventana (1167) iterum excommunicavit Fredericum. Longobardi quoque ab eo defecerunt, qui conventu Longobardico inito, mirum quantum festine aedificaverunt arcem *Alessandriam*. Mortuo Paschali 1168 tertius antipapa suffectus est, Joannes Strumensis, cui factum est nomen Calixtus III. Anno 1174, Fredericus quinta vice in Italiam profectus, obsidione cinxit novum castellum. Frustra tamen. Dein *proelio Legnaniano* (29 Maji 1176) fere toto exercitu caeso fusoque, coactus est facere inducias. Dein coeptum est agi de pace et ictum prius foedus Anagnianum (1176)[1]), quo praeparata est **pax Veneta** (1177). Post diuturnam de conditionibus actionem, cui per solos legatos interfuit imperator, tandem res convenit. Die 1 Augusto adveniens Fredericus, ad portam *S[i] Marci* a Papa receptus est[2]). Schismati finis impositus, Alexander legitimus Papa agnitus. Auxilium et praesidium sibi in vicem promiserunt, Papa et imperator. Convenerunt, bona rapta Ecclesiae Romanae esse reddenda. Cum Longobardis annorum sex induciae factae sunt. Quindecim annorum pax cum Gulielmo Siculo confirmata est. Antipapae Calixto III abbatia data. Cardinales autem episcopi et reliqui schismatici munere suo et officio fungi perrexerunt[3]).

---

[1]) *Pertz*, Leges, II, 145—147. Ultimum documentum habet conditiones foederis Anagniani aliasque; sed confectum est Venetiis.

[2]) Papam pedem suum capiti ejus imposuisse, dicentem: Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem, Ps. 90, 13, ficta fabula est.

[3]) Acta pacis apud *Pertz*, Leges, II, 151—161. *Mansi*, XXII, 173 sq.

6⁰. Alexander III, Romam reversus, in Quadragesimam (1179) convocavit **synodum oecumenicam XI** Lateranensem III[1]. In qua synodo pace Veneta prius confirmata, facta est, ex occasione schismatis, in eligendi Summi Pontificis lege sat magna mutatio. Statutum enim: „*Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit et receptus. Si quis autem de tertiae partis nominatione confisus... sibi nomen episcopi usurpaverit: tam ipse quam qui eum receperunt, excommunicationi subjaceant et totius sacri ordinis privatione mulctentur ita, ut viatici etiam eis, nisi tantum in ultimis, communio denegetur*[2].

Praeterea decreta salutaria edita sunt de consecrandis episcopis, de disciplina monachali, de *peculio*, de *treuga Dei* etc. Alexander III, unus e celeberrimis et praeclarissimis Pontificibus, post vitam meritis plenam obiit 30 Aug. 1181.

7⁰. **Lucius III** (1181—1185) iterum in luctamen incidit cum Barbarossa, de terris Mathildae et de constituto, contra jus fasque, episcopo Trevirensi. **Urbanus III** (1185—1187), frustra pacem componere conatus, morte tantum prohibitus fuit ne excommunicaret iterum imperatorem. **Gregorius VIII** (1187) duos tantum menses regnavit. **Clemente III** (1187—1191) regnante, nuntii tristissimi, e terra sancta allati, ad pacem induxerunt. Fredericus Barbarossa, expeditionem sacram aggressus, inopinata morte aquis Calycadni submersus, obiit 10 Junii 1190[3]. Clementi III defuncto, anno insequente, successit **Caelestinus III** (1191—1198). Cui mox certamen ineundum fuit cum saevo et malevolo Henrico VI (1190—1197). Is in eo fuit ut Italiam invaderet, cum tristissimum patris interitum audivit. Contra Papae mentem, urgente patre, duxerat Constantiam Siculam atque ita haereditate utramque Siciliam obtinuerat (1186), ut dominium papale ab utraque parte ditione imperatoria concluderetur. Consalutatus rex Moguntiae, Henricus transiit Alpes, et 15 Aprili 1191 diadema imperii capiti suo accepit a Caelestino III. Inde autem progressus in Apuliam, ut haereditate potiretur, peste exorta in exercitu, redire coactus est in Germaniam. Ibi assidue violavit concor-

---

[1]) Acta vide apud *Mansi*, XXII, 209 sq. *Hefele* V, 710 sq.

[2]) Canon I, *Mansi*, XXII, 217. Hoc decretum hodiedum adhuc pro lege valet: „Potius sacri ordinis privatione mulctentur". Caput licet VI, de electione I, 6.

[3]) Epistola de morte Frederici imperat. *Pertz* p. 596; cf. 494 et Hist. Jahrb. der Görresges., 1881, p. 288 sq.

datum Vormatiense, arbitratu suo constituit episcopos, episcopum Leodiensem interfecit, et soluto pretio alium elegit; Richardum (Cor leonis), Angliae regem, comprehendit, nec dimisit nisi soluto pretio 150 millium marcarum argenti[1]). Anno 1194, Tancredo rege defuncto, iterum Henricus VI in Italiam profectus, Apuliam, Calabriam et Siciliam expugnavit et crudelia multa criminaque immania commisit. Papam vero, qui prae senio opponere se astutiae et ferociae regis non poterat, per blandas epistolas fefellit. Bona mente tamen praeparabat Henricus expeditionem sacram quum anno 1194 mortuus est, annos natus 32. Quod tum Ecclesiae tum imperio peropportune accidit. Ante mortem jussit Richardo, Angliae regi, remitti pretium, quo fuerat redemptus. Caelestinus III paucis mensibus post (1198) obiit anno aetatis 92.

---

§ 93. Papae et ultimi principes e gente Hohenstaufica. Synodi oecumenicae XII et XIII. 1198—1268.

Potthast, Regesta RR. PP., I (Berol. 1874), II (ibid. 1875), p. 943—1650. Innocentii III opera, *Migne* P. L., Tom. 214—217. *Hurter*, Geschichte Papst Innocenz III und seiner Zeitgenossen, Hamburg 1834—1842, 4 Bde. *Luchaire*, Innocent III, 5 vol., Paris 1904—1908. *Mansi*, Tom. XXII, p. 687 sq. *Hefele-Knöpfler*, Conciliengeschichte, V, 768 sq., VI, 1 sq. *Rohrbacher-Werner*, Universalgeschichte, XVIII B. Münster 1891. *Winkelmann*, Kaiser Friedrich II, 2 Bde, Leipzig 1889—1897. *Felten*, Papst Gregor IX, Freiburg 1886. *E. Berger*, St. Louis et Innocent IV, Paris 1893. *Michael*, Kaiser Friederich u. die Kirche, Zeitschr. für Kath. Theol. 1888, p. 290 sq. *Frantz*, Der grosse Kampf zwischen Kaisertum und Papsttum zur Zeit des Hohenstaufers Friederich II, Berlin 1903. Cf. Algemeene Geschied. door *Dr. H. Brugmans* en *Dr. W. Kernkamp*. Middeleeuwen door *Brugmans*, Leiden (z. jaar) p. 384 sq.

1⁰. Regnante **Innocentio III** (1198—1216) e gente Segniorum oriundo, et qui jam aetatis anno 37 electus fuerat, Summorum Pontificum auctoritas supremam suam nacta est efficientiam. Singularibus suis animi mentisque dotibus tanta prudentia usus est Innocentius, ut unus e praeclarissimis totius historiae ecclesiasticae Summis Pontificibus sit habendus. Angustiae tamen et difficultates ei non defuerunt. Germaniae impendebat bellum civile, facta post mortem Henrici VI ancipiti electione.

---

[1]) *Kneller*, Ergänzungshefte von Maria-L., 1893, No. 59.

Philippus Suevus *prior* quidem et a *pluribus* electus, sed Moguntiae ab episcopo Tarentasio insignibus regiis fuerat circumdatus. Ottoni Brunsvicensi vero Aquisgrani archiepiscopus Coloniensis diadema regni imposuerat. Prior, e gente Hohenstaufica, amplitudini factionis suae nitebatur, alter vero auctoritate viribusque principum Rheni inferioris, qui regnum ne fieret haereditarium in gente Hohenstaufica metuebant. Anno 1198, Frederico II, Henrici VI filio, quem propter aetatem principes Germani non elegerant, tutorem dederunt Innocentium III. Exardescente autem bello civili, uterque rex appellavit Papam. Qui gravissimis verbis per epistolam utrumque ad pacem firmandam exhortatus est, ne ipse cogeretur rem dirimere. *Principaliter* enim scripsit et *finaliter* hoc negotium ad Papam pertinet. *Principaliter* quod imperium ab oriente ad occidentem a Papa translatum est; *Finaliter* quoniam solus Papa dat diadema imperii [1]).

Celeberrima sua *Deliberatione*, anno 1198, Innocentius inclinabatur in Ottonem IV argumentaque exposuit pro et contra Fredericum, Philippum et Ottonem. Quum autem anno 1201 Ottonem IV accepisset, principes Teutonici refragati sunt et parum abfuit quin tertium eligerent [2]). Tum Innocentius, illa sua celeberrima *Deliberatione*, explanat quae sint jura Papae in regem Teutonicum eligendum: principibus Germaniae esse jus suum sibi regem eligendi; fas iis esse jure illo uti, inconsulto Papa, etiam posteaquam imperium occidentis a Papa institutum sit. Papae autem esse jus dandi aut negandi imperatoriam auctoritatem, pro electi dignitate. Quodsi electus diademate imperii indignus sit, debere principes alium eligere. Si recusent posse Papam alium regem imperatorem constituere, propterea quod Ecclesia opus habeat defensore. Quodsi inter principes discrepet de eligendo, Papam hortaturum ut consentire curent. Sin vero principes huic exhortationi morem gerere renuant, Papam rem esse dirempturum, aut tanquam libere electum arbitrum, aut jure suo proprio, quod Ecclesia non possit diu suo protectore carere. In qua re dirimenda Papam minus spectaturum ad electionis factae ad-

---

[1]) Registr. Rom. Imp. *Migne*, P. L., Tom. 216, p. 997 sq. Cf. Responsio nuntiis Philippi, ibd., p. 1012 sq.

[2]) Deliberatio de tribus electis, *Migne*, ibd., 1025 sq. Registr., No. 32—49, *Migne*, ibd., p. 1034—1049 et No. 51, p. 1051.

juncta, quam ad candidatorum dignitatem vel indignitatem, eo quod Ecclesia digno defensore habeat opus[1]).

Attamen reges duo in Germania armis sese impugnarant, varia fortuna, innumerisque malis regionem impleverunt. Hortabatur Papa ut reconciliarentur. Non tamen belli finis factus est, nisi cum Philippus Suevus, die 21 Junio 1208, a comite palatino *Ottone* fuisset interfectus. Quod quidem rei publicae causa factum non est. Tum **Otto IV** (1209—1218) Brunsvicensis, Francofordiae (1208) ab omnibus consalutatus, Italiam adiit et 1209 ab Innocentio III solemniter diademate insignitus est. Sed indignum se omni gratia praestitit. Eripuit Ecclesiae bona Mathildae, Anconam, Spoletam etc., conatus est Fredericum juvenem haereditate sua spoliare, violavitque concordatum Vormatiense. Incassum missis omnimodis exhortationibus, excommunicavit eum Innocentius III, Novembri 1210. Quo facto, principes Germani, Decembri 1212, Francofordiae elegerunt **Fredericum II.** Gallia quoque Papae partibus adhaesit. Otto IV societatem iniit cum Joanne (*Sineterra*), sed proelio celeberrimo, apud Bovines prope Insulas victus est[2]). Post annum Fredericus II Aquisgrani coronatus est *promisitque cum multis suis nobilibus expeditionem sacram se facturum*[3]). Otto IV aliquamdiu in Germania septentrionali bellum gerere perrexit, dein recessit et defunctus est anno 1218.

2⁰. Saepius Innocentius in negotiis matrimonialibus cum principibus certavit. Jam ante ejus electionem, Philippus Augustus, Galliae rex, uxorem suam legitimam Ingeborgam, Daniae principem, repudiarat. Ipsa affirmabat, ille negabat matrimonium esse consummatum. Synodus Compendiensis matrimonium invalidum declaravit, eo quod Ingeborga consanguinea fuerat in IV vel V gradu cum prima Philippi uxore. Quod ut audivit Ingeborga, appellavit ad Pontificem. Caelestini III legati egerant ut „canes muti". Philippus Augustus interea duxerat Agnetem, ducis Meranensis filiam. Innocentius autem, vix ad Summum Pontificatum evectus, exhortatus est regem, ei interdictum minitans (1198), quod, cum exhortationibus rex resisteret, 14 Jan. 1200 Galliae est

[1]) Registr., No. 62; *Migne*, ibd., p. 1065 sq.

[2]) *Gulielmus de Brito*, De gestis Philippi Augusti, apud *Bouquet*, Recueil des historiens des Gaules et de la France, nouv. édit., Paris 1878. Tom. XVII, 94 sq.

[3]) *Hefele*, V, 775 sq., 804 sq.

impositum [1]). Episcopi omnes, uno excepto, paruerunt. Quod moleste ferens rex, Saladinum beatum praedicavit, quod non esset sub Papa. Debuit tamen dare manus et pedetentim, anno 1213, pace restituta, Philippus in suo testamento Ingeborgam vocavit *„uxorem bene meritam"*.

Principis Alfonsi, regni Lusitani haeredis, connubium anno 1208 cum Urraca Castellana, consanguinea sua, rei publicae causa initum, episcopus Portus-Callensis (Oporto) invalidum declaravit. Quem persecutus est princeps, Innocentius autem defendit. Solemniter facta excommunicatio refragantem principem ad parendum et subjiciendum se redegit.

Itidem Alphonsi, Legionis regis matrimonium cum Berengaria Castellana, a Caelestino III invalidum declaratum et solutum est; atque excommunicatione et interdicto (1204) insanam pervicaciam fregit Innocentius. Ad omnia quae rei publicae causa proponebantur argumenta respondit Innocentius: *„non est apud nos acceptio personarum"* [2]).

3⁰. Romae et in dominio papali auctoritatem Papae restituere Innocentius valuit. Praefectus imperatorius et senator Romanus obsecundarunt. Ducatus Spoletanus et terrae Ravennatenses, Anconensis regio et Romaniola brevi spatio recuperata et Papae subjecta sunt [3]). Regnum autem utriusque Siciliae magnos Papae angustias peperit. Constantia, Henrici VI vidua, filium suum in regnando socium assumpserat, ei Papam dederat tutorem, regnumque iterum feudum Romanae Ecclesiae declaraverat. Quapropter Innocentius juvenem Fredericum tutari debuit contra inimicos ejus. Quod paulatim prospere successit, ita ut Frederici auctoritas, anno 1208, satis esset firmata regnoque quies reddita.

Etiam ad orientem strenuus Papa prospexit. Expeditione crucigerorum, ab eo provocata, institutum est Constantinopoli imperium Latinum, quem quidem eventum initio non intenderat Innocentius.

4⁰. Prima ejus cura fuerat reformare aulae suae disciplinam. Consectabatur simplicitatem, affabilitatem, atque integritatem

---

[1]) *Mansi*, XXII, 707 sq.; 710 de forma interdicti.

[2]) Gesta Innocentii III, No. 58. *Migne*, P. L., Tom. 214, 103 sq. Registr., II, 76. *Migne*, ibd., p. 610 sq.

[3]) *Ficker*, Die Recuperationem der röm. Kirche. Forsch. zur Reichs-und Rechtsgesch. Italiens, Innsbruck 1869, 284—472.

ac severas poenas petiit ab omnibus, qui ex avaritia pretio vendidissent aut corrupissent documenta publica. Salubris hoc reformationis studium prae se tulit praesertim in **synodo oecumenica XII 1215** [1]). Amplius 1200 prelati et legati interfuerunt. Damnatis prius haereticis Waldensibus et Albigensibus, doctrina SS. Sacramenti enucleatius est declarata et nomen *transsubstantiatio* approbatum. Dein annua confessio et communio praecepta, ne fierent connubia clandestina interdictum, consanguinitatis impedimentum ad gradum IV restrictum. Tandem praescriptum est ne novi ordines religiosi instituerentur. Dum conabatur Innocentius haec et alia hujusmodi decreta exsequi, dum expeditionem sacram praeparabat et luctamina cum Joanne, Angliae rege, componebantur, die 16 Julio 1216 morte interceptus est. Quidam illius aetatis auctor scripsit, gestorum ejus gloriam fulgere Romae et in universo terrarum orbe.

5⁰. Qui ei successit, e gente Savelliorum, sibi nomen dedit **Honorio III** (1217—1227). Principia Innocentii III prosequens, non iisdem tamen ingenii dotibus neque eadem invicta fortitudine usus est. Anno 1213 Fredericus II coram principum consessu, Egrae, „*benefactori suo ac tutori*", Innocentio III, promiserat liberam fore episcoporum abbatumque electionem et facultatem appellandi ad S. Sedem, *jus spolii* abrogatum iri, liberas fore functiones ecclesiasticas, praesidium adversus haereses datum iri et tutelam bonorum Ecclesiae Romanae [2]). Nihil harum rerum omnium servavit rex. Licet expeditionem sacram perpetuo distulerit atque conatus sit in se unum conferre regiam utriusque Siciliae et imperatoriam auctoritatem, tamen adeo usque blandimentis usus est [3]), ut eum anno 1220 Papa diademate imperii insignierit. Urbs Damiata interea christianis periit (1221), qui fuit magnus Honorio dolor [4]). Iterum debuit Papa ad annum 1227 differre crucigerorum expeditionem, quam tamen non vidit, morte interceptus Martio 1227.

Vir aptus, fortis, rerum peritus successit ei, **Gregorius IX** (1227—1241), Innocentii III patruelis. Vix evectus, exhortatus est Fredericum II ut expeditionem sacram aggre-

---

[1]) *Hefele*, V, 872 sq. *Mansi*, XXII, 960 sq. *A. Villien*, Histoire des commandements de l'Eglise, Paris 1909.

[2]) *Pertz*, Leges, II, 224—225.

[3]) *Hefele*, V, 912—913.

[4]) *Potthast*, Reg., No. 6723 „Imperatori" emenda in „Pontifici".

deretur, et pauco tempore post ut caste viveret [1]). Noluit obsequi Fredericus. Quapropter 29 Sept. 1227 excommunicatus est. Moleste tulit Fredericus conquestusque est se injuste punitum. Quum anno 1228 iterasset excommunicationem Gregorius debuit Roma aufugere ne vindictae Frederici succumberet. Is filium suum constituit sibi successorem regni, dein profectus, ut erat excommunicatus, in terram sanctam, fecit foedus cum Kamel Soldano et diademate regio Hierosolymitano honoratus est, dum ejus praefectus Raynaldus adoriretur armis *patrimonium.* Victae sunt copiae papales, cum Fredericus II ipse adveniens aciem duceret. Anno tamen 1230 pax ad *S. Germanum* facta est, cujus quidem leges Fredericus non servavit [2]). Severissime egit adversus haereticos, sed graviter conquestus est Papa, quod titulo haeresis uteretur ut catholicos sibi inimicos perderet. Attamen, Henrico contra patrem rebellante, a partibus patris stetit Gregorius. Compescuit Fredericus filium degenerem (1235), qui obiit in carcere (1242). Victo filio, aggressus est Longobardiam, quae causam Henrici defenderat; eamque per Ezellinum, virum crudelem, depopulavit. Dein filium suum naturalem Enzionem, anno 1238, regem constituit Sardiniae, quod erat feudum papale. Quo facto, anno 1239 altera vice excommunicatione Fredericum obstrinxit Papa. Quae causa fuit luctationis gravissimae, terminatae interitu gentis Hohenstaufícae. In excommunicationis documento retulerat Papa articulis 17 imperatoris crimina [3]). Econtra Pataviae coram imperatore orationem adversus Papam habuerat Petrus de Vineis. Inde querelae utrimque. Mox tamen imperator a verbis ad facta processit. Dum in Germania Alberto de Behaim mandasset Papa ut de alio rege eligendo ageret, dumque Tartari Europam orientalem impeterent, Fredericus invasit Italiam, ubi multos habebat sibi infensos. Prope insulam Elbam praelatos Gallicos 100 comprehendit, ne cogi posset synodus universalis. Jam stetit ante portas Romanas, cum Gregorius IX 22 Aug. 1241 defunctus est.

---

[1]) Ibd., No. 7884, 7972: „Ad coelestia animum erigat, amorem ad mentis delicias traducat neque se voluptatibus terrenis detineri permittat."

[2]) *Pertz*, Leges, II, 269—272.

[3]) *Raynaldus*, Annal., ad ann. 1239, No. 2—11. Liber inscriptus: *De tribus impostoribus,* non est illa aetate confectus. Cf. *Hefele*, Beiträge, I, 339 sq.

Caelestinus IV solos dies 17 regnavit; quo mortuo sedes Pontificia vacavit menses viginti. **Innocentius IV** (1243—1254), e gente Fieschiorum, pacem desiderans, hortatus est Fredericum ut episcopos, in insula Elba captivos, libertati restitueret bonaque rapta redderet[1]). Conditiones pacis descriptae sunt (1244), sed diffidentia et suspicio ablata non est. Commovebat Fredericus Romam impediebatque liberum Papae commercium. Qui profectus Narnium, ut cum imperatore congrederetur, per Genuam aufugit in Galliam ibique Lugdunum coegit, in diem 24 Junium 1245, **synodum oecumenicam XIII.** Actum ibi est de terra sancta, de schismate Graeco, de haeresibus, sed praecipue de gestis Frederici II. Accusatus est de haeresi, de sacrilegio, de amicitia cum soldano, de libidine, de violato jurejurando etc. Thaddeus de Suessa, conatus defendere principem suum, patribus non persuasit. Sessione III coram episcopis 250 Innocentius imperatorem damnavit subditosque ejus fide data liberavit[2]). Tum Thaddeus de Suessa pectus prae luctu percutiens, „*Dies iste*, exclamavit, *dies irae, calamitatis et miseriae!*"

6⁰. Renuntiata sic amicitia est imperatori, qui ad alterum Pontificem synodumque vere oecumenicam provocavit, petiitque S. Ludovicum, Galliae regem, ut intercederet. Is vetuit quidem contra imperatorem pecuniam colligi in Gallia, at frustra iteratis vicibus reconciliationem tentavit, dum nihil in vitae ratione immutabat Fredericus. Electus in Germania rex Romanus est Henricus Raspe (1246), cui, anno insequente mortuo, successit **Gulielmus Hollandiae comes** (1247)[3]). Bellum sacrum in Fredericum praedicatum est. Ad principes omnes misit Innocentius litteras, praesidia Gulielmo petens. Qui jam spoponderant in terram sanctam se profecturos, militando adversus Fredericum promissa solvebant[4]). Dum tota Germania sic bello conflagrabat, dum Conradus, Frederici filius internecivam luctam agebat cum Gulielmo,

---

[1]) *Pertz*, Leg., II, 342—344.

[2]) Acta apud *Mansi*, XXIII, 605 sq. Natalis Alexander demonstrare conatur imperatorem a solo Pontifice esse damnatum: Saec. XIII, diss. V, Tom. VIII, p. 327 sq. (ed. Par. 1676 sq).

[3]) Acta Gulielmi apud *Pertz*, Leg., II, 363 sq.

[4]) *Pertz*, Leg., II, 364; *Raynaldus*, ad an. 1247, No. 1 sq.

dum pugnabant inter se Guelfi et Ghibellini atque Italiam vastabant, dum certabant Papa et imperator summo exasperationis ardore, die 13 Dec. 1250 Fiorentini in Apulia obiit Fredericus, confessus et excommunicatione absolutus. Testamento suo professus est, velle se Ecclesiae satisfacere[1]). Dotibus ceteroquin naturae eximiis ornatus, fuit tamen Fredericus vir dominandi cupidus, superbus, lascivus, perfidiosus atque, e nonnullorum mente, in rebus fidei incerta animi sententia.

7⁰. Conradus bellum persecutus est in Germania primum, donec proelio ad Oppenhemum victus est a Gulielmo, dein in Italia, ubi suam recuperavit auctoritatem. Cum in eo esset ut reconciliaretur Papae et in Germaniam rediret, obiit Amalphiae (1254), annos natus 26. Conradinus, ejus filius, infans duorum annorum, ultimus fuit e gente Hohenstaufica. Gulielmus, Hollandiae comes, a Carolo Andegavensi „*aquarum rex*" vocatus, nec fidem neque auctoritatem sibi conciliare valens, morte Conradi vix quidquam profecit; caesus est proelio contra Frisones 1256[2]).

Amplius anno ante eum defunctus erat Innocentius IV, 13 Sept. 1254. Sustinuerat pontificatum turbis et difficultatibus plenum, sed gloriosum. Frederici II sane vitio factum est ut ageret acriter, hinc inde severe. Qui ei successit, **Alexander IV** (1254—1261) in luctam incidit cum Manfredo, Frederici filio naturali, administrante utramque Siciliam Conradini nomine. Succubuit Papa, ita ut Italiae magna pars in dictionem potestatemque Manfredi redacta sit. Insuper Conradini imperium in utramque Siciliam sibi arrogavit Manfredus, sustinuitque Alexandri IV reluctantiam, donec oblatum ab **Urbano IV**[3]) (1261—1264) et **Clemente V** (1265—1268) regnum utriusque Siciliae accipiens Carolus Andegavensis, cum valido exercitu in Italiam profectus, Manfredum vicit ter-

---

[1]) *Raynaldus*, ad an. 1250, No. 31 sq. Textum emendatiorem dat *Pertz*, Leg., II, 356 sq.

[2]) *J. Meermann*, Gesch. van graaf Willem van Holland, Roomsch-Koning, 's Gravenhage 1783. *Böhmer*, Regesta, 1246—1314, p. 28—36 et 350: „Der unbedeutende Graf konnte wohl der Strohman der Grossen sein, aber nicht ihr Herr." Cf. tamen De Katholiek, 1909 Majo-Julio.

[3]) *E. Georges*, Histoire du Pape Urbain IV et son temps (1185—1264), Paris 1866.

rasque expugnavit (1266). Qui tamen animi crudelitate, iniquitate et dominandi cupiditate regibus e gente Hohenstaufica minime cessit.

Interea in Germania, angustis adeo rebus, nemo princeps accipere imperium ausus est. Principes electores ancipiti suffragio Richardum Cornubiae (Cornwallis) et Alphonsum Castellae, utrumque peregrinum, constituerunt, quorum neuter auctoritatem assequi in Germania valuit, ita ut re et facto fuerit *interregnum*[1]). Poenam excommunicationis proposuerat Alexander IV ei, qui Conradinum Romanorum regem eligeret, et frustra Urbanus IV tentaverat ad concordiam et reconciliationem electos permovere[2]). Ingentes fuerunt, isto tempore, Ecclesiae in Germania aerumnae.

Italiae quum ecclesiastica tum civilis rerum conditio oppressa tenebatur crudeli imperio Caroli Andegavensis, qui tirannorum more monita Papae respuebat. Desiderabant Hohenstauficos provocaveruntque ad Conradinum, regnantem in Suevia. Is, inde ab anno 1266 sibi dans titulum regis Siciliae, postero anno Italiam petiit, contra monita matris et vetitum Clementis IV, qui excommunicatione eum obstrinxit. Inconsulto animi ardore motus, venit juvenis in Apuliam, et proelio prope Tagliacozzam a Carolo victus captusque est. Quamvis ad clementiam Papa hortaretur, et judices omnes, uno excepto, sententiam veniae dedissent, ultimum e gente Hohenstaufica rex crudelissimus Neapoli supplicio interemit (29 Octobri 1268). Per suam ipsius insolentiam gens ista nobilis interiit.

---

1) *Raynaldus*, ad an. 1256, No. 1—8. *Pertz*, Leg., II, 381.

2) *Raynaldus*, ad an. 1262, No. 5; 1263, No. 48 sq.

§ 94. Lucta Ecclesiae in Anglia.

Vitae S. Thomae, ed. *Giles*, apud *Migne* P. L., Tom. 190, 1—363 et 1070—1291. Epistolae et documenta historica, ibd., 369—671. Cf. *Mansi*, XXI, 872 sq. *Morris*, Life and martyrdom of St. Thomas Becket, 2 ed., London 1886, 2 vols. *Hutton*, St. Thomas of Canterbury, 2 ed., London 1899. *Lhuillier*, St. Thomas de Cantorbéry, Paris 1891—1892, 2 vols. *A. du Boys*, St. Thomas Becket, d'après des documents nouvellement publiés (Revue des quest. hist., 1882, Tom. XXXII, 353 sq.). *Ladenbauer*, Wie wurde König Joh. von England Vasall des röm. Stuhles (Zeitschr. f. Kath. Theol. VI, (1882) 201, 393). *Rohrbacher-Werner*, Universalgesch. XVIII, Münster 1891, p. 112 sq.

1⁰. Dum Papae defendebant se adversus Fredericum Barbarossam, **Thomas Becket,** archiepiscopus Cantuariensis in luctationem incidit cum Henrico II, Angliae rege. Natus anno 1117, scientiarum doctrinis praesertim juris canonici eruditus est Thomas quum in Anglia tum in Europae continente. Nuncupatus est archidiaconus Cantuariensis et 1156 cancellarius Henrici II. Moribus ipse integris et christianae legi consonis, facile patiebatur caesaropapismum regum Angliae, ut vel ab episcopo suo moneretur ne juribus Ecclesiae prospicere cancellarius negligeret [1]). Anno 1162, petente Henrico, ad sedem archiepiscopalem Cantuariensem evectus, vitam ardue asceticam vivere coepit, acerrimusque factus est jurium Ecclesiae propugnator [2]). Amore ejus Henricus primum cessit. Orta dein prima contentio, cum in synodo Westmonsteriensi Henricus violaret *privilegium fori* postularetque ut a) cum archidiacono magistratus regius de clericis judicaret, b) grave crimen, facta ecclesiastica degradatione, a judice saeculari puniretur. Refraganti Thomae rex hanc alteram postulati partem concessit, sed exigens ut servarentur „consuetudines avitae". Has Thomas eoque suadente alii omnes episcopi, se tantum servaturos testati sunt „salvo ordine nostro et jure Ecclesiae." Ira commotus rex omnem viam ingressus est ut Thomae animum flecteret. Imo vero falsae Paparum epistolae prolatae

---

[1]) *Jungmann*, Dissertationes selectae in Hist. Eccl., Tom. V (Ratisbonae 1885), p. 162.

[2]) Causas mutati animi vide ibd., p. 163—164.

sunt. Thomas demum clausulae „salvo ordine etc." substituit: „bona fide", quod tum quidem satis habuit rex.

2⁰. Januario 1164 actus est **conventus Clarendonensis.** *Consuetudines avitas* indagandas et articulis 16 scripto exarandas curaverat rex; exegit ut probarentur. Urgentibus episcopis concessit Thomas ut *consuetudines* observarentur *bona fide* [1]). Quarum praecipuae fuerunt: 1⁰. Lites de patronatu ad judicium regium pertinent. 3⁰. Clerici, in judicium saeculare vocati, non fruentur praesidio judicii ecclesiastici. 4⁰. Episcopi aliique vasalli regno non egredientur nisi rege permittente. 7⁰. Vasalli et magistratus regii censuris astringi non possunt nisi rege permittente; nec cuiquam licet ad sedem apostolicam provocare nisi permittente rege. 12⁰. Beneficia episcoporum, quae vacant, in manu regis sunt; electio pro sede vacante fieri debet concedente rege in regis sacello; electus debet ante consecrationem facere juramentum feudale et juramentum fidei *salvo ordine suo* [2]).

Non quidem sine adjunctione paruerat Thomas; sed quae gesserat habebantur approbantis testimonia. Nimis cum reliquis episcopis indulserat. Sed quum articulos decem rejecisset Alexander III papa [3]), confestim Pontificis sententiam defendit Thomas, sibique ipse, indulgentiae poenam, *suspensionem a sacris* inflixit. Solatii verba scripsit ad eum Papa mandavitque ut Sacrum faceret [4]). Econtra Henricus crimine majestatis accusavit Thomam; qui quum regi refragaretur, frustraque petisset ut liceret Anglia exire, mense Octobri 1164 aufugit in Galliam. Quum deinde Alexander III recusasset Thomam de sede sua dejicere, rapuit Henricus Thomae bona minatusque est fore ut pareret Paschali III antipapae, quod tamen, resistentibus aliis episcopis, exsecutus non est. Tum Papa confessorem audentem legatum constituit in Angliam universam, Eboraco excepto (1166). Qui multos nobiles, propter rapta bona ecclesiastica, excommunicatione ligavit, damnavitque articulos Clarendonenses. Falso insimulatus Romae, aliquamdiu minus fuit Papae gratiosus. Quamquam 2 Februario 1170 Henrico interdictum erat minitatus, tamen eodem anno, 22 Julio, pace et

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 190, p. 393 sq.
[2]) *Mansi*, XXI, 1187 sq.; *Migne*, l. c., p. 393 sq. et p. 17 sq. *Hefele*, V, 623 sq.
[3]) *Mansi*, XXI, 874 sq. *Migne*, P. L., Tom. 190, p. 20 et p. 239, fragm. 16.
[4]) *Mansi*, XXI, 1193.

reconciliatione composita, rediit Cantuariam, cum plausu jubiloque receptus. Mox tamen conqueri coeperunt nobiles avidi, inter quos praecipue, nimium regiae gratiae studens, archiepiscopus Eboracensis, qui „*Thoma vivo*, inquit, *non erit pax in Anglia*". Quod ubi audivit rex, ira commotus, „*homines ignavos*, exclamavit, *nutrio in regno meo*, *qui dominum suum non ulciscuntur eique presbyterum plebejum illudere sinunt*". Confestim equites quatuor abierunt. Revocare eos voluit rex. Sero. Trucidarunt S. Thomam in ecclesia cathedrali Cantuariensi (1170). Doluit rex de facto, „*neque cogitavi*, inquiens, *neque scivi*, *neque fieri praecepi*"[1]). Quaedam decreta abrogavit (1172) et anno 1174 peregrinatus est ad sepulcrum Sancti Thomae.

3⁰. Identidem[2]) lites exortae erant inter canonicos regulares Cantuarienses et provinciae ecclesiasticae episcopos. Utrique arbitrabantur, sibi jus esse suum eligendi episcopum. Defuncto 1205 Huberto primate, provocaverunt ad Innocentium III, qui justiorem habere causam declaravit canonicos. Romam acciti, capituli legati elegerunt Stephanum Langton. Cujus rei nuntius iram movit Joannis (Sineterra), Angliae regis (1199—1216) quod volebat episcopum Norwichianum nominari. Noluit probare electum, proturbavitque canonicos. Intentata excommunicatione et interdicto, Papam et cardinales contumeliis oneravit Joannes, jurans „*per dentes Dei*", se clericos omnes expulsurum et legatos Papae, abscissis naribus auribusque, remissurum. Sic quoque interdictum promulgatum est (1208)[3]). Quo facto, iram effudit rex in monachos et clericos, qui interdicto parebant. Episcopi haud amplius quatuor obsecuti sunt regi, qui anno 1209 ipse excommunicatus est[4]). Papa tamen, reconciliationem tentans, sat longas texuit moras[5]), donec tandem anno 1112 Joannem regno dejecit mandavitque Philippo Augusto, Galliae regi, ut sententiam exsequeretur. Tum fracta est regis obstinatio, missisque pacis legatis Romam, conditiones propositas rex accepit et jurejurando firmavit[6]).

---

[1]) *Watterich*, II, 419.
[2]) Anno 1184, 1193.
[3]) Formulam interdicti apud *Migne*, P. L., Tom. 217, p. 190 sq.
[4]) *Potthast*, Regesta, I, 3752.
[5]) *Ibd.*, I, 4392—4399.
[6]) Epistolas vide apud *Migne*, P. L., Tom. 216, p. 772 sq.

Stephanus Langton in Anglia cum honore et jubilo receptus est et Joannes Angliam et Hiberniam feudum papale declaravit[1]). Atque ita pax composita.

4⁰. Privilegia, nobilibus et baronibus ab Henrico I prius concessa, mox deinde revocata (1100) sunt. Anno 1113, ut redderentur, a Joanne postularunt armati nobiles, coegeruntque regem edere *Magnam Chartam libertatum*[2]). Qui provocans ad sedem Apostolicam, assecutus est ut ab Innocentio III, 24 Augusto 1215, ediceretur bulla, qua Magna Charta declarata est vana et irrita. Quod edictum quum respuerent, multi excommunicati sunt, Stephanus Langton suspensus et Londinum interdicto subjectum[3]). Nobiles regno dejecerunt Joannem elegeruntque regem Ludovicum, Philippi Augusti filium, qui Londinum expugnavit sed excommunicatione (1216) poenas solvit. Eodem anno Joannes rex obiit. Hujus quoque filium, Henricum III, tuitus est Papa. In gratiam regis immutata est *Magna Charta*. Capita 63 ad 42 restricta sunt. Ulterioribus dein mutationibus refecta, confirmata est anno 1225[4]), ea forma, qua nostra quoque aetate viget.

---

§ 95. Posteriores Saeculi XIII Papae sub influxu regum Galliae. Synodus oecumenica XIV (1274).

Guiraud-Cadier, Les registres de Gregoire X et de Jean XXI, Paris 1884. *Prou*, Les registres d'Honorius IV, Paris 1886. *Langlois*, Les registres de Nicolas IV, Paris 1886, 1—2; *idem*, Les registres de Martin IV, Paris 1901. *Digard-Faucon-Thomas*, Les registres de Boniface VIII, Paris 1894. *Potthast*, Regesta, II, 1651 sq. *Walter*, Die Politik der Curie unter Gregor X, Berlin 1894. *Stapper*, Papst Joannes XXI (Kirchengesch. Studien B. IV), Münster 1899. *Demski*, Papst Nicolaus III (Kirchengesch. Stud., B. III), Münster 1896. St. Pierre Célestin et ses premiers biographes (Anal. Boll. 1897). *Schulz*, Peter v. Murrhone als Papst Cölestin

---

[1]) *Migne*, ibd., p. 876 sq.

[2]) Appellabant etiam ad *libertates* Eduardi I, qui regnaverat 901 etc.

[3]) *Potthast*, Regesta, I, 4990, 5005—5006.

[4]) De certamine in Anglia cf. *Hergenröther*, Kathol. Kirche und christl. Staat, p. 240 sq.; p. 403 sq. F. E. Maitland, The constitutional history of England, Cambridge 1908.

V, Berlin 1894, I Theil; II Theil in Zeitschr. f. Kirchengesch. 1896—1897. *Finke*, Das Pariser Nationalkonzil vom Jahre 1290 (Röm. Quartalschr., 1895). *Idem*, Aus den Tagen Bonifaz VIII, Funde und Forschungen, Vorreformationsgesch. Forschungen, München 1902. *Boutaric*, La France sous Philippe le Bel, Paris 1861.

1⁰. Diuturna imperatorum Germanorum lucta adversus Papam, non minus quam gentis Hohenstauficae interitus, in partes discerpserat imbecillumque reddiderat imperium. Galliae contra vis et auctoritas continuo creverat, ita ut saepius coacti fuerint Papae praesidia a Gallis efflagitare. At Caroli Andegavensis gestorum initia non minus crudelia fuerunt et ex arbitrio facta quam Hohenstauficorum agendi ratio. Non praesidia attulit, sed turbas et ruinas. Quamobrem, spe abjecta, ad Germaniam iterum prospectum est. Obierat Clemens IV 29 Novembro 1268. In sedem, vacantem annos duos mensesque novem, tandem evectus est archidiaconus Leodiensis, Theobaldus Vicecomes qui sibi nomen dedit **Gregorio X** (1271—1276). Statim conatus est peritus ille Papa Guelfos et Ghibellinos in Italia ad pacem societatemque perducere. Defuncto Richardo Cornwallis, renuit ad imperatoris dignitatem efferre Alphonsum Castellae, hortatusque est Germaniae principes ut novam aggrederentur electionem[1]). Qui ex communi consensu constituerunt **Rudolphum Habsburgensem** (1273—1291). Hic accitus a Papa ut coronaretur, propter turbas et certamina, quae erant in Germania, aggredi iter Romanum non potuit.

2⁰. Vixdum in Pontificem fuerat electus Gregorius X, quum convocavit Lugdunum **Synodum oecumenicam XIV** (1274). Interfuerunt episcopi fere 500, principum legati, praelatique multi. Thomas Aquinas, in itinere, Fossanovae obiit, et Bonaventura sedente synodo. Michael Palaeologus, qui post excidium imperii Latini Constantinopolitani (1261) metuebat ne sibi bellum inferret occidens, obtulit ut unio inter Graecam Ecclesiam et Latinam redintegraretur. Cum juramento promissum est acceptum iri *Filioque* et Primatum. At invidia cleri Graeci non potuit cum occidente oriens in concordia esse diuturna. Celeberrimus deinde est hujus synodi Canon II, de eligendo Pontifice: in qua urbe Papa defunctus fuerit, intra

[1]) *Raynaldus*, ad an. 1272, No. 89 ; 1273, No. 7 sq.

decem dies post ejus mortem congredientur cardinales, in domo, in qua Papa habitavit, neque absentes cardinales exspectabunt. Manebunt omnes simul in uno conclavi[1]), nec pariete nec tapeto ab invicem sejuncti, sed prohibiti omni commercio hominum. Primis diebus tribus elapsis, proximis diebus quinque unum tantum iis ferculum apponetur. Quodsi tum etiam nondum perfecta electio est, non dabitur nisi panis, vinum et aqua[2]). Haec et plura alia statuta sunt ut acceleraretur electio neve diuturna esset *sedisvacatio*. Multas aerumnas passus est Gregorius X et tristissima expertus a Carolo Andegavensi, quem monuit, cuique Deum judicem minitatus est. Obiit 1276 Perusiae.

3⁰. Qui subsecuti sunt Papae, **Innocentius V, Hadrianus V** et **Joannes XXI**[3]) simul omnes unum tantum annum et dimidium regnarunt. Primus in id operam collocavit ut expeditio sacra fieret utque Guelfi cum Ghibellinis reconciliarentur. Ultimus abrogavit canonem II synodi, de eligendo Papa. Electus deinde **Nicolaus III** (1277—1280) cum prudentia et fortitudine gubernavit. Utrum autem jure an injuria nepotismi sit accusatus, non satis liquet[4]). Postulavit ut Graeci symbolo insererent *Filioque*. Carolo Andegavensi ademit dignitatem senatoris Romani, quam tamen brevi post ei restituit **Martinus VI** (1281—1285). Is, Gallus ipse, a cardinalibus Gallis electus, in gratia fuit Caroli Andegavensis dominiumque papale gubernandum dedit equitibus Gallis. Interea tamen **Vesperae Siculae** finem attulerunt regni Gallorum in Sicilia (30 Martio 1282)[5]). Frustra tum Papa conatus est impedire quominus Petrus, Arragoniae rex, cui sua transmiserat jura Conradinus, regium sibi nomen et auctoritatem in Sicilia sumeret. Obiit Carolus Andegavensis anno 1285, non multo tempore post Martinus IV.

---

[1]) Hoc nomine postea congressus cardinalium appellatus est.

[2]) *Mansi*, XXIV, 37 sq. *Hefele*, VI, 103 sq. Cap. Ut periculum de Elect. in 6⁰ (I, 6).

[3]) Joannes XX in catalogis non invenitur. Cujus rei causa haec est quod Joannem XV bis recensuerunt. *Duchesne*, Lib. Pontif., II, 457, anno 4.

[4]) Civitati Romanae et patrimonio papali tempora fuerant valde angusta. Dedit Papa amplas dignitates viris quinque e familia sua: verisimiliter quia posse iis fidem haberi arbitrabatur.

[5]) Conjurationis dux fuit Joannes a Procida, fautor vero Petrus Arragoniae rex. Omnes fere Galli uno die trucidati sunt. Cf. *Amari*, Il vespro Siciliano, 1851.

Qui ei successit, **Honorius IV** (1285—1287), vir fuit prudentia praestans. In cassum ipse quoque praevertere tentavit ne Sicilia expugnaretur. Irrita quoque fuerunt, quae in Germania cum Rudolfo Habsburgensi tractavit de accipiendo imperii diademate cardinalis Tusculanus. Mortuo Honorio IV, post *sedisvacationem* mensibus tredecim electus est **Nicolaus IV** (1288—1292). Conatus est efficere ut bellum sacrum pararetur. Assequi tamen non potuit. Quo defuncto, annos duos et menses duos vacavit sedes. Cardinales, factionibus dispertiti deliberarunt in Sancta Maria Maiori, in Aventino, in Maria Supra Minervam et Perusiae. Tandem cunctis suffragiis electus est monachus Petrus a Murrone, qui sibi nomen dedit **Caelestino V** (1294). Is in gratia fuit apud Carolum II, principem Neapolitanum. Ex urbe transmigravit Neapolim. Praeter exspectationem cardinales creavit duodecim, quorum Gallos septem, Neapolitanos tres. De negotiis gravissimis decretum ab eo est, solo suadente Carolo II, neque advocatis in consilium cardinalibus. Statuit pro lege iterum habendum decretum de electione. At oppressum se mox sensit onere gravi Caelestinus. Alliciebatur solitudinis delectatione. Adventus tempore 1294 voluit cardinalibus transferre gubernium Ecclesiae; quod cum hi recusassent, cogitare coepit de abdicando papatu. Interrogati cardinales, an liceat Papae abdicare se dignitate, responderunt licere. Quo audito, mandavit Caelestinus, ut nova fieret electio et recessit ipse 13 Dec. 1294[1]).

4°. Biduo in conclavi congregati cardinales elegerunt virum doctum peritumque, Benedictum Gaetanum, qui nomen sibi sumpsit **Bonifatium VIII** (1294—1303). Eum, ambitione motum, Caelestino suasisse ut abdicaret, et per simoniam dignitatem acquisivisse, calumniati nonnulli sunt. Quod vero Bonifatius Caelestino, qui abuti se homines offensos aut indignantes patiebatur, custodes imposuit Fumonae, prudentiae causa factum est. Custodes autem saepius minus bene tractasse Caelestinum, a multis Bonifatio tanquam probrum illatum est. Is statim aggressus est negotium pacis inter principes christianos componendae[2]). Undique autem contra ipsum surrexerunt adversarii. Imprimis *Caelestini* et Franciscani

---

1) *Raynaldus*, ad an. 1294. Formulam abdicationis vide ibd., n. 22.

2) *Potthast*, II, 24027, 24033, 24054.

severiores, qui instituerant congregationem eremitarum pauperum. Prioribus Bonifatius ademit privilegia nimis ampla, posteriorum congregationem dissolvit (*Fraticelli*). Deinde acri sermone contra Bonifatium scripsit notus ille Jacobus de Benedictis (Jacopone da Todi), et implacabile odium in eum susceperant Jacobus et Petrus Columna cardinales, qui adversus Papam Ghibellinis favebant. At, victi, dignitatis suae loco demoti sunt[1]).

5⁰. Manebat autem Bonifatium vehementissima et omnium diurturnior lucta cum Philippo Pulchro, Galliae rege. Usque ad illud tempus reges Galliae universe amico animo fuerant in Pontifices, qui vexati saepe, in eorum terras aufugientes, praesidia invenerant. Innocentium II et Eugenium IV profugos benigne excepit Gallia columenque iis praestitit. Alexander III, a Frederico Barbarossa oppressus, diu in eadem moratus est. Innocentius III sane in certamen incidit cum Philippo Augusto propter dimissam Ingeborgam bellaque adversus Joannem Angliae regem. Ceteroquin tamen rex iste Ecclesiae fideique favit. Ludovicus VIII fortiter egit contra Albigenses famaque pietatis et castitatis innotuit. S. Ludovicus IX quasi inter primores pugnavit contra Saracenos cunctosque Ecclesiae hostes[2]). Philippus III, qui ei successit, filius ejus, generatim patris vestigiis institit auxilioque fuit synodo Lugdunensi (1274).

6⁰. Aliter fuit, **Philippo IV** Pulchro regnante (1285—1314). Is, immoderata dominandi cupidine actus, infinitam gestiebat assequi potestatem, etiam in negotiis ecclesiasticis, neque horruit uti perfidia, fraude et injustitia. Habita ratione inopiae, qua terra sancta premebatur, perrexit Bonifatius VIII principes in Europa ad pacem et concordiam perducere. De regno utriusque Siciliae pedetentim pactio facta est (1302). Inter Venetias et Genuam civitates concordia frustra fuit tentata. Majoris momenti erat pax Galliae cum sociatis Germania et Anglia, eo magis quod auro Ecclesiae bellum gerebatur; componi tamen pax non potuit, frustrante Philippo IV cuncta quae Papa fecerat conamina[3]). Clerus in Gallia, jam diu conquestus, sup-

---

[1]) *Briordo Brugnoli*, Fra Jacomo di Todi, Assisi 1908.

[2]) Tributa ei *Sanctio pragmatica* certo spuria est. Cf. *Jungmann*, Diss., Tom. V, 437 sq.

[3]) *Raynaldus*, ad an. 1295 et 1296, n. 1 sq.

plices tum litteras ad Papam misit, tutelam flagitantes. Auditis cardinalibus Bonifatius edixit bullam *Clericis laicos* (25 Febr. 1296), qua poena excommunicationis et interdicti proponebatur, ne inconsulto Papa decimae ecclesiasticae acciperentur aut solverentur [1]). Anglia et Germania imperata haec acceperunt. At in Gallia, licet bonorum ecclesiasticorum immunitas jam antea [2]) non minus fortiter fuisset in tuto posita, formaque sane nonnihil acris: *clericis laicos infestos oppido tradit antiquitas* saepius jam fuisset usurpata [3]), tamen vehementer ad iracundiam commotus, Philippus IV vetuit aurum, pretiosa et equos exportari. Respondit Papa per bullam *Ineffabilis* [4]), suasit regi mansuetudinem, questusque est bullam *Clericis laicos* non recte a consiliariis ejus esse explicatam. Interea sponte sua clerici Galliae regi spoponderunt, per biennium decimas se daturos, quod approbavit Papa laudavitque [5]). Dein anno 1297, Ludovico IX in sanctorum catalogum relato, Philippus revocavit quae vetuerat. Videbatur pax composita. Anno 1300 primum jubilaeum magnum celebravit Bonifatius, ad quod ex omnibus terrae partibus innumeri peregrinantes Romam convenerunt [6]). Dum id magno Papae erat solatio, Philippus de amplificanda potestate sua, idque damno Ecclesiae, meditabatur.

7°. Jura omnia Ecclesiae violavit: nec bona, beneficia, decimae, neque episcopi in tuto fuerunt. Tacere Papae non licuit. Perincommode autem accidit quod legatum misit episcopum, Philippo non gratiosum. Qui comprehensus est et in vincula conjectus. Bullis duabus, *Salvator Mundi* et *Nuper ex rationalibus*, suspendit regis privilegia Bonifatius, suasitque ei, per bullam celeberrimam *Ausculta fili*, ut ad aequitatem sanaque judicia reverteretur. Ereptae sunt e manibus legati litterae, fictaeque sunt aliae (*Deum time*), duro et iniquo sermone compositae. Pervulgatum mox deinde est responsum regis, irreverenter et acerbe scriptum (*Sciat maxima tua fatuitas*). Malevolus in his omnibus regis consiliarius fuit Petrus Flotte.

---

[1]) Cap. 3 de immunitate, VI, 3, 23. Eccles.
[2]) Lateran. III, can. 19. Lateran. IV, can. 44, 46. Alex. IV, in VI, III, 23, 1.
[3]) *Hefele*, VII, 50, 74.
[4]) *Raynaldus*, ad an. 1296, n. 25 sq.
[5]) Ibd., ad an. 1297, n. 43 sq.
[6]) De centesimo Jubilaeo, *Raynaldus*, ad an. 1300, n. 1 sq. Cf. Studiën, Deel 54, Afl. 1.

Contra synodum Romanam coegit Philippus consessum praelatorum, baronum et allegatorum a civitatibus (1302), quae habentur communiter prima comitia nationalia (Etats généraux) Galliae. In his Papam calumniis oneravit Flotte; timide et ignaviter egerunt clerici et nobiles, Petri sermonibus in errorem inducti. Hac mente scripserunt episcopi ad Papam, nobiles ad cardinales. Qui responderunt, Papam nihil immoderatum a rege exegisse. Bonifatius ipse ad episcopos misit bullam *Verba delirantis filiae*, qua eorum nimis servile obsequium merito reprehendit[1]). Mense Augusto 1302, Romae in consistorio defendit se de calumniis Gallorum. Clerici tamen interea ad sanitatem redierant ita ut, quum mense Oct. 1302 Romae synodus esset coacta, etiam rege vetante interfuerint e Gallia archiepiscopi et episcopi 39. In hac synodo confecta est celeberrima illa, quam malevole multi saepe interpretati sunt, bulla **Unam Sanctam**[2]). Cujus summae res breviter haec sunt: Una tantum est vera Ecclesia, cujus caput Christus est ejusque vicarius Papa. Quicumque non est de grege Petri neque de grege Christi est. Promptos habet Ecclesia gladios duos, alterum spiritualem, saecularem alterum. Prior usurpatur *ab* Ecclesia, posterior *pro* Ecclesia. Potestas spiritualis saeculari est superior, eam dirigit ad finem ultimum, *damnatque quando ab hoc fine suo recedit*. Qui resistit supremae potestati spirituali, Deo resistit. Cuique homini ad salutem necesse est ut subjectus sit Pontifici Romano. Haec ultima sententia definitio est. Verba sunt: *Porro subesse Romano Pontifici, omni humanae creaturae declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis*. Subjectio autem Pontifici debita declaratur his verbis: *Potestas spiritualis terrenam instituere habet et judicare si bona non fuerit*. Docet hic Bonifatius potestatem *directam in spiritualia*, *indirectam in temporalia*. Quae doctrina non soli medio aevo fuit propria, sed nostris etiam temporibus non mutata viget[3]).

8⁰. Facile intelligitur hanc bullam nec regi placuisse neque

---

[1]) *Raynaldus*, ad an. 1302, n. 11 sq.

[2]) Cap. I Extrav. Comm., I, 8. *Raynaldus*, ad an. 1302, n. 13 sq. *Natalis Alexander*, Saec. 13, 14, Diss. IX. Revue des quest. hist., 1879, Julio. Multi textum bullae tribuunt Aegidio Romano.

[3]) Syllabus Pii IX, prop. 24.

iis, qui pro rege stabant. Theologis Gallis principia Papae impugnantibus[1]), convocavit consessum extraordinarium (Junio 1303) Philippus, in quo, qui Petro Flotte defuncto successerat, Gulielmus a Blasian, cancellarius, absurdissimas contra Papam protulit accusationes. Plures episcopi (26) cum rege censuerunt synodum oecumenicam convocandam. Quae omnia Bonifatio nuntiata sunt Anagniae. Videns autem regem in dies intemperantius agere nec cessare jura cuncta Ecclesiae pervertere, praeparavit Bonifatius bullam (*Super Petri Solio*), qua rex ejusque consiliarii excommunicarentur, subditique ejus fide jurata solverentur[2]). Praestituerat diem 8 Sept. At Nogaretus, illum diem praeveniens, auxiliantibus Columnis et Ghibellinis instructo exercitu, cum Sciarra Columna Anagniam expugnavit et contumeliose insultans senem fere 70 annorum comprehendit. Dubii autem, quid de Bonifatio facerent, duos dies morati sunt. Quo facto, Anagniae incolae impetu in exercitum facto, Papam venerabundi liberarunt[3]). Qui, cum militum praesidio profectus Romam, uno post mense mortuus est, 11 Oct. 1303. Sepultus quoque ab inimicis calumniatus est. Fuit vir ingenio acer, doctus et strenuus, sed etiam elatus, impatiens, iracundus et asper. Quodsi, ardenter certans, durius nonnumquam mentem sit elocutus, causam defendit sanctam. Ejus mors finem imposuit Papatus aetati celeberrimae et auctoritati maximae[4]).

---

[1]) *Joan. de Parisiis*, Tractatus de potest. regia et papali, apud *Goldast*, Monarch., II, 108 sq. cf. 95 sq.

[2]) *Raynaldus*, an. 1303, n. 36 sq.

[3]) *Michael*, Die Rolle Nogarets bei dem Attentat auf Bonifatius VIII, Zeitschr. f. Kath. Theol. 1892, p. 367. F. X. Knöpfler, Das Attentat von Anagni, Hist. pol. Bl., 102 (1888) p. 1 sq.

[4]) Cf. *Finke*, Bonifaz VIII, Hochland, I Jahrg. (1903), p. 9 sq.

CAPUT SECUNDUM.

LUCTAMEN CUM ISLAMISMO. ULTERIOR EXPLICATIO DOCTRINAE CATHOLICAE.

§ 96—§ 99.

§ 96. **Bella crucigerorum.**

Recueil des historiens des croisades, publiés par les soins de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres (Historiens occidentaux, 5 vols, 1844—1895; Historiens orientaux, 4 vols, 1872—1899; Historiens grecs, 2 vols, 1875—1881; Historiens arméniens 2 vols, 1869—1907. *Michaud*, Histoire des croisades, Bruxelles 1841, 10 vols. *Röhricht*, Beiträge zur Geschichte der Kreuzzüge, 2 Bde, Innsbruck 1874—1878. *Idem*, Geschichte der Kreuzzüge in Umriss, Innsbruck 1898. *L. Bréhier*, L'Eglise et l'Orient au moyen-âge, les croisades, Paris 1907. *Schlee*, Die Päpste und die Kreuzzüge, Halle 1893. *Henne-Am Rhyn*, Kulturgeschichte der Kreuzzüge, Leipzig 1894. *W. Moll*, Kerkgeschiedenis van Nederland vóór de Hervorming, II, Arnhem 1866, pag. 1 sq. Deelneming onzer vaderen aan de Kruistochten. *P. G. Stroppa*, Opera di Terra Santa, Torino 1906.

1⁰. Anno 614 Hierosolymam expugnaverunt Persae. Dein successit quidem fortissimo Heraclio civitatem repetere, at diuturna libertas non fuit. Anno 637 Omar urbem occupavit. Multo collato stipendio, christianis licentia facta est exercendae religionis intra domorum aediumque parietes. Tolerabantur quoque peregrinationes. Melior tamen reddita est christianorum conditio, quum Harun al Rachid princeps (kalifus), cum Carolo Magno amicitia juncta, ei claves S. Sepulcri misisset. Ipsa etiam rei publicae perturbatio, qua Fatimidae Hierosolymis potiti sunt, felicem hunc aliqualis libertatis statum non multum immutavit[1]). At anno 1009 Hakem kalifus ecclesiam S. Sepulcri evertit, coepitque christianos persequi.

---

[1]) Sylvestri II epistola, qua flagitare auxilium pro Hierosolyma exhibetur (Jaffé, I, p. 500 No. 3918), fere certo posteriori aetate conscripta est stili gratia.

Attamen neque haec quasi tempestas diu duravit[1]). Byzantini assecuti sunt, ut sibi jus patronatus in Hierosolymam concederetur, ac dein ecclesiam S. Sepulchri pulchriorem restituerunt. Labente saeculo XI frequentiores peregrinationes institutae[2]), donec Turcae Seldschukitae terram sanctam lacessabant et tandem anno 1073 occupaverunt. Flebiles questus audiebantur in occidente de spoliatis locis et dirutis. Supplices petebant Graeci opem. At Gregorius temporum ratione impediebatur et Victor III sola Italiae ora munitionibus tutatus est.

2°. Primus auctor **primae expeditionis sacrae** (1096—1099) fuit Urbanus II Papa[3]). Mense Martio 1095 Placentiae synodum coegerat, a qua etiam Alexii Comneni legati praesidia flagitarunt contra Turcas. Inde profectus, Urbanus **Claramontii** praefuit, mense Novembri 1095, ingenti synodo archiepiscoporum 14, episcoporum 250, et abbatum 400. Ibi gravissima oratione[4]) clerum equitesque adhortatus est ut S. Sepulcrum et orientis christianos e Turcarum manibus eriperent. Nulla unquam oratio parem habuit vim et efficaciam. Undique conclamatum est: „Deus vult"! Millenis affixa est humero crux e panno rubro, imprimis Adhemaro Podiensi episcopo, quem Papa suum pro expeditione legatum constituit. In omnes regiones Urbani verba perlata ad parem fervorem animos concitarunt. E multis qui praedicando ad expeditionem exhortati sunt imprimis numerandus est **Petrus eremita.** Sociis expeditionis Ecclesia lucrandam dedit indulgentiam plenariam ejusque bona tutanda suscepit. Monacho non fuit licitum votum expeditionis emittere inconsulto abbate aut episcopo. Pueri et mulieres matrimonio junctae non sunt admissae. Iis qui votum emissum violarent excommunicatio intentata est. Ingens religionis ardor et in Christum amor populos ad

---

1) Neque epistola Sergii IV (Jaffé, No. 3972) videtur esse genuina.

2) Cira annum 1030 Theodoricus III comes Hollandiae cum Joanne van Arkel peregrinationem in terram sanctam fecerunt. Gulielmus I episcopus Ultrajectinus a Turcis spoliatus et vulneratus est. Cf. *Moll*, op. cit., p. 7—8.

3) Falso iste honor tribuitur Petro eremitae. Cf. Hist. Occid. d. Crois. III, 169. *Hagenmeyer*, Le vrai et le faux sur Pierre l'Ermite, Paris 1883. *Paulot*, Un pape Français, Urbain II, Paris 1903.

4) Omnibus verbis expressa oratio tradita non est. Inveniuntur textus in Appendice ad Vitam Urbani II apud *Migne*, P. L., Tom. 151, p. 565 sq. cf. *Greguy*, Le concile de Clermont et la première croisade, Clermont 1895.

suscipiendam expeditionem commovit, nonnullos sane ut in rebus humanis fieri assolet, etiam ambitio, avaritia, voluptas.

3⁰. Aestivo tempore 1096 major pars exercitus profecti sunt: Lotharingi duce Godfredo Bouillonaeo, Balduino et Eustachio[1]); Galli septentrionales ducentibus comitibus Blesensi et Vermanduensi; Flandri et Normanni sub suis comitibus. Exercitui meridionali praefuerunt Raymundus Tolosanus et Adhemarus Podiensis; ex Italia profecti sunt ducibus Boemundo et Tancredo. Multi tamen jam antea exierant: Germani sub sacerdotibus Volcmaro et Gotteschalco; Galli, Angli et Flandri, duce Emichone comite, reluctante Kalmanio Hungariae rege in varias partes dissipati sunt. Quae sub Petro eremita erat multitudo, in Asia Minori maximam partem Turcarum gladiis ceciderunt. At praecipua pars exercitus, amplius quinquies centena millia hominum, postquam verno tempore 1097 transiit Bosporum, 19 Junio ejusdem anni expugnata Nicaea, mense Octobri Antiochiam obsidione cinxit. Proditore Firuzo duce (emir), mense Junio 1098 christiani urbe potiti sunt. Attamen nondum apertum erat iter Hierosolymitanum. Etenim christianis, inopia confectis et peste haud parum imminutis, minitabatur Kerbuga dux (emir) cum bis centenis millibus militum ad urbem liberandam adventans. Christiani terrore perculsi sunt. At inventa, in civitatis ecclesia quadam, sacra lancea[2]) novos addidit animos (14 Junii), ita ut Kerbuga a Boemondo fugatus et Antiochiae castellum sit deditum. Die 1 Augusti Adhemarus Podiensis, celeberrimus, succubuit peste, cujus vis late semper per exercitum vagabatur. Demum verno tempore 1099 ad Sanctam civitatem expugnandam processum est. Obsidione cincta fuit urbs a die 7 Junii ad 15 Julii, quo die ab altera parte Godfredus Bouillonaeus, ab altera Tancredus et Raymundus cum copiis eam introierunt. Calamitatibus quas tolerarant exacerbati, victores a cruenta caede non temperarunt. Cum Raimundus Tolosanus regiam dignitatem recusasset, Godfredus Bouil-

---

[1]) Videntur etiam multi Hollandi eo duce militasse. Cf. *Moll*, op. cit., p. 9. *J. C. van der Muelen*, Maandbl. van het Genootschap de Nederl. Leeuw, I, 2, 6, 17.

[2]) Id tamen esse factum brevi post Normandi negarunt (cf. Hist. Occid. d. Crois., Tom. III, p. 283—285).

lonaeus princeps Hierosolymorum est renuntiatus. Primus patriarcha Latinus electus est Arnulphus Rohesius.

4⁰. Novum autem **regnum Hierosolymitanum** [1]) perpetuo ab aggredientibus Turcis defendendum fuit. Jam aestate 1099 Aegyptiorum aderat exercitus, quem tamen profligarunt christiani prope Ascalon (12 Augusti). Beduini dein terras infestas faciebant multique portus in manibus Turcarum manserant. Boemundus ipse, Julio 1100, captivus factus est. Demum non solum ipsum regnum, complectens Palaestinam veterem cum Phoenicia protegendum fuit, sed regiones quoque tributariae: comitatus Tripolitanus, principatus Antiochenus, et comitatus Edessenus. Peropportune autem accidit quod receptae Hierosolymae nuntius ingentem in Europa commovit fervorem, ita ut multi, opem Sanctae Terrae laturi, arduum iter post alios aggressi sint [2]). Godfredo, qui anno 1100 defunctus erat, successit Balduinus Edessenus comes. Quod Godfredus recusarat insigne regium, reverentiam exhibens Christo spinis coronato, id capiti suo imposuit Balduinus. Tancredo, initio ambitione commoto in novum regem, concessum est ut gubernaret principatum Antiochenum, quamdiu Boemundus esset in vinculis. Retentis quidem quas jam expugnaverant terris, frustra tamen tentarunt capere principem Islamismi arcem, Bagdad, atque adeo vires praecipuas hostium frangere non potuerunt. Ipsae mulieres nobiles, ut Ida Austriaca, S. Leopoldi mater, in potestatem Turcarum venerunt. Balduino I, anno 1118 mortuo, successit Balduinus II, patruelis ejus, comes Edessenus. Is quum civitatem tum ipsum regnum ad summum magnificentiae et potestatis apicem evexit [3]). Attamen anno 1131 in monasterium se recepit, regnum relinquens Fulconi Andegavensi et Melisindae. Litibus inter clericos exortis et Fulcone anno 1143 mortuo, cui successerat Balduinus III juvenis, potentissimus Zenki, qui erat princeps Mosul, regno ruinam minitabatur. **Edessa,** primum a Zenki exercitu impetita, in deditionem venit 25 Dec. 1144.

---

[1]) De regni hujus ratione ac conformatione vide Bréhier op. cit., p. 88 sq.

[2]) Cf. *Bréhier* op. cit., p. 83 et *Riant*, Un dernier triomphe d'Urbain II (Revue des quest. hist. XXXIV, 1883).

[3]) *Theodoricus VI* Hollandiae comes, anno 1139 peregrinationem Romam et Hierosolymam suscepit.

5⁰. Quae clades causa fuit **expeditionis secundae** (1147—1149)[1]. Eugenius III 2 Dec. 1145 ad cogendum exercitum populos excitavit et primum expeditionis praedicatorem renuntiavit **S. Bernardum**[2]. Qui percurrens Galliam et Germaniam, Hollandiam quoque attingens, fervidis contionibus, quibus fidem faciebant multa patrata miracula[3], omnium animos ad ardorem excitavit. Fuit haec expeditio minus universa, minoribus quoque copiis, sufficientibus tamen instructa. Ludovicus VIII rex Galliae et Conradus III imperator, quibus singulis obsecundabant 70.000 militum, terrestri itinere profecti sunt; alii exercitus ex Hollandia, Anglia et Provincia navibus in Syriam deducti. Multitudo peregrinantium, qui iter sacrum peragentes se exercitibus adjunxerant, tum impedimenta, a Manuele[4] imperatore Graeco apposita, defectus quoque providentiae in dispartiendis copiis causae fuerunt, cur recuperandae Edessae conamina non sint tentata. Si cum multitudine conferuntur eorum, qui egressi fuerant, pauci tantum Hierosolymam advenerunt. Ibi Conradus et Ludovicus cum Balduino Hierosolymitano consilium inierunt Damascum expugnandi. At licet cum exercitu 70.000 militum facta sit oppugnatio, miserrime ad irritum cecidit, ut ferebatur, ex proditione[5]. Animis dejecti Conradus et Ludovicus in Europam redierunt. Ubi casus adversus magnam concitavit invidiam, ac per injuriam S. Bernardo tribuebatur. Is paulo tempore post conatus est, adjuvante Sugero abbate, nova expeditione factam cladem reparare. Frustra; nullibi quidquam impetrare valuit[6].

Non tamen omnino inutilis fuit haec secunda expeditio. Venedi pagani in Mecloburgia et Pomerania, inducti ab itinerantibus in Terram sanctam, missionarios ad se admiserunt. In Lusitania major etiam belli fructus ex Mahumetanis reportatus. Hollandi enim et Angli, supra memorati, cum

---

1) *Hüffer*, Hist. Jahrb. der Görresges., 1887, p. 391 sq.

2) *Vacandard*, Vie de S. Bernard, abbé de Clairvaux, 2 vols, Paris 1885. S. Bernard et la 2e croisade (Revue des quest. hist. XXXVII).

3) De miraculis a sancto patratis Coloniae Agrippinae, Aquisgrani, Trajecti ad Mosam, Leodii, cf. *Migne*, P. L., Tom. 185, p. 392—398.

4) Cf. *L. Bréhier*, op. cit., p. 105 sq.

5) Cf. *Luchaire*, Hist. de France de *Lavisse*, Tom. III, p. 13—19.

6) *Bouquet*, Historiens des Gaules, Tom. XII, p. 110 (Vita Sugeri).

Alfonso rege caput regni Olisiponem expugnarunt, multamque firmitudinem recenti regno addiderunt[1]).

6⁰. Postquam sedem suam Damasci munivisset Nureddin, infestam facere Palaestinam perrexit. Infeliciter accidit quod Balduinus III jam obierat 1162. Qui ei successit, Amalricus I, ejus frater, juvenis quoque defunctus est (1174). Balduinus IV puer, lepra correptus, decessit 1184. Etiam Balduinus V juvenis interiit 1186. Qui huic successit, Guido Lusignanus inde ab ineunte regno praepotentem hostem sibi oppositum habuit Saladinum, Aegypti imperatorem (soldanum). Insuper discordiis dividebantur christiani principes in oriente, et in occidente ardor desederat. Die 4 Julii 1187 ingentem cladem accepit Guido, prope Hattin ad lacum Genesareth, atque ipse cum principibus nobilibusque captus est. Die 10 Julii Accon expugnatum, 5 Septembris Ascalon et 2 Octobris se tradidit Hierosolyma. Quaecumque erant christianae religionis monumenta signaque eversa ac diruta sunt. Ecclesia S. Sepulcri annuo stipendio tradita est Graecis. Cujus calamitatis nuntius in occidente desides animos ad novum fervorem inflammavit.

7⁰. Gregorius VIII et Clemens III pontifices excitarunt ad incipiendam **expeditionem tertiam** (1189—1192) refocillaruntque ardorem quo fervebant populi anno 1095[2]). Ubique pax composita est: Pontifex cum Barbarossa, Philippus Augustus cum Henrico II Angliae rege, civitas Pisana cum Genuensi, Venetiarum cum Hungaria, Gulielmus Siciliae princeps cum imperatore Byzantino. Gulielmus, Tyri archiepiscopus, et Albanensis cardinalis legatus peragrarunt Europam, crucem praedicantes. Primum auxilium classis Sicula attulit, civitati Tripolitanae praesidio facta adversus Saladinum. Galliae et Angliae reges cum copiis suis iter maritimum arripuerunt (Julio 1190). Frisones et Scandinavi navibus 55 profecti sunt. Jam verno tempore 1198 Barbarossa, cum 100.000 militum Ratisbona profectus, cum pace Hungariam transivit; sed quum Isaac Angelus, Byzantinus imperator, societatem cum Saladino iniisset, armis sibi viam sternere per Graeci imperii terras coactus est. Barbarossae filii expug-

---

[1]) Henricus Ulvinga, Frisonum dux, valde excelluit; caesus est et postea martyris veneratione honoratus.

[2]) *Jaffé*, 16014, 16019, 16106. *Mansi*, XXII, 527, 531, 419.

naverunt Iconium (Majo 1190)[1]). Dein exercitus, jam ad 42.000 militum imminutus, per Armeniam minorem ductus Antiochiam versus, pervenit ad flumen Calicadnum (Selef). Ibi, die 10 Junii 1190, Fredericus Barbarossa imperator aquis submersus est[2]). Qua calamitate multis animus cecidit, redieruntque. Reliqui secuti sunt Fredericum, Sueviae principem. Qui, cum exiguis ingentis exercitus reliquiis, copiis Accon obsidentibus se adjunxit. Ibi enim Guido Lusignanus, recepta libertate, tenuem manum collegerat, exspectans dum appellerentur Galliae, Angliae et Scandinaviae naves (Junio 1189). Hieme ibi prorupit pestis, qua etiam correptus Fredericus Suevus interiit. Advectis Philippo II Galliae et Richardo, Angliae rege, qui Cyprum prius expugnaverat[3]), sociatis viribus Accon oppugnatum ac captum est (12 Julii 1191). Majus militare facinus patratum non fuit. Dum Saladinus, metu plenus, impetum in Hierosolymam timebat, crucigeri et Terrae sacrae principes, prae ambitione et discordia, otiosi inertesque manserunt. Galliae rex brevi rediit. Richardus, manu fortis, ducendi exercitus non erat peritus. Mense Augusto castra movit in Ascalon, sed Saladinus civitatem diruit, renuitque reddere Hierosolymam et S. Crucem. Frustra tentatae nuptiae inter Richardi sororem Joannam et Malik-el-Adil, cui daretur Hierosolyma cum civitatibus maritimis. Voluit dein Richardus aggredi Hierosolymam, sed equites templi et S. Joannis id dissuaserunt. Insuper cum seditionem commovisset Joannes (Sineterra) in Anglia et malam regis Galliae mentem metueret Richardus, redire domum, autumno 1192, coactus est. Tamen antequam abiret foedus icit cum Saladino, quo foedere christianis cessa est terra a Joppa usque Tyrum, licentia facta peregrinandi Hierosolymam, et induciae trium annorum promissae. Richardus ipse in itinere captus est a Leopoldo Austriaco, qui eum postea captivum tradidit Henrico VI.

---

[1]) In obsidione Iconii eminuit etiam Floris III, Hollandiae comes, et Antiochiae peste succubuit. *Otto* quoque, Geldriae comes, gloriam magnam adeptus est. *Moll* l. c., p. 12.

[2]) Epist. de morte Frederici apud *Pertz*, Tom. XX, p. 496. Nerses Lampronius in Hist. Jahrb. der Görresges., 1881, p. 290. *L. Bréhier* op. cit., p. 123.

[3]) De hoc ejus itinere cf. *L. Bréhier*, op. cit., p. 125 sq. *De Mas-Latrie*, Histoire du royaume de Chypre, Paris 1852—61, Tom. I.

Demum anno 1194, pretio 150.000 marcarum redemptus, vir fortissimus libertatem recuperavit [1]).

Duae causae fuerunt cur foedus Richardi firmum esset. Imprimis Saladini mors (1193), quo casu regnum ejus dilapsum est. Dein quam vocant **expeditionem Germanicam** [2]) (1196—1197). Etenim ad expianda multa sua scelera Henricus VI crucem accepit misitque Conradum a Wittelsbach cum 60.000 militum exercitu in Terram Sanctam. Memoria dignum nihil consecuti sunt, praeter civitatem Berytum expugnatam. Dein cum Henrici praematura mors esset nuntiata, diffusus exercitus est et magnam partem in Germaniam rediit.

8⁰. Innocentius III valde doluit exercitum Germanorum, quasi fugatum, rediisse et Terrae Sanctae solam spem reliquam esse in Turcarum benignitate. Amalricum II regem sustinuit et defendit curavitque inquisitionem institui de rerum Orientis conditione. Uterque magister ordinum duorum equestrium censuerunt tempus valde opportunum esse ad novam expeditionem aggrediendam. Ita **expeditio quarta** praeparari coepta est (1202—1204). Quadragesima pars redituum a clero, a populo uberrima subsidia postulata sunt. Praecipuus crucis praedicator fuit Fulco Nobiliacensis, qui in ludo equestri, habito in Ecry, crucem dedit Theobaldo Campaniae duci, Ludovico Blesensi, Simoni Montfortio et vasallis multis, inter quos erat historiographus Godfredus Villehardouinus [3]). Quorum exemplo incitati, etiam Balduinus Flandriae comes et fratres ejus Henricus et Eustachius cum baronibus suis secuti sunt [4]). Ad Rhenum superiorem praedicavit Martinus Pairisius, prope Colmarum, multisque dedit crucem. Anno 1200 currente, Theobaldum ducem elegerunt, pactique sunt cum Venetiarum duce (doge) Dandolo ut navibus Venetis exercitus transveheretur, pretio argenti 85.000 marcarum et dimidiae spo-

---

[1]) *K. A. Kneller*, Des Richard Löwenherz Deutsche Gefangenschaft, Ergänzh. Stimmen a. M. L. 59.

[2]) *L. Bréhier*, op. cit., p. 134 sq.

[3]) La conquête de Constantinople, Ed. *De Wailly*, Paris 1882. *Ducange*, Histoire de l'empire de Constantinople sous les empereurs français, Paris 1868.

[4]) Ex Hollandia secuti sunt Gulielmus van Lynden et Theodoricus van Brederode: Cf. *J. Dirks*, Noord-Nederland en de kruistochten, Vrije Fries, II, 135—223.

liorum partis. Tristissime vero accidit, quod vere 1201 Theobaldus adhuc juvenis obiit. Qui mortuo succederet, haud ita facile inventus est. Tandem electus est Bonifatius Monteferrariensis. Probando pactionem cum Venetiis, hanc conditionem adjecerat Innocentius III, ne contra gentem christianam exercitus arma verteret [1]). Perspexerat fortasse mentem astutiamque Dandoli. Is tamen, ex inopia crucigerorum, qui ei adhuc solvere debebant 36.000 marcas, occasionem opportunam nactus, proposuit ut debitum donaretur, si Gazaram Dalmatiae urbem expugnarent. Frustra reluctavit cardinalis-legatus. Gazara tradita est 24 Nov. 1202 [2]). Dein, circa anni 1203 initium, advenerunt in exercitu legati a Philippo Suevo, flagitantes opem pro genere suo Isaac Angelo, quem frater ejus dejecerat. Pauco tempore post Isaaci filius, Alexius juvenis, idem petens affuit. Tum, parum solliciti de Papae minis, vela dederunt in Constantinopolim. Alexius III ejectus, Isaac Angelus cum filio suo Alexio restitutus est. De pacti tamen legibus (quae fuerunt ut unio cum Ecclesia Latina restitueretur et solverentur argenti 200.000 marcae) exorta est discordia. Rerum perturbatione secuta, imperium obtinuit Alexius Ducas. Quem, quum Latinis etiam minus satisfaceret, facto altero in Constantinopolim impetu [3]), fugam capessere coegerunt.

Secuti sunt dies exsecrabiles, spoliorum, libidinis et caedium pleni. Dein imperium Graecum in **imperium Latinum** (1204—1261) converterunt unanimisque suffragiis Balduinum Flandriae comitem imperatorem constituerunt. Bonifatius Monteferrariensis regnum Macedoniae et Thessalonicae nactus est, aliis data sunt feudalia opulenta et Venetiis aptissime sita ora maritima, portus et insulae. Per vim unionem cum Ecclesia Latina effecerunt, ita ut non solum patriarchatus sed etiam dioeceses multae a Latinis occuparentur. Quibus omnibus, licet Papa ea improbaret, acquievit tamen [4]). Anno autem 1261

---

[1]) *Riant*, Philippe de Souabe etc. Revue des quest. hist. 1875. *Hanotaux*, Les Vénitiens ont-ils trahi la chrétienté en 1202? Revue histor. IV (1872). *Riant*, Le changement de direction de la 4e croisade. Revue des quest. hist. 1878. *Tessier*, La quatrième croisade, Paris 1887.

[2]) *Villehardouin*, op. cit., p. 32—36.

[3]) Id., ibid., p. 134 sq.

[4]) Innoc. Epist. VII, *Migne*, P. L., Tom. 215, p. 454 sq.

Michael Paleologus, imperator Graecus Nicaenus, adjuvantibus Genuensibus, imperium Latinum evertit[1]).

9⁰. Terrae igitur Sanctae auxilium haec quarta expeditio non attulit. Non tamen animo cecidit Innocentius, sed omni qua poterat ope novam expeditionem praeparare coepit. Spes tamen haud magna affulsit. Etenim in Hispania certabatur cum Almohadis, in Gallia cum Albigensibus, in Anglia adversus Joannem Sine terra, in Borussia contra paganos, Constantinopoli contra Graecos. Tamen sacrarum expeditionum opinio nondum adeo extenuata est, ut ne vel in simplicissimorum animis ardorem excitaret. Junio 1212 Stephanus, puer pastoricius Vindocinensis, in animum induxit se a Deo vocari ut christianos in Palaestinam duceret, ac, sicut Israelitis, sibi quoque mare apertum fore. Haec **expeditio puerorum**[2]) multis placuit. Millia multa puerorum, sacerdotum, mercatorum et hominum quaerentium questum Massiliae conscenderunt. Quorum triremes duae submersae sunt, reliqui e navibus in venaliciis Africae sunt expositi. Eodem tempore praedicavit crucem Nicolaus, puer Coloniensis multosque sibi conjunxit. Fere viginti millia puerorum, quibus mulieres quoque et homines nequam se addiderant trans Alpes perduxit. Quorum multi redierunt, aut fame et labore itineris perierunt. Reliquos retinuit episcopus Brundisinus, quorum aliqui Romam adierunt, dispensationem voti emissi petituri. Innocentius permisit ut solverent votum quum ad maturam aetatem venissent. Ferunt Nicolaum interfuisse obsidioni Damiatae.

10⁰. Vixdum iste ardor quasi morbosus refrixerat, cum Innocentius III universum orbem christianum ad **quintam expeditionem**[3]) est exhortatus. Synodus generalis 1215 de re exsequenda decernere debuit. Postulatum est ut clerici omnes redituum suorum partem vigesimam conferrent, ut crucigeri vectigali liberarentur, ut cessaret annos quatuor mercaturae commercium cum Oriente, ut intermitterentur annos tres ludi equestres, demum ut esset pax Dei universa annos quatuor. Indulgentia

---

[1]) *Bréhier*, op. cit., p. 229.

[2]) *Röhricht*, Der Kinderkreuzzug (Hist. Zeitschr. 1876, p. 1 sq.). *Des Essards*, La croisade des enfants, Paris 1875.

[3]) *Pothast*, Regesta, N⁰. 4706.

plenaria[1]) concessa est crucigeris omnibus et iis, qui naves suppeditarent. Expeditio inchoanda statuebatur die 1 Junii **1217.** Defuncto Innocentio, aequali fervore rem gessit Honorius III. Qui crucem praedicarunt, praecipui fuerunt Jacobus de Vitriaco (Vitry) et Oliverius Coloniensis. Haud magno studio rei gerendae tenebantur Galli. Fredericus II imperator identidem distulit. Magna tamen alacritate ferebantur Germani, Hungari, Brabantini, Hollandi et Scandinavi. Pars exercituum, Andrea Hungariae rege et Leopoldo Austriaco ducibus, facta via per fines Germaniae, conscendit naves Venetiis et Spalati. Altera pars, profecta navibus e Norvegia, susceptis crucigeris Rhenanis et Frisonibus, collatoque auxilio Lusitanis contra Mahumetanos, mense Majo 1218 juncta est reliquo exercitui[2]). Tum jam Hungariae rex, factis irritis aliquot itineribus, redierat et obierat rex juvenis Cypri, qui se crucigeris adjunxerat[3]). Eodem mense Majo 1218 incepta celebris **obsidio Damiatae**[4]). Omnes crucigeri tum parebant imperio Joannis Breonensis (Brienne), regis Hierosolymitani et Pelagii cardinalis-legati. Doluerunt omnes quod Leopoldus Austriacus, vere 1219, in patriam reversus est. Nec tamen ab obsidendo cessum. Hollandi et Frisones mirum quam fortiter pugnarint[5]). Die 5 Nov. **1219** capta Damiata. Territi valde Turci. Tanti faciebat recuperare civitatem Alkamil soldanus, ut pro ea reddere regnum Hierosolymitanum proposuerit. Renuit legatus, infidelium nomen extirpare nitens. Numerosa multitudo ex occidente advecta impedire non valuit quominus fortuna belli verteretur et Damiata a Turcis recuperaretur. Foedae cladis culpam conjecit Oliverius Coloniensis in crucigeros, qui se male gesserant; alii eam soli Pelagio attribuerunt. Hic autem videtur exspectasse Fredericum II[6]).

11°. Fecerant cum soldano inducias annorum octo, quas rumpere soli principi alicui christiano liceret. Propter quod

---

[1]) *Hefele*, V, 900.

[2]) *Riant*, Expédit. et pélérinages des Scandinaves en Terre Sainte, p. 320—327.

[3]) *De Mas-Latrie*, Hist. de Chypre, I, 196.

[4]) Pro Hollandis cf. *Broers*, Bijdragen tot de geschiedenis van het Nederlandsche zeewezen, p. 94. *Delprat*, Nyhoff, Bijdragen V, 75. *Nieuwbaarn*, Kath. Gids 1893, p. 382 sq. *Van der Lans* loc. cit., p. 134.

[5]) *Moll*, Kerkgesch., l. c., II, 1, p. 12—15.

[6]) De culpa vide *Röhricht*, Geschichte der Kreuzzüge in Umriss, I, 210—211.

Honorius III urgere coepit Fredericum II, qui, anno 1221, serius missa classe denuo differre inchoaverat. Moram temporis quaerens postulavit ut reliqui quoque principes interessent. Die 25 Julii 1225 *conventione ad S. Germanum* se promissione obstrinxit Fredericus, ut anno 1227 expeditionem aggrederetur. Interea cum duxisset Isabellam, Joannis Breonensis filiam, contra jus fasque sibi titulum regis Hierosolymitani dedit. Anno 1227, jam conscensis navibus, iterum cessatum, quod numero naves non sufficerent. Tum peste multi absumpti sunt. Fredericus ipse aegrotus in portu Hidruntino in terram egressus est. Obiit ibidem Ludovicus, Thuringiae princeps. Demum 28 Junio 1228 Fredericus, propter perpetuam dilationem iterum excommunicatus a Gregorio IX, profectus est. Cum exiguo exercitu magna faciendo armis impar, cum soldano foedus fecit: ut essent induciae decem annorum cum dimidio, ut Hierosolyma traderetur imperatori, exceptis *Templo Domini* et *Templo Salomonis*, ut liceret christianis peregrinari, ut traderentur a soldano Bethlehem, Nazareth, urbesque ad viam ab Accon ad Hierosolymam. Utrimque sibi auxilium promiserunt imperator et soldanus. Statutum deinde, ut principatus Antiochiae et Tripolis quasque occuparant terras ordinis militares in Syria, foedere non complecterentur, utque captivi omnes liberarentur [1]). Conquestus est Papa de gestis imperatoris in Palaestina [2]). Hermanus quoque, magister generalis ordinis Teutonici, foedum foedus improbavit [3]). Fredericus contra in Germania sibi plausit, quasi de parta victoria: „*Laetentur omnes in Domino*" [4]). Imposita sibi Hierosolymis regia corona, Fredericus mense Majo 1229 in Italiam rediit.

12⁰. Transacto fere induciarum spatio, auxilia quaedam in Terram Sanctam profecta sunt. Agmen Francorum duxerunt Theobaldus Navarrae et Hugo Burgundiae princeps (1239). Anno insequenti Anglorum copiae, duce Richardo Cornubiae (Cornwallis) principe sacram expeditionem susceperunt. Vix quidquam effectum est. Interea Mongoli, expugnatis Russiacis et Hungaricis terris, penetrarunt usque ad

---

[1]) Treuga cum Soldano, Pertz, leg., II, p. 260.

[2]) *Potthast*, Reg., No. 8284.

[3]) *Pertz*, Leg., II, 263 sq.

[4]) *Pertz*, Leges, II, 261 sq.

oras maris Adriatici. Qui hostes praepotentes, etsi retrogressi, finibus Russiacis se continuerunt, eorum tamen invasio funesta fuit christianis. Etenim Kharismiorum 10000, fugati a Mongolis, soldani Aegyptiaci castra secuti sunt, qui novis his copiis firmatus, caeso christianorum exercitu prope Gazam (1244), Hierosolymam in perpetuum christianis eripuit. Simul Mongolorum exercitus Antiochiae imminebat, ita ut universa christiani nominis possessio in Oriente periclitaretur.

13⁰. In tantis angustiis synodus generalis Lugdunensis, anno 1245, iteravit decreta anni 1215 incitavitque principes ut **expeditionem sextam** aggrederentur [1]). Cleri trium annorum redituum vigesima pars collata est, fideles hortamentis sollicitati ut de suo largirentur, ne Mongoli (Tartari) fines invaderent terrasque depopularent. Frustra: omnis fere videbatur exstinctus fervor. Hohenstaufi, luctando cum Papa, imperii vires dissipabant. In Anglia tribuendo pecuniam opitulari refragabantur. Solus **S. Ludovicus IX** [2]), cum Gallorum populo, obsecundarunt. Junio 1248, Parisiis rex profectus est. Altera pars exercitus conscendit naves Aquis Mortuis (Aiges-mortes), altera Massiliae. Sicuti fecerant duces expeditionis anno 1219, ita tum quoque S. Ludovicus primum Aegyptum et Damiatam aggressus est, quae obsidione bidua, 7 Junii 1249, est capta. Advenientibus copiis ordinum militarium et Alphonsi, Pictavii comitis, crevit exercitus ad 20000 equitum et peditum 40000. Reliqui tamen eventus minus prosperi quam initia fuerunt. Temerario impetu suo Robertus, comes Artesius, causa fuit cur proelio prope Mansurah praecipui principes ceciderint, et, impedito reditu Damiatam, rex ipse cum fratribus suis ab hostibus sint capti. Imo vero, Turan-Shah per proditionem interfecto, parum abfuit ne rex ipse necaretur. Pretio Damiatae et aureorum decies centenis millibus Ludovicus libertatem recuperavit. Non tamen animo cecidit. Fratrem suum misit in Europam, auxilia petiturum; ipse mansit in Palaestina. Auxilia missa non sunt.

---

[1]) Can. 14—17. *Hefele*, V, p. 1117—1118. *Mansi*, XXIII, 633 sq.

[2]) *Joinville*, Histoire de S. Louis, éd. de *Wailly*, Paris 1880. *Röhricht*, Der Kreuzzug Ludwig IX gegen Damiette, Berlin 1890. *Delaborde*, Jean de Joinville et les Seigneurs de Joinville, Paris 1895. *Lecoy de la Marche*, S. Louis, son gouvernement et sa politique, 3e éd., Tours 1891. *M. Sepet*, S. Louis, 2e éd., Paris 1899. La prédication de la croisade au XIII siècle (Revue des quest. hist. Juillet 1890. *E. Berger*, S. Louis et Innocent IV, Paris 1893.

Solus „Hungarorum magister" coegit militum manum in Flandria et Picardia, quos propter malefacta populus interemit. Annos quatuor S. Ludovicus in Palaestina stetit tractavitque cum principibus (emiris) hostium de liberandis captivis. Accepto autem nuntio de morte Blancae, matris suae, anno 1254 in Galliam rediit. Admirabilem sanctitatem et fortitudinem principis vere christiani admirati erant Mahumetani.

14°. Sibi relicti, principes christiani Orientis perpetuis dissidiis implicabantur. Quae possederant, auferebantur prius ab Hulagu (khan) et, inde a 1261—1268, a Bibars soldano Aegypti. Solum Tripolis, Accon et Sidon ditionis christianorum remanserant. Anno 1261 patriarcha Hierosolymitanus electus est Papa nomine Urbanus IV, cui post paucos dies nuntiata est ruina imperii Latini a Michaele Paleologo. Is agendo cum Papa conatus est impedire quominus Latini eum aggrederentur. Clades autem, christianis illatae a Bibars soldano Aegypti, Europaeos ad aggrediendam **expeditionem septimam** sollicitarunt. Anno 1266 Clemens IV Papa epistolam exhortativam misit ad S. Ludovicum et barones ejus. Rex fortissimus congregatis vasallis suasit ut crucem reciperent. Theobaldus quoque Campaniae princeps et Robertus Blesensis secuti sunt. Tota Gallia novo fervore concitata est. Etiam Angliae rex Eduardus, suadente Ludovico, crucem accepit. Conscensurus navem ad Aquas Mortuas (4 Julii 1270) petiit sanctus vir a Carolo Andegavensi ut copias omnes ad oras Tunesianas veheret. Sperabat enim fore ut ibi adesset quum soldanus baptizaretur. Is enim finxerat velle se christianum fieri ac per Raymundum Martinum, ordinis praedicatorum, voluntatis suae nuntium regi miserat. Vere nihil praeter expeditionis moras quaerebat. Egressos e navibus post paucos dies pestis oppressit, cui 25 Augusto 1270 ipse S. Ludovicus succubuit. Quo paucis horis defuncto Carolus cum classe advenit et expeditionis renuntiatus est caput. Fecit foedus cum soldano Tunesiano, Siciliae opportunum, et postea decem annorum inducias (1272) cum soldano Bibars. Novus Galliae rex, Philippus III, jamdiu in patriam redierat. Eduardus autem Angliae rex, moleste ferens hanc desidiam, vela fecit in Palaestinam. At cum paucis suis copiis magna aggredi non est ausus. Factis incursionibus aliquot in Turcarum terras, in Angliam rediit. Quare neque hac expeditione quidquam duraturum effectum est.

15°. Bibars tamen primo tempore ab inquietandis christianis in oriente abstinuit. Gregorius X, in synodo Lugdunensi (1274), principes iterum exhortatus est ad novam expeditionem concessitque ecclesiasticorum redituum decimam partem. Obsecundabant reges Germaniae, Galliae et Angliae. At morte Gregorii et exortis bellis, omnia in irritum abierunt. Res christianorum in oriente in dies magis labefactatae sunt. Anno 1287 a soldano capta est Laodicea, 1289 Tripolis, cujus fere omnes incolae christiani trucidati sunt. Suadente Nicolao IV, crucigerorum Italorum exercitus, anno 1290 Accon profectus, impedire non valuit quominus ea civitas anno 1291 sit capta et incolarum sanguine cruentata. Paucis diebus perierunt Sidon, Berytus, Chaifa, Tortosa et castellum Athlith. Sic christianis omnis in Syria auctoritas adempta est. Synodus Viennensis (1311—1312) fortiter exhortata est ad novam expeditionem tentandam. Propterea reges aliqui et principes sibi crucem dari voluerunt. At actum praeterea nihil est. Plures etiam Pontifices idem conati sunt quod synodus Viennensis. At frustra. Fervor omnis frixerat. Demum anno 1453 Turcae Constantinopoli potiti sunt.

16°. Quaerenti causas, cur expeditiones sacrae successum non habuerint, praecipuas, solet referri imprimis quod defuerit qui forti manu copias omnes duceret, dein discordia inter principes et invidia equitum S. Joannis et Templi. Saeculo XIV, qui acutissimo erant ingenio censuerunt [1]) Palaestinam tum tantum expugnari posse, cum societas iniretur cum Mongolis. Quod re tamen et facto tentatum non est.

Quodsi per expeditiones sacras id, quod proprie quaerebant christiani, nacti non sunt nisi brevi temporis spatio, non tamen facile quis nimis magni faciat, quae bona ulteriora ex iis consecuti sunt. Imprimis enim repressus Mahumetanorum cursus, universae societati christianae exitium minitans, et retardata imperii Constantinopolitani clades. Dein agricultura, mercatura, ars navalis et artes omnes, negotia etiam quae questus causa tractantur, quasi in immensum aucta sunt neque minus novo decore illustrata est scientia, innotescentibus litteris Graecis et

---

[1]) *Guillaume d'Adam*, De modo Saracenas extirpandi, Ed. *Kohler;* Directorium ad passagium faciendum (tributum Patri Brocard), Ed. *Reffenberg*. *Ricolde de Montecroix*, Liber peregrinationis, Ed. de *Backer*.

orientalibus. Inde morum feritas mitigata, equitum christianorum nobilitas orta, civium conditio ac fortuna melior facta. Vitae quoque spiritualis ratio emolumenta magna coepit: fidei, religionis ac praesertim christianae caritatis opera multiplicata, eleemosynis erogatis, hospitiis, nosocomiis aliisque caritatis institutis erectis. Neque omittenda, quae illustrius prodiit, unio totius orbis christiani cum Ecclesiae capite, Summo Pontifice, cujus voce gentes variae junctae sunt et ad defendendam fortissime Christi causam concitatae. Vita christiana bellissime floruit, et populorum christianorum inter se commercium egregios fructus moribus publicis et privatis attulit[1]).

---

§ 97. Pugna cum Islamismo in Europa.

Schak, Geschichte der Normannen in Sicilien, Stuttgart 1889, 2 Bde, *Amari*, Storia dei Musulmanni di Sicilia, Firenze 1854. *R. Dozy*, Histoire des Musulmans d'Espagne, 4 vols, Leyde 1861. *P. Gams*, Kirchengeschichte von Spanien, II, 2. III, 1. Regensburg 1874—1876. Tüb., Quartalsch., 1862, p. 205 sq.

1⁰. Quodsi christiani stabilem sibi sedem in oriente comparare non valuerunt, id nec potuerunt Mahumetani in occidente. Ab anno inde 831 regnabant in Sicilia nec fere oppugnati sunt donec, anno 1019, Normanni consederunt in Italia meridionali et Apulia, Graecos e Calabria expulerunt atque ita e propinquo Mahumetanis minitati sunt. Robertus Guiscardus, a Nicolao II Papa agnitus, terras suas feudum dedit S. Sedi. Graecis ejectis, aggressus est Mahumetanos. Rogerium, fratrem suum, cum copiis in Siciliam misit. Triginta annos (1061—1091) belligeratum est. Quo facto, tota Sicilia Mahumetani expulsi. Robertus, titulum comitis Siciliae adeptus, obiit anno 1101. Cujus filius Rogerius II (1101—1154), utrique terrae imperans ab Anacleto II regia dignitate ornatus est (1130). Neapolitanas quoque terras suo sceptro subjecit, exegitque annuum tributum

---

[1]) *Hahn*, Ursachen und Folgen der Kreuzzüge. *Greifswald* 1859. *Regenbogen*, Commentarius de fructibus, quos humanitas, libertas etc. perceperint sacro bello, Amstelodami 1809. *R. W. J. van Pabst tot Bingerden*, Over den invloed der kruisvaarten enz. Verhandelingen van het Utr. Genootschap, 1821, VII, Stuk 1. *Choiseul-d'Aillecourt*, De l'influence des croisades, Paris 1809.

a soldano Tunesiano. Ita potestas Islamitarum in Italia exstincta est.

2⁰. In Hispania 300 fere annos stetit Cordubae Kalifatus. Christiani initio incolebant praesertim partes terrae septentrionales, faciebantque e montibus Cantabris impetus in Mahumetanos. Carolus Magnus enim constituerat comitatum christianum in decliviis Pyrenaeorum, unde paulatim regnum Navarense et comitatus Catalauniae et Arragoniae generata sunt. Ulterius perpetuo christiani pugnando terras occuparunt, praesertim quum, defuncto Omajadorum ultimo, Kalifatus Cordubensis dispertitus est in plures emiratus (1031). Saepe tamen christiani, etsi imperabant in regnis Legionis et Castellae, emiris succubuerunt. Alphonsus VI, anno 1073, Castellae rex primus, Tagum fluvium cum copiis transiit Toletumque expugnavit (1085). Quo facto, metu perculsi Mahumetani opem flagitarunt ab Almoravidis in Mauritania. Qui, transmisso mari, anno 1086 Alphonso VI ad Salakkam cladem ingentem intulerunt. Dein ab impetu utrimque temperatum est. Vir quidem celeberrimus **Cid** expugnavit anno 1094 Valentiam; sed quum anno 1099 moreretur, Valentia a Mahumetanis recuperata est. Eodem tempore Alphonsus VI Henrico, Burgundiae comiti, terras donavit sitas inter fluvios Durium et Minium, e quibus, fortiter contra Mahumetanos defensis, ortum est anno 1140 regnum Lusitanum, cui anno 1147 Olisipo caput datum est. Christiani, alacres semper animo, Almohados tamen vincere non potuerunt. Anno demum 1212 sociatis regibus Navarrae, Arragoniae et Castellae, Mohammed Abdallah Annasir prope **Naves de Tolosa**[1]) supremam cladem accepit. Solemnia gaudia celebravit Innocentius III incitavitque ut principes christiani in humilitate Deo gratias agerent[2]). Ab eo inde tempore Mahumetani magis magisque ad meridionales partes propulsi sunt, ita ut universa Baetica (Andalusia) ditioni christianorum subjiceretur. In sola extrema parte meridionali Islamismus stetit, ibique Mohammed Aben Alamar, anno 1238, condidit regnum Granatense, quod demum anno 1492 christianis armis succubuit.

---

[1]) Descriptionem vide in epistola Alphonsi Castellae regis, *Migne*, P. L., Tom. 219, p. 669—703.

[2]) Responsio Alphonsi ibid., p. 703 sq.

§ 98. Conversio ethnicorum.

Dehio, Geschichte des Erzbistums Hamburg-Bremen, Berlin 1877, 2 Bde. *Giesebrecht*, Wendische Geschichte, 700—1182, Berlin 1843, 3 Bde. *Wiesener*, Geschichte der Pommern zur Wendenzeit, Berlin 1880. *Ewald*, Die Eroberung Preussens durch die Deutschen, Halle 1872—1887, 4 Bde. *Pabst*, Meinhard, Livlands Apostel, Reval 1847—1849. *Kallmeijer*, Die Gründung deutscher Herrschaft und christl. Glaubens in Kurland, Riga 1859. *Kulb*, Geschichte der Missionsreisen nach der Mongolei in 13 und 14 Jahrh., Regensburg 1860, 3 Bde.

1°. Dum bella sacra et certamina cum principibus hac aetate fere omne Ecclesiae robur omnesque ejus vires absumebant, neglectum tamen nullatenus fuit opus adducendi paganos ad fidem. Diffusa est christiana doctrina in Asia et Africa. In regionibus circum maria septentrionalia Russiae et Germaniae fere omnes pagani paulatim fide catholica imbuti sunt.

Venedi (Wenden). Ad hos pertinuerunt imprimis *Sorbi*, victi et subacti jam ab Henrico I et Ottone I Saxonico, atque ita humanitati et fidei propinquiores facti. Eorum apostolus fuit S. Benno, episcopus Misniensis († 1106)[1]. Hac ipsa aetate dioeceses Misnia et Ciza (Zeiz), postea Numburgum et Marsipolis erectae sunt. Apud *Wilzenos* Otto I jam fundaverat episcopatus Brenoburgensem, Havelbergensem et archiepiscopatum Magdeburgensem. Tamen ab Alberico Urso demum regio imperio Germanorum subjecta est et christianae religioni dedita (1134). *Abotriti* quoque in Megalopoli (Mecklenburg) et parte Holsatiae jam saeculo X fidem acceperant. Mistewoi rex eorum persecutus christianos est et religionem exstirpavit. Ipse ejus nepos Gotteschalcus anno 1066 martyrio est coronatus. Henricus Leo († 1195) regionem demum expugnavit et Ecclesiae addidit. Praecipuus fidei propagator fuit S. Vicelinus[2], episcopus Aldenburgensis († 1159). Qui ei successit, episcopatus sedem Lubecam transtulit.

2°. **Pomeraniam** impugnabant, inde a saeculo XI, Poloniae duces, quorum Boleslaus III eam expugnavit (1121). Tum ibi fidem praedicavit Bernardus, missionarius Hispanus. At qui incolae opibus abundabant, acerbis facetiis eum irriserunt,

---

[1]) *Will*, Benno, Bischof von Meissen, Dresden 1887.

[2]) *Kruse*, St. Vicelin, Altona 1826.

Dominum mundi, dicentes, sane mendico non uti legato (1122). Pauco tempore post celeber Otto Bambergensis[1]) eos convertendos suscepit. Papae legatus, annis 1124 et 1128, cum splendidissimo comitatu in Pomeraniam profectus, omnem prae se tulit principis imperii magnificentiam. Primum episcopatum erexit Julinii (1125), cujus episcopum renuntiavit Adalbertum, suum discipulum. Anno 1170 sedes translata est Caminum.

Anno 1168 Dani armis potiti sunt insula Rugia. Waldemarus, rex Danorum, cepit Arconam sedem idoli *Zwantewit*, ibique ecclesiam aedificavit. Alterae etiam munitiones, Carenza, a Danis expugnata est. Tum insula jurisdictioni Absalomi, episcopi Roskildiani, subjecta est[2]).

3°. **Borussi** non ante saeculum XIII Ecclesiae fidei nomen dederunt. Saeculo X S. Adalbertus[3]) ab ipsis martyr interfectus est, saeculo XI S. Bruno[4]). Polygamia, caedes senum et infantium, exustio mancipiorum cum domino mortuo, diis suis humanae hostiae litatae, haec fuerunt eorum vitia praecipua. Adhuc ineunte saeculo XIII, Godofredus Lukinensis ejusque frater Philippus frustra eos convertere tentaverunt. Immo vero Philippus interfectus est (1207). Post duos annos Christianus Olivanus, monachus Cisterciensis, praedicando prima fidei semina spargere inchoavit. Quae cum enasci non videret, in Pomesaniam et Lobaviam profectus est, ubi multos collegit fructus. Quos recentes christianos quum Borussi feroces aggrederentur et paene exstirpassent, Christianus opem flagitavit ab Honorio III, qui ei potestatem fecit erigendi episcopatus et cohortandi ad bellum sacrum contra feros istos homines[5]). Adveniente crucigerorum agmine, pax undique composita est. Recedentibus autem crucigeris, commotio denuo orta. Tum Christianus, auxiliante duce Masoviensi[6]), instituit *Militiam Christi contra Prutenos*, quorum tamen conamina

---

[1]) Vitae apud *Pertz*, SS., Tom. XII, 721—919, Tom. XX, 697—721. Cf. *Zimmermann*, Der h. Otto, Freiburg 1875.

[2]) *Helmoldi*, Chronicon Slavorum. *Pertz*, XXI, 11—99.

[3]) Acta SS. Boll., Tom. III, Aprilis, p. 174. *Pertz*, SS., IV, 574. *Pawlawski*, Der H. Adalbert, Dantzig 1863.

[4]) Acta SS. Boll., Tom. II, Febr. 798 sq.

[5]) *Potthast*, Regesta, 5481, 5770, 6063.

[6]) *Potthast*, N°. 7022.

non minus irrita fuerunt[1]). Dein anno 1226 *ordini Teutonico*[2]) mandatum est ut feroces Borussos subigerent. Qui, adscitis sibi auxilio *fratribus ensiferis* (Militia Christi de Livonia) post diuturnam pugnam, demum 1283 terras subjicere potuerunt incolasque paulatim ad fidem christianam perducere[3]). Episcopatibus quatuor Borussia dispertita est: Culmensi, Pomesaniensi, Varmiensi (Ermeland) et Sambiensi (Samland).

4⁰. Etiam **Russiae** regiones, Baltico mari adjacentes, fide christiana imbuti sunt. Inde ab anno 1186 in Livonia Evangelium annuntiaverat Meinradus ordinis S. Augustini monachus. Paucos tantum baptizare potuit, qui quidem postea ad ethnicismum redierunt. Successum demum habuit Albertus a Buxhövden. Qui Rigae, in urbe a se condita, sedem episcopalem collocavit (1200). Insequente anno instituit ordinem *fratrum ensiferorum*, quorum auxilio usus est in convertenda *Estlandia* et *Semgallia*. Multum in his regionibus hoc tempore etiam laboravit S. Hyacintus, ordinis Praedicatorum, et socii ejus[4]). Curlandi, anno 1230, suo arbitratu se Ecclesiae adjunxerunt[5]). Anno 1253 Rigae archiepiscopi sedes collocata est, cui episcopatus suffraganii dati sunt sedes Reval, Oesel, Dorpat et Curland. *Finnia*, saeculo XIII ditionis regum Sveciae facta, accepit anno 1300 episcopatum Aboanam. Circa annum 1335 Sveci fidem diffuderunt etiam in *Laponiam*. Cujus regionis praecipuus apostolus factus est Ericus rex[6]). In *Lithuania* propagandae fidei incubuerunt equites ordinis Teutonici. Ibi Vitus, ordinis Praedicatorum, primus fuit episcopus. Integra tamen populi conversio postea est perfecta, cum Jagello, Lithuaniae princeps, Hedwigi Polonae matrimonio junctus, ipse baptizatus esset et christianam religionem publicam declarasset[7]).

5⁰. In **Asia** praedicaverunt Nestoriani Persae. Penetrarunt usque ad lacum Baïkal et, ineunte saeculo XI, ad fidem adduxerunt multos e Karaïtis, quae Tartarorum gens est,

---

[1]) Ibid., 8271.

[2]) Ibid., 8480, 8593.

[3]) Ibid., 8603, 8767, 9070.

[4]) *De Flavigny*, S. Hyacinthe et ses compagnons, Paris 1899. *De Wedel-Jarlsberg*, La province de Dacie, Rome 1899.

[5]) *Migne*, P. L., Tom. 216, p. 326. *Raynaldus*, Annales, ad a. 1217, N⁰. 45.

[6]) Acta SS. Boll., ad d. 18 Maji: vita S. Erici.

[7]) *Raynaldus*, Annal. ad a. 1251, N⁰. 46—50. *Thomassinus*, I, 1, Cap. 59, 5.

cum rege, cujus memoria pervulgata est nomine **Johannis Presbyteri** [1]). Unus eorum, qui huic successerant, misit ad Alexandrum III magistrum quendam Philippum, qui episcopus ordinatus rediit, illum „Indorum regem" res fidei edocturus [2]). Plura gesta non sunt. *Mongoli* regnum Johannis Presbyteri expugnarunt invaderuntque fines Poloniae, Hungriae et Germaniae, mox tamen reversuri. Habitarunt deinde in partibus Asiae occidentalibus. Innocentius IV, anno 1245 [3]) et S. Ludovicus, anno 1249 [4]), aliquos ad eos monachos miserunt. Qui tamen vix aut ne vix quidem quidquam efficere potuerunt [5]). Anno 1258 regnum Mongolorum bipartitum est, in partem occidentalem, sub Hulaju principe, et orientalem, sub principe Cublai. Prior pars paulatim tyrannidi Islamismi succubuit, per quem, anno 1387, christianus cultus penitus exstirpatus est. Altera vero pars, Sinensis, regnante Cublai, aliquamdiu christianum nomen magno honore affecit. Magni faciebat Cublai Marco Polo [6]), petiitque missionarios. Quorum praecipuus fuit **Joannes de Monte Corvino,** ordinis S. Francisci. Is prius praedicavit in urbibus Meliapour et Tana [7]) fundavitque missionem belle florentem, in civitate Colombo, in insula Taprobane (Ceylon) [8]). Acceptis nuntiis a Marco Polo profectus in Sinam, christianum coetum fundavit Cambalu (Peking), multosque ad fidem convertit. Post annos 11 demum socii adjutores ei adjuncti sunt, quorum numerus tum maxime crevit, quum Clemens V, anno 1307, archiepiscopatum Pekingensem instituisset et episcopis tribus suffraganeis auxisset. Floruit splendidius continuo illa missio usque ad mortem Joannis de Monte Corvino (1330). Pastoribus tum destitutus, grex penitus interiit, quum Mingorum dynastia Mongolos reges victos ejecisset [9]).

---

[1]) *Oppert,* Presbyter Johannes in Sage und Geschichte, Berlin 1870, Ed. 2.

[2]) *Jaffé,* Reg., N°. 12942.

[3]) Cf. *Bréhier,* l'Eglise d'Orient au moyen-âge, p. 220 sq. La mission du frère mineur Jean de Plan-Carpin et celle de quatre dominicains.

[4]) *Joinville,* 29 (p. 47, 184, 168), *L. Bréhier,* op. cit., p. 222, 227.

[5]) *Potthast,* N°. 11571, 14886.

[6]) Le livre de Marco Polo citoyen de Venise, Ed. *M. G. Pothier,* Paris 1862, 2 vols.

[7]) Hist. Polit. Blätter, Bd. XXXVIII, p. 25 sq.

[8]) Ibid., p. 125 sq.

[9]) Ibid., p. 225 sq.

6⁰. In oris **Africae** septentrionem spectantibus mercatores Europaei fere semper habebant sacellum in Mauretania unum, in Tunesia alterum. S. Franciscus Assisinates ipse Damiatae praedicavit coram soldano. At frustra. Honorius III constituit, anno 1224, episcopum Mauritaniae, cui pauci fideles obsequebantur. Medio saeculo XIII, Innocentius IV, Ordinis Praedicatorum, legatos misit, qui Saleh soldanum ad christianam fidem perducerent. Responsum solum, quo renuit soldanus, memoria servatum est[1]). Occurrunt saeculo XIV episcopi in Marochio et Bugia. Non tamen erui inde licet, fuisse Mahumetanos conversos. Islamismi enim lege interdictum fuit[2]) ne religio christiana praedicaretur.

---

§ 99. Conatus reconciliandi schismata orientis cum Ecclesia Romana.

Walter Norden, Das Papsttum und Byzanz. Die Trennung der beiden Mächte und das Problem ihrer Wiedervereinigung, Berlin 1903. *Hergenröther*, Photius, III, 788 sq. *Nève*, l'Arménie chrétienne et sa littérature, Paris 1886. *Schnurrer*, De Ecclesia Maronitarum, Tubingae 1810. *S. Vailhé*, Art. Constantinople (Eglise de) in Dict. de théol. cath.

1⁰. Defuncto Caerulario (1059), non multum destiterunt Graeci odio habere Latinos. Summi Pontifices vero in hoc operam suam impendere coeperunt, ut Ecclesia Constantinopolitana reconciliaretur cum Romana. Alexander II et postea praesertim Gregorius VII cum Byzantinis tractare inchoavit. At, dejecto Michaele VII imperatore, spes eum fefellit. Bella sacra opportunum pacis faciendae tempus non praebebant. Constantinopolitani aestimabant, occidentales esse barbaros, occupare conantes terram quae solius imperatoris esset. Egit quidem Alexius Comnenus (1081—1118), rei publicae causa, cum Paschali II. At neque primatui neque doctrinae procedentis S. Spiritus e Patre et Filio credidit. Melior facta est rerum conditio Joanne Comneno (1118—1143) imperante, eo quod isto tempore etiam Leo Stypiota (1134—1143) pa-

---

[1]) *Raynaldus*, ad a. 1247, N⁰. 57 sq.
[2]) Hist. Polit. Blätter, loc. cit., p. 499 sq.

triarcha unioni favebat. Omnia tamen irrita facta sunt propterea quod primatum papalem admittere noluerunt. Vana quoque, quae Eugenius III et Hadrianus IV tentaverunt[1]). Tempore certaminis Ecclesiae cum Barbarossa, Manuel Comnenus (1143—1180) egit cum Alexandro III, ut ipse nuncuparetur etiam occidentis imperator. Licet magnis angustiis premeretur Pontifex, noluit tamen petenti morem gerere. Neque voluit a tractando negotio desistere, sed institit ut unio instauraretur, hac tamen praecipua lege, ut primatus admitteretur et liberum esset appellare Romam. Contumax Michael III renuit et contumeliae causa Papam haereticum vocavit.

Post institutum *imperium Latinum* (1204), imperator Graecus et patriarcha habitatum concesserunt Nicaeam. Constantinopolitanorum odio in Latinos usurpatores in dies ingravescente, imperator Graecus, reipublicae causa Romani Pontificis animum sibi conciliare tentavit[2]). Eo quoque suadente, videtur Germanus patriarcha scripsisse Romam de restituenda unione. Gregorius IX misit legatos quatuor, ex ordinibus S. Dominici et S. Francisci, qui tamen nihil assequi potuerunt, eo quod Graeci solum emolumentum pro imperio suo quaerebant[3]). Idem dici debet de Michaele Paleologo, qui post recuperatam Constantinopolim (1261), quoties crucigerorum impetum timebat, toties apud Papam in gratia esse quaerebat. Synodo oecumenica Lugdunensi unio refecta est (1274). At novus patriarcha Joannes XI vehementissimos impetus schismaticorum subivit et a Joanne XXI papa verba solatii et firmitatis accepit. Paleologus, initio unionis studiosissimus, cum rerum publicarum agendarum ratio in occidente ei displiceret, refrigescere coepit. Nicolaus III ei fidem non habuit. Martinus IV, anno 1281, excommunicatione eum astrinxit. Qui morte praeventus (1281) non potuit exsequi consilium renovandi schismatis[4]). Andronicus filius, ei succedens, statim unionem rescidit. Schismatis prior patriarcha, Joseph, locum Joannis XI occupavit. Hic annos octo summa virtutis contentione pugna-

---

[1]) *Mansi*, XXI, 648. *Migne*, P. L., Tom. 188, p. 1580 sq.

[2]) *Migne*, P. G., Tom. 140, p. 293—298.

[3]) *Mansi*, Tom. XXIII, 47 sq., 55 sq. Quae tractata sunt vide, Tom. XXIII, p. 279—319.

[4]) *Raynaldus*, ad a. 1276, *Mansi*, Tom. XXIV, p. 183 sq.

verat adversus imminens perpetuo schisma. Ejectus annos 14 in exsilio exegit, Romanae sedi fidelis, mortuusque est anno 1298 [1]).

2⁰. **Armenia,** monophysitarum erroribus irretita, inde ab anno 596 disjuncta est a Sede Romana [2]). Multa conamina facta sunt ut reduceretur ad unitatem. At irrita manserunt tum quae fecerunt Summi Pontifices tum quae Constantinopolitani. Circa annum 1080, Gregorius VII misit ad Catholicon litteras, cohortantes ut abrogaret haereticos usus [3]). Frustra tamen. Bella sacra opportunitatem praebuerunt propinquioris gratiae reconciliandae. Interea tamen Graeci schismatici quoque conati sunt Armenos ad partes suas traducere, imprimis Manuel Comnenus, qui tamen morte est interceptus (1180). Tum Caelestinus III Papa Armenorum magnam partem unitati Ecclesiae consociavit (1198). Innocentius III, anno 1203, totam Armeniam Ecclesiae adjunxit [4]). At insequentes lites Armenorum cum comite Tripolitano, cui favit Innocentius, ansam praebuerunt Armenis reluctandi adversus Pontificis legatum, atque ita Armenia interdicto fuit supposita. Quod tamen non omnino rescidit unitatem. Gregorius IX catholicon pallio honoravit. Graeci autem identidem Armenos sollicitabant ut a suis partibus starent (1240) [5]). Innocentius IV ad eos legatum misit. Armenorum rex, cum *catholico*, a Gregoris X invitati sunt ut interessent synodo oecumenicae Lugdunensi (1274). Nicolaus IV institit hortando ut servarent consuetudines catholicorum, quas pauco tempore post, anno 1307, in synodo Sisiensi [6]) magnam partem admiserunt.

3⁰. **Maronitae** habitabant in decliviis montium Libani et

---

[1]) Joannis opera vide apud *Migne*, P. G., Tom. 141.

[2]) Cf. supra Tom. I, § 24, 2. *L. Petit*, Art. Arménie (hist. relig.) in Dict. de théol. cath.

[3]) Registr., Lib. VIII, 1.

[4]) *Potthast*, Reg., 871, 872, 908, 920, 1689, 1690, 2374, 2430.

[5]) *Mai*, Spicil. Rom., X, 2, p. 442—448.

[6]) *Mansi*, XXV, 133—146, „Les Dominicains fondèrent dans le pays une congrégation de missionnaires indigènes, uniquement voués à l'œuvre de l'union. Ces *frères unis* furent affiliés par Jean de Cherna à l'ordre des Frères Prêcheurs dont ils reçurent la règle et l'habit; trente ans après leur fondation ils n'avaient pas moins de cinquante monastères où vivaient près de 700 religieux." Sic scribit *R. Hedde* in hunc locum et affert *Mortier*, Histoire des Maîtres généraux O. P., Paris 1907, Tom. III, p. 320 sq.

Anti-Libani et inde a saeculo VII inhaeserant erroribus Monothelitarum. Sacrorum bellorum aetate, quum patriarchatus Antiochenus ab Aimerico patriarcha Latino regeretur, Romae sese adjunxerunt (1182). Ortae sunt postea molestiae, sed facile ablatae, quum Jeremias patriarcha ad synodum oecumenicam IV Lateranensem venisset (1215). Innocentius III Maronitas in catholica doctrina catholicisque usibus instruendos curavit et Alexander IV eorum episcopum titulo *Maronitarum patriarchae Antiocheni* honoravit. Usque ad nostra tempora Romae fideles manserunt. Maronitae autem in insula Cypro posterius demum Ecclesiae sociati sunt (1445).

CAPUT TERTIUM.

HAERESES.

§ 100—§ 103.

§ 100. Albigenses.

Du Plessis d'Argentré, Collectio judiciorum de novis erroribus, Parisiis 1726. *Hahn,* Geschichte der Ketzer im Mittelalter, Stuttgart 1845—1850, 3 Bde. *Tocco,* L'eresia nel medio evo, Firenze 1884. *Döllinger,* Beiträge zur Sectengeschichte, München 1890, 2 Bde. *Pierre de Vaux-Cernay* et *Guillaume de Puy-Laurent,* Historia Albigensium, *Bouquet,* Rec. des Hist. de la Gaule, Tom. XIX et XX. *Douais,* Les Albigeois, Paris 1879. *Lombard,* Pauliciens, Bulgares et Bons-Hommes en Orient et en Occident, Génève 1879. *Steude,* Ursprung der Katharer (Zeitschr. f. Kirchengesch., 1882, p. 1 sq. *Vacandard,* Les origines de l'hérésie Albigeoise (Revue des quest. hist., 1894, I, 50 sq.). *J. Guiraud,* Questions d'histoire et d'Archéologie chrétienne, Paris 1906, p. 47—149. *Ch. Schmidt,* Hist. et doctrine de la secte des cathares ou Albigeois, Paris 1849, 2 vols. *Devie et Vaissète,* Hist. génér. du Languedoc, 2e éd., Toulouse 1879, Tom. VI—VIII. *J. Guiraud,* Cartulaire de Prouille, Tom. I. Les Albigeois et les prédications de S. Dominique en Languedoc, Paris 1906. *J. M. Vidal,* Rev. des quest. hist. 1906, 1909.

1°. Neque splendidissimo tempore medii aevi rarae fuerunt haereses. **Causae** partim fuerunt abusus, qui erant in moribus christianis. Adversus divitias cleri, et clericorum animum spiritumque mundanum fere omnes sectae insurrexerunt. Opinabantur, non recte sane, Ecclesiae redeundum esse ad frugalitatem et inopiam aetatis apostolicae. Libertatis quoque studium incolas, praesertim florentium opibus civitatum, ad reluctandum Ecclesiae concitavit. Dein perpetua lucta imperatorum cum Summis Pontificibus non potuit non imminuere Ecclesiae auctoritatem et excitare ad inobedientiam. Tandem exstinctae nondum fuerunt veterum errorum reliquiae, e quibus facile novarum haeresum fetus excrevit.

2°. Hoc nominatim dici potest de Albigensibus, qui doctrinas a Gnosticis et Manichaeis translatas acceperunt. Quo tempore

Innocentius III renuntiatus est Summus Pontifex, **Catharorum** secta pene per totam Europam fuit diffusa: in Bosniam, Bulgariam, Italiam septentrionalem, Galliam, Hollandiam, Angliam et Germaniam. Ingens imminebat periculum, comparandum tantum cum angustiis quibus saeculo VIII Occidens premebatur, Islamismo undique minitante. Catharorum doctrina christiana non fuit. Verbis utebantur christianis, mens vero erat christianae menti opposita. Videntur originem duxisse e Bulgaria. Praecipuae factiones duae distinguebantur: altera, praesertim Galliam pervagans, integrum expletumque dualismum docebat; altera, latius per Italiam diffusa, principium malum non esse Deum dicebat, sed spiritum apostatam. Ceteroquin omnes fere eadem docebant, non tamen eodem nomine vocabantur. Ipsi se **Catharos** [1]) i. e. puros appellabant. A populo variis nominibus distinguebantur. In Hollandia dicebantur *Piphili*, *Piffres*, in Germania *Runkeler*, in Italia *Paterini*, *Patarelli*, *Speronistae*, *Bulgari*, in Gallia *Publicani*, *Tesserants* et postea, e nomine oppidi Albi, **Albigenses** [2]).

3⁰. Horum doctrinae non minus rei publicae quam Ecclesiae calamitosae erant. Ex eorum mente principium malum, Jehova adversabatur principio bono. Christum dicebant supremam creaturam. Speciem solam corporis ei tribuebant, quod dualistis materia malum quid esset. Docebant metempsychosin, ac propterea negabant licere mactare animalia. Instituta ecclesiastica et ecclesiarum aedes contemptui habebant, abrogata desiderabant bella, poenam mortis et juramenta; ipsi jejunia observabant ardua abstinebantque a nuptiis et carnibus. Quam tamen continentiam servabant soli „perfecti", qui *consolamentum* [3]) acceperant. Hoc unicum iis sacramentum, post jejunii triduum, conferebatur precatione, impositione manuum et libri evangeliorum. Hoc liberare a materia arbitrabantur et esse ad salutem comparandam necessarium. Hi „perfecti", ab Ecclesia appellati „vestiti", quod corpus medium fune ligabant, vulgo pauci numero erant. Plurimi perpetuo manebant „credentes", qui tamen fecerant *convenenza*, i. e. promiserant se ante mortem

---

[1]) In Italia inde formatum *Gazzari*, in Germania, *Ketzer*, *ketter*.

[2]) Condemnationem vide apud *Denzinger*, Ed. IX, p. 128. Ed. X, N⁰. 401 sq., 421 sq.

[3]) *J. Guiraud*, Quest. d'hist. et d'archéol. chrét. Le „Consolamentum" cathare, p. 93 sq.

consolamentum suscepturos. Hi neque moribus austeri, neque a libidine abstinebant. Quodsi „perfectus" peccasset, denuo sub potestate principii mali redactus manebat, donec *reconsolationem animae* suscepisset. Quam ob causam nonnulli, post acceptum *consolamentum* se collocabant in *Endura* i. e. inedia moriebantur aut sibi ipsi vitam adimebant[1]). Albigensium cultus divinus tria complectebatur: lectionem N. Testamenti, homiliam et benedictionem dandam a „perfectis". Confessionem appellabant *appareillamentum*. Servaverant hierarchiae speciem: episcopos et diaconos. Innocentius III eos prae Mahumetanis perniciosiores dicebat[2]).

4⁰. Fortius quam antea factum fuerat, Alexander III haeresin hanc insectatus est. Synodus Lateranensis III edidit canonem (27) gravissimum et cohortata est ad gerendum bellum sacrum contra haereticos[3]). Qui ei successerunt Pontifices alibi aliis negotiis distinebantur. Interea pars media Galliae meridionalis errore corrupta est. Omnes fere regionis viri nobiles inter „credentes" numerabantur. Quorum praecipuus fuit Raymundus VI Tolosanus.

Innocentius III, ut solebat, fortiter eos aggressus est[4]). Primum misit legatos petiitque auxilium a rege Galliae[5]). Raymundus, metu correptus, emendaturum sese promisit. Plura effecta non sunt. Legati ludibrio habiti sunt propter comitatus splendorem. Propterea Diego de Osma episcopus et S. Dominicus inchoarunt „missionem pauperum", Quod eodem fere tempore Innocentius suaserat, „*in despecto habitu*, inquiens, *et ardenti spiritu non pertimescant accedere ad despectos*"[6]). Nec tamen hoc modo uberes fructus collecti sunt. Cum autem Petrus Castelnavius legatus Januario 1208 esset necatus, bellum sacrum edixit Innocentius adversus haereticos, quod gestum est duce Simone Montfortio[7]). Qui haereticorum

---

[1]) *Phil. Limborch*, Hist. Inquisitionis, Amstelodami 1692, Append., p. 20, 29, 138.

[2]) De eorum doctrina vide praesertim *Döllinger*, Beiträge, Tom. 1. *F. Vernet*, art. Albigeois in Dict. de Théol. cath.

[3]) *Mansi*, XXII, 321 sq. *Hefele*, V, 716.

[4]) Epist. lib. I, 298; II, 1, 228, VIII, 85, 101.

[5]) Epist VII, 79: cf. 76, 77. Quod fertur dixisse Arnaldus, Cisterciensis abbas, legatus: „Caedite eos, novit enim Deus qui sunt ejus," genuinum non est.

[6]) Epist. IX, 185. *Migne*, P. L., Tom. 215, p. 1024.

[7]) Epist. XI, 26—33, *Migne*, ibid., p. 1354—1362.

saevitiam hinc inde severius, imo crudelius vindicavit[1]). Brevi tempore totum fere Tolosae territorium a crucigeris expugnatum est. Raymundus princeps restitutus est quod a Papa supplex petierat ne dejiceretur. At cum, suadente Petro Arragonensi haereticis favere pergeret, redintegratum est bellum sacrum. Difficile tum Innocentius III obtinere potuit ut crucigeri a rapinis abstinerent[2]). Facto proelio prope Muretum, 12 Sept. 1213, quo victus est Petrus Arragonensis expugnatis terris, comitatui Tolosano praefectus est Simon Montfortius, quod alio modo haeresis refrenari posse non videbatur[3]). Anno 1218, proelio caesus est Simon Montfortius. Cui successit filius ejus Amalricus. Mortuo autem anno 1222 Raymundo VI Tolosano, filius ejus Raymundus VII adversus Amalricum pugnavit, donec 1229 foedere Parisiensi pax est composita. Haeresis vires fractae erant. Quod reliquum erat in reducendis errantibus perfecit *inquisitio*.

---

§ 101. Waldenses.

Vide opera relata § 100. *Brunel*, Les Vaudois des Alpes françaises, Paris 1889. *Comba*, Histoire des Vaudois d'Italie, I Partie, De Valdo à la réforme, nouv. édit., Florence 1901. *Huck*, Dogmen-historischer Beitrag zur Geschichte der Waldenser. Nach den Quellen bearbeitet Freiburg 1897. *D. Harting*, De Waldenzen (De Gids, 1802, II Deel bl. 45 vv., 190 vv.). Hist. Jahrb. d. Görresgesellschaft, 1880, 471 sq.

1⁰. *Waldensium* auctor fuit Petrus (?) Waldus dives mercator (?) Lugdunensis[4]). Is, motus verbis S. Scripturae (Matth. XIX. 12-29) et iis, quae narrantur de S. Alexio, res suas immobiles reliquit uxori, reliqua omnia anno 1173 pauperibus distribuit. Dein, multis aliis secum sociatis, vitam apostolicam agere et pauperibus Evangelium praedicare coepit. Quamobrem S. Evangelia aliosque quosdam S. Scripturae libros a sacerdotibus duobus in linguam Romanam vertendos curavit, colligenda-

---

[1]) *Douais*, Une épisode des croisades contre les Albigeois (Revue des quest. hist. 1882, Tom. 31, p. 121 sq.

[2]) Epist. XV, 102, *Migne*, Tom. 216, p. 613.

[3]) *Mansi*, XXII, 935—939.

[4]) Waldenses originem duxisse ab aetate Claudii Taurinensis archiepiscopi aut Sylvestri papae, aut ab apostolica aetate ficta fabula est.

que Patrum effata de rebus fidei et morum. Circa annum 1177, bini et bini praedicantes percurrere coeperunt regionem. Erant soleati (*Sabatati*, *Insabatati*) et pauperum vestibus induti. Quum non solum laici sed etiam mulieres praedicarent, imprimis archiepiscopus Lugdunensis et postea synodus tertia Lateranensis (1179) vetando sese opposuerunt[1]). Contumaces Waldenses anno 1184 excommunicati sunt[2]). Diffusi sunt brevi tempore per Longobardiam et fines Taurinorum et Germanorum. Vocabantur *pauperes Lugdunenses*, *Leonistae*, *Insabatati*, *pauperes Longobardiae*, *humiliati*. Praedicatores (*perfecti*) collatis sibi adhaerentium (*credentium*) eleemosynis vitam tolerabant, ac praeter votum paupertatis etiam nuncuparant vota castitatis et obedientiae suo superiori.

2⁰. Pars Gallica sectae mansit exterius sociata Ecclesiae, exercitia ecclesiastica observantes; Longobardica vero pars ab Ecclesia discissa est et conatus Synodi Bergamensis (1218) ut in societatem redirent incassum fuerunt. Postea tamen metu persecutionum haeretici Longobardi denuo interesse ecclesiasticae liturgiae inchoarunt. Utrique tamen mox pluribus **erroribus** irretiti sunt. Hierarchiae refragabantur, negabant docendi auctoritatem Ecclesiae, soli ipsi S. Scripturae fidem habentes. Laici sibi, imo vero etiam mulieribus, jus praedicandi tribuebant. Renuebant solvere decimas et oblationes, impugnabant indulgentiarum et poenarum ecclesiasticarum doctrinam, et *paulatim* sacramentorum doctrinam perverterunt. Solo Coenae Dominicae die suo modo Eucharistiam celebrabant, rejiciebant consecrationem sacerdotalem, sacramentalia, sanctorum et reliquiarum cultum et multos docebant errores in re eschatologica. In multis his argumentis praecursores fuerunt protestantismi. Sicut postea protestantes, ita etiam ipsi artis ecclesiasticae opera contemptui et irrisioni habebant. Imaginum cultum appellabant idololatriam. Longissime tamen distabant a doctrina *justificationis per solam fidem*, ita ut faciendis *operibus externis* vix non ultima experti sint[3]).

3⁰. Innocentius III haereticam Waldensium societatem in catholicam convertere tentavit. Agmen duxerunt aliqui ad

---

[1]) *Hefele*, V, 717.

[2]) *Mansi*, XXII, p. 476 sq.

[3]) Cf. praesertim *Döllinger*, Beiträge B. I. et *Huck*, Dogmenhist. Beitrag, p. 30 sq.

meliorem frugem redacti sacerdotes, imprimis Durandus de Osca[1]). *Pauperum catholicorum* societas, anno 1212, a Pontifice approbata est et privilegiis donata. Redeuntibus Innocentius confessionem fidei subscribendam mandavit[2]). Magno cum conversionis fructu haec societas laboravit in Gallia et Italia. Exstirpata tamen secta non est. Stetit in finibus Taurinorum et alibi donec multi postea Hussio, reliqui Calvino adhaeserunt. Magistratus Calvinistae Hollandi omni ope assequi conati sunt ut Taurinenses magistratus tuerentur Waldenses[3]).

§ 102. Minores sectae.

Opera § 100 relata. Vita Norberti. *Pertz*, SS., Tom. XII, 663. Tom. XIV, 670 sq. *Petrus Venerabilis*, Tract. contra Petrobrus. *Migne*, P. L., Tom. 189, p. 719 sq. *Hausrath*, Arnold von Brescia, Leipzig 1891. *Bäumker*, Ein Tractat gegen die Amalricianer, Paderborn 1893. *Muratori*, SS. rerum Ital., IX, 425. *Krone*, Fra Dolcino und die Patarener, Leipzig 1844. *Schneider*, Joachim von Flora und die Apokalyptiker des Mittelalters, Dillingen 1873. *Sachsse*, Bernardus Guidonis Inquisitor und die Apostelbrüder, Rostock 1891. *Schumacher*, Die Stedinger, Bremen 1865.

1°. Numerosi errores saeculi XII et XIII partim cohaerent cum catharorum doctrinis, partim cum pantheistarum in antiquitate sententiis, partim etiam cum mysticismo, ista aetate saepe male intellecto et male exercito.

Tanchelmus[4]) in Belgiis (Zelandia, Flandria, Brugis) incerto loco natus est. Occurrit primum in Zelandiae insulis. Laicus et illitteratus, per eloquentiam tamen plurimorum, praecertim feminarum, animos allexit. Profitebatur se esse Dei filium, quod in eo esset plenitudo Spiritus S[1] ; vocabat se sponsum B. Virginis et solemniter publice eam sibi despondit; splendidissimas pompas ducere et convivia magnifica struere solebat.

[1]) *Innocentius*, Epist. lib. XII, 17; lib. XV, 90, 93—94.

[2]) *Migne*, P. L., Tom. 216, p. 608—609. *Denzinger*, Ed. IX, p. 125 sq. Ed. X, N°. 420 sq.

[3]) Vide Scripta Pilichdorf, Eberhardi Bethuniae, Bernardi abbatis Fontis Calidi et Ermengardi apud *Gretzer*, Opp. omn., Vol. XII, pars post., Ratisbonae 1738.

[4]) *Moll*, Kerkgesch. van Nederland vóór de Hervorming, II, 3. Utrecht 1869, p. 42 sq.

Orationibus praesertim adversus clerum multos traxit. Hierarchiam esse *nihil*, se solum ecclesiam esse dicebat. Aedes et templa *lupanaria* vocabat, Sacramentorum efficaciam sanctitate ministrantium metiebatur. Invehens in clericorum mores, ipse multas mulieres captavit ut, observantia motae, filias suas ei traderent[1]).

Anno circiter 1112, Tanchelmus cum sociis Evermachero et Manasse Romam profectus est. Redux per Coloniam Agrippinam, ibi e litteris, quibus ecclesia Ultrajectina Fredericum[2]) episcopum praemonuerat, in vincula est conjectus. Paulo tamen post evasit Brugas. Unde etiam fugatus venit Tanchelmus Antverpiam, ubi viri sancti honores accepit. Regi similis circuibat, armatorum trium millium comitatu cinctus. Gessit eam vitae rationem, donec anno 1115 a sacerdote interfectus est. S. Norbertus cum sociis suis Antverpiae errorem impugnavit, ita ut brevi sit exstinctus.

2°. Eudo quidam, **Eon de Stella,** vagatus est circa annum 1148 in Britannia minore et Gasconia. Is quoque filium Dei se esse dicebat et judicem orbis terrarum (Eon = eum qui judicaturus est vivos et mortuos). Sequebatur eum turba magna spoliantium atque expilata per luxum consumentium. Convivia, quibus cum suis Eudo accumbebat, Gulielmus Newbridge vocabat diabolica. Anno 1148 episcopus Rhemensis eum comprehendit et synodus, eodem anno habita, ad carcerem damnavit, in quo mox defunctus est[3]).

3°. **Petrobusianorum** auctor fuit Petrus Brusius, sacerdos, qui ineunte saeculo XII praedicavit in Provincia, Gasconia et alibi. Praecipuas ejus doctrinas haereticas memorant Petrus Venerabilis et Abaelardus[4]): debent omnes iterum baptizari, quia infantium baptismus invalidus est. Templa inutilia, debentque destrui quae sunt. In sola coena Christi

---

[1]) Hoc ultimum tantum invenitur in recentiore vita Norberti, *Pertz,* XIV, p. 670 sq.

[2]) Epistolam vide apud *Hartzheim,* Conc. Germ., III, p. 763 sq. et Acta SS. Tom. I Junii, p. 843—845.

[3]) Testimonia Newbridge, Ottonis Frisingensis aliorumque collecta inveniuntur apud *Mansi,* Tom. XXI, p. 720 sq.

[4]) Introd. in Theol., lib. II, c. 4. *Migne,* P. L., Tom. 178, p. 1056. *Vacandard,* Vie de S. Bernard, II, p. 218—221. Revue des quest. hist., Tom. 55 (1894,) p. 67—72.

panis et vinum mutata sunt in corpus et sanguinem Domini. Defunctis opitulari per Sacrificium non possumus nec per precationes aut eleemosynas. Quodam die Parasceves inventus, dum carnes coquebat igne quem ex acervo congestarum crucium accenderat, a populo indignato flammis injectus interiit[1]). In mortui locum substitutus, caput sectae egit fanaticus homo, Henricus Cluniacensis, qui etiam ipse praedicando invexit in peccata clericorum.

4⁰. Idem fecerunt **Arnoldus Brixiensis**[2]) et paulo postea **Capuciatae,** qui tamen insuper libertatem et aequalitatem in rebus omnibus instrui, desiderabant. Eodem fere tempore in Italia occurrunt **Passagii.** Docebant Manichaeismo propinqua, servabantque legem Judaicam, Ebionitarum more. Christum vocabant praecipuam ex omnibus creaturam[3]).

5⁰. Errores Gnostico-Manichaeos docebant etiam **Luciferiani.** Luciferum et socios, summa injuria e caelo ejectos, dicebant esse reducendos et Michaelem cum sociis ad infernum damnandos. Ferunt, eos adorasse summum Deum Asmodeum, felem nigrum quendam[4]). Testante *Chronico Alberici*, caput sectae Trajecti ad Mosam habitavit, multosque ibi habuit fautores. Anno circiter 1240 in Angliam profectus, aquis marinis submersus est[5]).

6⁰. **Sectae spiritus liberi** pantheisticis erroribus inhaeserunt. Videtur primus Amalricus de Bena prope Carnutem (Chartres) hanc doctrinam in praelectionibus suis theologicis, quas Parisiis habebat, proposuisse, singulos christianos esse membra Christi, nec posse salvari qui haec credere nollet[6]). Quae cum pantheistice exponeret atque ideo a magisterio dejectus esset, ad Papam appellavit, qui eum damnavit. Revocare coactus, brevi prae moerore interiit (1204)[7]). David de Dinanto hunc pantheismum ulterius explicavit propagavitque: omnia unum sunt; hoc unum Deus est. Deus est omnia; omnia sunt in Deo. Creator

---

[1]) *Baronius*, ad an. 1126, N⁰. 16.

[2]) Supra § 91, n. 3.

[3]) *D'Achéry*, Spicil., Parisiis 1723, p. 211 sq.

[4]) *Mansi*, XXIII, p. 241 sq.

[5]) *Pertz*, XXIII, 932.

[6]) *Denzinger*, Ed. 9, p. 123. Dicitur doctrina „non tam haeretica quam nsana." Edit. 10, N⁰. 433.

[7]) *Krönlein*, Amalrich v. Bena und David v. Dinanto. Studien und Kritiken II (1847), p. 271 sq.

et creatura unum sunt. Tria fuerunt tempora et triplex incarnatio: Patris in Abrahamo, Filii in Christo, Spiritus Sancti in fidelibus; atque ideo omnes sunt Deus sicut Christus Deus est. Synodus Parisiensis (1201—1210) hanc doctrinam iterum damnavit. Multi ex his haereticis comprehensi sunt jussu Philippi Augusti, qui magno numero eos igne exussit, 20 Decembri 1210.[1]) Argentorati etiam **Ortlieb** quidam ejusmodi errores propagavit.

7⁰. Eadem mente et sententia, qua Amalricus de Bena et David de Dinanto, fuerunt **fratres et sorores liberae intelligentiae.** Ineunte saeculo XIV, creberrimi vivebant in Alsacia, ad Rhenum et alibi. Henricus Virneburgensis, archiepiscopus Coloniensis, anno 1306 eos edicto synodico perculit. Idem factum est anno 1310 Treviris et Moguntiae. Anno subsequente eos damnavit Clemens V. Ultrajecti quoque synodis 1310, 1318 et 1353 adversus eos actum est. Coloniae, anno 1322, sacerdos quidam Hollandus, Walterus nomine, igne exustus est. Turpia valde prodierunt in judicio. Haeretici liberi esse desiderantes, repudiatis suis uxoribus, cum aliis vivebant. Eorum quoque ceremoniae religiosae cum libidine mixtae erant. Spargebatur latius semper haeresis. Ruysbroeck impugnavit Bloemardinam cum asseclis, Bruxellis, et Gerardus Groote adversus eam praedicavit in Hollandia[2]).

8⁰. Cohaerent aliquo modo cum Amalrici haeresibus errores eorum qui vulgo *Apocalyptici* vocantur. **Joachimus da Celico**[3]) († 1202), pius cujusdam in Calabria monasterii abbas, studuit mores ecclesiasticos reformare per vitam monasticam. Nonnulla ejus opera aliquantam moverunt admirationem[4]). Dicebat fore ut ordo aliquis monasticus futurus universo terrarum orbi annuntiaret *Evangelium aeternum*; deinde, Ecclesiam Dei triplicem percurrisse statum, *carnalem* ante

---

[1]) *Mansi*, XXII, p. 801 sq. Testante S. Thoma Amalricus docebat Deum omnium rerum principium formale, David de Dinanto vero Deum esse omnium rerum materiam primam. Summa Theol., part. I, q. 3, Art. 8.

[2]) Cf. *Moll*, II, 3, p. 59 sq. De Katholiek 1854.

[3]) *Fournier*, Joachim de Flore, ses doctrines, son influence, (Revue des quest. hist., Tom. 67, p. 457 sq. *Gerhardt*, L'Italie mystique, Paris 1890, c. II, Joachim de Flore.

[4]) De concordia utriusque testamenti, Psalterium decem chordarum et Apocalypsis nova, Venetiis 1519—1527.

Christi adventum, *carnaliter spiritualem* a Christi usque ad Joachimi tempora, i. e. *clericorum aetatem*, dein futurum esse statum *pure spiritualem*, monachorum aetatem. Quae opera, quamquam damnata non sunt[1]), magna tamen damna attulerunt Ecclesiae. **Joachimitae** enim, magistri sententiam explicatius elaborantes, docuerunt tria esse mundi tempora: aetatem Patris usque ad Christum imperfectam, aetatem Filii minus imperfectam, aetatem S. Spiritus perfectam, a Joachimitis usque ad mundi finem duraturam. Primam fuisse aetatem Petri, alteram Pauli, tertiam Joannis dicebant.

Spirituales, qui erant fanatici homines ex ordine S. Francisci, inceptam voluerunt tertiam Joannis aetatem a condito suo ordine. Gerardus de Borgo insuper docuit in illo suo libro, cui titulus *Introductorium in Evangelium aeternum*[2]), ecclesiasticum Christi institutum cedere debere *Evangelio aeterno*, sicut Vetus Testamentum cessit Novo. Hujus tamen libri scriptor in vincula conjectus ejusque liber, jussu Alexandri IV, anno 1255 est exustus. Omnium *Spiritualium* doctissimus Petrus Joannes Olivi († 1298) opere suo, *Postilla in Apocalypsin*, novam dedit in librum Joachimi enarrationem, quam condemnavit, anno 1326, Joannes XXII[3]). Prae omnibus *Spiritualibus* protervissime egit Ubertinus Casalensis (da Casale), in libro cui titulus *Arbor vitae crucifixae*[4]) loquens de papatu anti-christiano, et Bonifatium VIII et Clementem V falsos papas criminans[5]).

9⁰. Etiam **fratres apostolici**[6]), auctore Gerardo Segarellio Parmensi, sparserunt doctrinam mixtam e mysticismo, pantheismo et spiritualismo, ad mentem Joachimi. Cum excidisset voto ac precibus ingrediendi ordinem S. Francisci, hujus ordinis paupertatem nimis mollem arbitrabatur, atque ideo

---

[1]) Solus liber contra Petrum Lombardum damnatus est. *Denzinger*, Ed. IX p. 120 sq. Ed. X, N⁰. 431 sq,

[2]) *Denifle*, Archiff. Lit. u. Kirchengesch. des Mittelalters 1885, I, p. 49—142, 641.

[3]) *Wadding*, Annales, ad an. 1282, N⁰. 2; 1283, N⁰. 7; 1289, N⁰. 28, 55; 1297, N⁰. 34, 37—38.

[4]) Ed. Venet. 1485.

[5]) *Huck*, Ubertin von Casale und dessen Ideenkreis, Friburg 1903. *Knoth*, Ubertino von Casale, Marburg 1903.

[6]) *Bernardi Guidonis*, Practica inquisitionis haereticae pravitatis. (Ed. *Douais*, Paris 1886), p. 257—264, 296—298, 327—355.

suam sectam condidit. Vehementissime ejus sectatores invecti sunt in Ecclesiae divitias. Ab episcopo Parmensi Segarellius comprehensus est et postea e dioecesi remotus (1286). Honorius IV vetuit esse congregationes non approbatas. In cassum. Segarellius anno 1300 igne exustus est. Cui successit, ut esset sectae caput, **Fra Dolcino.** Is cum sorore sua spirituali Margarita circumivit in Italia, interitum futurum Ecclesiae proclamans, exigens ut clerici omnimodae paupertatis vitam agerent, et arroganter sibi sumens ut Ecclesiam reformaret. Ut a persequentibus esset tutus, munitionibus se cum sectatorum duobus millibus saepivit, in monte Zebello prope Vercelli, latrociniis se suosque alens. Rainerus episcopus agmen crucigerorum in eum immisit. Post duos annos demum debellatus est. Dolcino et Margareta capti et interempti sunt (1307).

10°. **Stedingi**[1]**,** Frisonum et Saxonum coloni ad mare Balticum, haeretici non fuerunt sed rebelles, qui ineunte saeculo XIII renuerunt solvere decimas archiepiscopo Bremensi. Contemnentes excommunicationem, destruebant ecclesias et monasteria et male tractabant clericos. Hartwigus et praesertim Gerardus II (1219—1258) archiepiscopi fortiter contra eos egerunt. Hic fratrem suum Hermannum Lippium cum exercitu in eos misit, quem tamen proelio vicerunt, 24 Dec. 1229. Die 17 Martio 1230 synodus coacta est Bremae, quae Stedingos de multis accusavit, non tamen de haeresi[2]. Noluerunt se subjicere. Inquisitione facta, Gregorius IX edixit bellum sacrum in Stedingos[3]. Quae etiam expeditio non successit. Iterum bellum sacrum edictum est anno 1233, convocatione facta ad episcopos Paderbornensem, Hildeshemensem, Verdensem, Monasteriensem et Osnabrugensem, quo bello Stedingi victi sunt. Tum conatus est Gregorius IX reconciliare bellantes[4]. At impedire nequivit quominus exterminarentur coloni. Ingens enim exercitus, cui intererant Floris IV Hollandiae comes, Gelriae et Cliviae comites, dux Brabantiae, principes de Egmond, de Arkel, de Vianen et de Brederode, verno tempore 1234 contra eos profectus, fere totam coloniam exstirpavit. Innocui certe

---

1) *Moll*, Kerkgesch. vóór de Hervorm., II, pag. 17 sq.
2) *Hefele*, V, p. 1019 sq.
3) *Potthast*, Reg., N°. 8773, 9030; cf. 9042.
4) Ib., 9236, 9420.

Stedingi non fuerunt. Quod antem diu haeretici habiti sunt, ex eo factum, quod Gregorius IX falsos de iis nuntios e Brema acceperat et quod Albertus Stadiensis narravit eos esse Luciferianos[1]).

---

§ 103. Inquisitio.

Bernardus Guidonis, Practica inquisitionis haereticae pravitatis (Ed. *Douais*), Paris 1886. *Nic. Eymericus*, Directorium Inquisitionis, Romae 1579. *Fredericq*, Corpus documentorum inquisit. haeret. pravitatis Neerlandicae, Tom. I—V, Gent 1889—1906. Id. Geschiedenis der Inquisitie in de Nederlanden, I—II Deel, Gent 1892—1897. *Molinier*, L'inquisition dans le midi de la France au 13e et 14e siècles, Paris 1880. *Cauzons*, Hist. de l'inquisition en France, Paris 1909. *Hinschius*, Kirchenrecht, V (Berlin 1895), 449 sq. *Douais*, Les sources de l'histoire de l'inquisition dans le midi de la France au 13e et au 14e siècles, Revue des quest. hist., 1881, Tom. XXX, p. 383 sq. Idem, Documents pour servir à l'hist. de l'inquis. dans le Languedoc, 2 vol., Paris 1900. Idem, L'inquisition, ses origines et sa procédure, Paris 1906. *H. C. Lea*, A History of the Inquisition of the middle ages. New-York 1888. Id. gallice a Fr. Sal. Reinach, 2 vols., Paris 1900. Id. germ. a Hansen, Bonnae 1905 sq.

1°. Quum respublica facta esset christiana, poenis afficere coepit non solum eos qui suas leges, sed etiam eos qui Ecclesiae leges violaverant. Constantinus, anno 316, Donatistas multavit confiscatione bonorum et exsilio; anno 325 Arium et episcopos Arianos duos in exsilium ejecit. Theodosius Magnus, anno 381, vetuit haereticos congredi; manichaeis interdixit ne fierent haeredes, ne parentum quidem suorum. Idem vetitum Eunomianis lege 389, Donatistis lege 416. Jam anno 382 Theodosius Magnus mortis poenam[2]) repetiit ab Encratitis, Saccophoris et Hydroparastatis. *Codex Justinianeus* capitis damnat Manichaeos. Tum jam occurrit nomen *Inquisitorum*. Arcadius confirmavit, anno 395, leges Theodosii.

Cum juris peritis Romanis Patres nonnulli consenserunt. Initio alia fuit mente Augustinus, sed, experientia doctus, severius sentire coepit[3]). Hieronymus haereticorum supplicia non

---

[1]) *Pertz*, Script., XVI, 361; *Hartzheim*, Conc. Germ., III, 551.

[2]) Non igitur primum a Maximo *usurpatore*, ut scribit Fredericq in sua historia inquisitionis, p. 5.

[3]) *Hergenröther*, Katholische Kirche und christlicher Staat, p. 547.

esse sanguinis effusionem dicebat, sed legis observationem. Leo Magnus censebat mortis metum saepe ad melius sentiendum excitare. His non adversantur quae egerunt Ambrosius et Martinus Turonensis contra Ithacium episcopum Maximum usurpatorem[1]). Quibus Patrum effatis posteriora saecula inhaeserunt. Merovingorum et Carolingorum aetate brachio saeculari puniebatur, si quis leges ecclesiasticas violaverat. Anno 1022, Aureliani, Manichaei tredecim igne exusti sunt. Henricus III patibulo animadvertit in ejusdem sectae haereticos. S. Bernardus quamquam saepe non ita severe loquebatur, tamen „*melius procul dubio*, inquit, *gladio coerceantur... quam in suum errorem multos trajicere permittantur*" [2]).

2⁰. Exeunte saeculo XII, magnus haereticorum numerus, eorumque protervitas causae fuerunt cur severius in haereticos actum sit. Lucius III Papa et Fredericus Barbarossa, synodo Veronensi, anno 1184, mandarunt ut archiepiscopi et episcopi, vel ipsi vel per vicarium, semel vel bis in anno visitarent loca, quae in suspicione haeresis essent, et inquirerent de haereticis. In eos, quos designassent brachio saeculari, animadvertendum edixerunt[3]). Haec inquisitionis initia posteriores synodi imitatae sunt et ulterius elaboraverunt. Synodus Avenionensis (1209)[4]) et Mons-Pessulana (1215)[5]) praescripserunt ut in singulis parochiis unus clericus et aliqui laici jurejurando adigerentur, ut haereticorum nomina indicarent episcopo. Quae quidem praecepta confirmata sunt a synodo oecumenica Lateranensi (1215)[6]). In synodis Narbonensi (1227) et praesertim in Tolosana (1229) confecta res est: episcopis injunctum ut *inquisitores* constituerent in suis dioecesibus (can. I), abbatibus abbatiarum exemptarum, ut idem facerent in sua ditione (can. II). Praescriptum deinde ut, qui haereticum hospitio exciperet, bonis suis privaretur (can. IV), utque domus, in qua degeret haereticus, dirueretur (can. VI). Contra haereticos contumaces Frederi-

---

1) *Hergenröther*, ibid., p. 551 sq.

2) Serm. 66 in Cant., N⁰. 12, *Migne*, P. L., Tom. 183, p. 1101. Cf. *Vacandard*, Vie de S. Bernard, II, 211 sq.

3) *Mansi*, XXII, p. 778.

4) *Mansi*, ibid., p. 785.

5) *Mansi*, XXII, 950.

6) *Ibid.*, 986 sq.

cus II, jam 1224 legem tulit ut igne cremarentur[1]) eamque legem annis 1232 et 1238 confirmavit. Quae Frederici II interventio in negotiis ecclesiasticis, praesertim constitutione 1224, Papae non placuit. Metuendum ne inde nasceretur gravissimus Caesaropapismus. Quamobrem, ut videtur, Gregorius IX anno 1231 **inquisitionem** instituit, id est perpetua contra haereticos judicia[2]), quaeque plerumque ordini Praedicatorum, hinc inde etiam ordini S. Francisci demandata sunt[3]). Quae propria ratio inquisitionis est, eamque distinguit ab ordinaria haereticorum persecutione, consistit in *permanente delegatione* judicum. Inquisitoribus in usum tradidit Innocentius IV equuleum, atque ita inquisitionis instituto dedit formam suam omnibus numeris completam[4]).

3⁰. Triplex ferri solebat ab inquisitione sententia: haeretico resipiscenti injungebatur usitata poenitentia ecclesiastica; cujus dubia manebat in retractanda haeresi sinceritas, ad sempiterna vincula damnabatur; pertinax autem haereticus tradebatur brachio saeculari. Causae autem ab inquisitoribus agebantur custode episcopo, ita ut ipso non consentiente non liceret nec reum, dum sub judice res esset, in vincula conjicere, nec tormentis uti, nec sententiam ferre. Certo tantum prolato argumento fiebat condemnatio. Unicuique copia fuit deferrendi crimen in aliquem, quin timeret ne nomen suum reo fieret notum. Reo autem licebat dicere, qui sui essent inimici; quo facto, hi arcebantur a ferendo testimonio. Ratio quoque et modus tormentorum lege statuta erant. Saepe tamen invaluerunt abusus, quos Romani Pontifices, etiam invitis inquisitoribus, conati sunt reprimere. Qui viribus debiles aut senes erant, cum his numquam uti licebat tormentis, cum aliis semel tantum, et tum solum cum fere manifesta esset culpa. Post tormenta licebat reo, quae in equuleo confessus esset, retractare. Neque, prolatis etiam

---

1) Const. contra haereticos in Lomb., *Pertz*, Leg., II, 252 sq.

2) *Pertz*, Leg., II, 287 sq. et 326 sq. Cf. *Paulus*, Beilage der Köln. Volksz., 1907, N⁰. 14. *Jordan*, Annales de phil. chrét., 1907, N⁰. 3 sq.

3) *Mortier*, Hist. des Maîtres Généraux des FF. Prêch., t. I, App. A., p. 191 sq., p. 356 sq., p. 497 sq.

4) *Mgr. Douais*, L'inquisition, les origines, sa procédure, Paris 1906. *E. Vacandard*, L'inquisition. Etude hist. et crit. sur le pouvoir coercitif de l'Eglise, 3 éd.. Paris 1907. *E. Jordan*, La responsabilité de l'Eglise dans la répression de l'hérésie au moyen-âge, Annales de philosophie chrétienne, 1907—1908.

manifestissimis culpae argumentis, confestim sequebatur damnatio. Prius iteratis vicibus a pluribus reus monebatur ut resipisceret erroremque ejuraret[1]). Quae omnia accurate scriptis legibus fuerunt definita, nec solius episcopi verum etiam *Inquisitoris Generalis* tutelae causarum acta mandata fuerunt.

4°. Vix aliam ullam invenias in historia institutionem, quam pari mente iniqua insectati sint adversarii. Reputare secum negligunt, haereticorum judicia jam diu ante institutam inquisitionem usurpata fuisse, quum in oriente tum in occidente, eaque in usu mansisse post exactam medii aevi aetatem, et aliquamdiu a protestantibus saevissime fuisse adhibita. Ex eo autem, quod adeo fuerunt vulgaria et communia, satis patet ea non e saevitia originem habuisse, neque ex arbitrio episcoporum vel Romanorum Pontificum, sed ex jure communi temporis illius. Quis Pontificibus imputet, eos homines sui temporis fuisse? Severas expetere poenas, id patres nostri necesse arbitrabantur, ut fidem et disciplinam ecclesiasticam contra haereticorum impetus tuerentur. Quod quidem eo luculentius intellexeris, si cogitaveris, eo tempore poenas ubique fuisse saeviores criminibusque non solum ecclesiasticam disciplinam, verum etiam vulgo civilem ordinem publicum fuisse periclitatum. Postea tamen debuit inquisitio in desuetudinem abire, quum grassante haeresi integrae regiones ab Ecclesia deficerent[2]).

---

[1]) *Henner*, Beiträge zur Organisation und Competenz der päpstlichen Ketzergerichte, Leipzig 1890.

[2]) *Funk*, Lehrbuch, 5 Aufl., Paderborn 1907, p. 325—326. *J. Giraud*, La répression de l'hérésie au moyen-âge. La Quinzaine. 1 Sept. 1899, 1 sq. et *idem*, Questions d'histoire et d'archéologie chrét., Paris 1906, p. 3—46.

CAPUT QUARTUM.

CONSTITUTIO ECCLESIASTICA.

§ 104—§ 111.

§ 104. **Papa.**

J. Hergenröther, Katholische Kirche und christlicher Staat in ihrer geschichtlichen Entwickelung u. s. w., Freiburg 1872. *Phillips*, Kirchenrecht, III et V. Bd. *Döllinger*, Kirche und Kirchen, München 1861. *Redlich*, Die Absetzung deutscher Könige, Münster 1893. *Eubel*, Hierarchia catholica medii aevi (1198–1503), Münster 1898–1901. *A. Solmi*, Stato e Chiesa secondo gli scritti politici da Carlomagno fino al Concordato di Worms (800–1122), Modena 1901. *F. Scaduto*, Stato e Chiesa negli scritti politici dal 1122 al 1347, Firenze 1882. *C. Mirbt*, Die Publizistik im Zeitalter Gregor VII, Leipzig 1894. *R. Scholz*, Die Publizistik zur Zeit Philipps des Schönen und Bonifaz VIII, Stuttgart 1903.

1⁰. Maximum hominis bonum religio est. Non singuli tantum homines, sed hominum quoque societas institui debet ad religionis leges. Sejungere civitatem ab Ecclesia, spiritui christianismi repugnat. Sicut medii aevi aetate aderat unitas spiritualis, ita etiam flagitabatur unitas temporalis. Prioris unitatis Papa, alterius Imperator principium habebatur et caput. Gubernari ergo debere mundus christianus a duplici hac suprema auctoritate videbatur. Hos appellabat Gregorius VII duos mundi oculos, mundum veluti corpus humanum dirigentes[1]). Hos dicebat Godofredus Vindocinensis gladios duos, alterum spiritualem, corporalem alterum, ad defendendam Ecclesiam[2]). „*Petri*, inquit S. Bernardus, *uterque* (*gladius*) *est*, *alter suo nutu*, *alter sua manu*, *quotiens necesse est*, *evaginandus*"[3]). A Deo autem haec, Papae ad Imperatorem, ratio ordinata est, ex eo quod **temporalia spiritualibus subjecerit.** Propterea Ivo Carnotensis, Innocentius III et Scholastici hanc

---

[1]) Registr., Ep. 19. *Migne*, P. L., Tom. 148, p. 302.
[2]) *Migne*, P. L., Tom. 157, p. 220.
[3]) Ep. 256 ad Eug., *Migne*, P. L., Tom. 182, p. 464.

duplicem potestatem comparabant cum anima et corpore[1]), cum sole et luna[2]), etc. Sicuti radios suos sol immittit lunae eique lucem confert, ita Ecclesia regnum civitatesque irradiat iisque vitam tribuit altiorem, supernaturalem. Ideo Papae licuit sententiam ferre in principes temporales eorumque leges tum, quum animarum salus id postulabat, nempe quum sine peccato leges observari non poterant: „*Canonum enim vigor se extendit ad causas saeculares, ex quibus et in quibus animae periculum versatur. Quantum enim ad hoc, ut animae provideatur, omnes personae spectant ad forum ecclesiasticum*" [3]). Ideo Innocentius III: „*Nullus*, inquit *qui sit sanae mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet christianum, et, si correctionem contempserit, ipsum per districtionem ecclesiasticam coercere* [4]). Papae ergo erat potestas *indirecta* in temporalia, quod in comperto fuit apud omnes.

2°. Papae jure suo facultatem esse **reges dejiciendi** [5]), a paucis in dubium revocabatur. Imprimis consequens id fuit e principiis juris, tempore medii aevi admissis. Si quis nominatim esset excommunicatus, difficillime poterat, propter ea quae jure consequebantur (vitandus enim), munus aliquod publicum obire. Quod si rex esset, vix poterat excommunicatus gubernare; unius anni tempore pertinax, amittebat, ex omnium mente et sententia, jus in regnum. Solius tamen Papae fuit excommunicare reges et statuere tempus, quo excommunicationis sequelae inchoarent. Quod si principi adempta potestas esset gubernandi, praecipiendi, eo ipso subditorum jurata fides invalida facta erat et irrita. Nec reges negabant hanc Papae facultatem declarandi eos, legibus ecclesiasticis et civilibus, regnandi jure spoliatos. Qui restiterunt, non jus impugnarunt sed juris exsecutionem. Quippe non solum e communi omnium mente, verum etiam e Papae *potestate indirecta* hanc copiam derivari, multi tum medii

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 162, p. 125. Tom. 216, p 1013.

[2]) *Migne*, P. L., Tom. 216, p. 997: „duo cherubim .... duae mirabiles et speciosae columnae .... duo magna luminaria .... luminare majus ...., duo gladii."

[3]) *Petrus Blesensis*, Specul. juris, c. 16. Ed. *A. Reimarus*, Berolini 1837.

[4]) Registr., lib. VII, 42. *Migne*, P. L., Tom. 215, p. 326; cap. Solitae, 6 de maj. et ob. (I, 33); cap. Novit de judiciis (II, 1).

[5]) *Heiner*, Das Recht der Fürstenabsetzung; Hist.-pol. Bl. (1909), B. 144, Heft 3—4.

aevi tum posteriores theologi censuerunt. Quam sententiam confirmant verba, quibus saepe Papae usi sunt[1]).

3⁰. Hac praesertim aetate explicata est **reliqua Papalis auctoritas.** Imprimis fuit Papa caput societatis christianae. Ipsius fuit coronare imperatorem. Eum habebant principes defensorem contra injustos fortiorum impetus, consiliarium in tractandis certaminum dirimendorum conditionibus, ducem in negotiis communi consilio susceptis, in litibus arbitrum. Jure merito S. Bernardus, ad Eugenium III scribens: „*Orbe*, inquit, *exeundum ei qui forte volet explorare quae non ad tuam pertinent curam*" [2]). Facta dein sunt plura regna ei feudalia, quod eo domino praesidium habitura sperabant adversus hostes domesticos et externos. Regia insuper auctoritate gubernabat dominium papale.

Etiam Primatus potestas integram suam nacta est hac aetate efficientiam. Ad praecavendos abusus S. Sedes sibi reservavit canonisationem sanctorum, approbationem reliquiarum et ordinum religiosorum; erectionem episcopatuum, confirmationem metropolitarum et synodorum oecumenicarum convocationem [3]). Summo Ecclesiae Doctori et Gubernatori Papae, praeter ea, quae supra jam relata sunt, jus fuit faciendi leges et conferendi dispensationes. Ipsius fuit praestituere, quos sibi casus reservaret. Ipse sibi servavit jus puniendi principes et constituendi tributum pro crucigerorum expeditionibus.

Jure suo quoque, quod *directum* habet Papa in ecclesias et personas, magis magisque hac aetate est usus. Unde id etiam consecutum est emolumentum, quod, qui viri bene meriti de Ecclesia essent, pro dignitate remunerarentur praebendae praemio. Hadrianus IV litteras commendatitias dabat candidatis suis; haud raro postea datum est etiam mandatum.

Papa demum fuit vicarius Dei, vicarius Christi. Unde nec verebantur reges dare ei osculum pedis aut fungi *officio stratoris*. In solio sedens accipiebat S. Eucharistiam, quae semper quoque ei, iter facienti, praeferebatur.

4⁰. Insigne autem summae hujus dignitatis papalis fuit **tiara.** Antea Papa tegebat caput tegumento albo fastigato.

---

[1]) Cf. *Hergenröther*, Kath. Kirche u. christl. Staat, p. 36 sq.; 56 sq.; 786 sq. Praecipue autem *Mirbt* et *Scholz*, Die Publizistik etc., ut supra.

[2]) De Consid., lib. III, c. I, n. 1. *Migne*, P. L., Tom. 182, p. 757.

[3]) Cap. I de rel. et ven. SS., III, 45. Ibid., c. 2. Ibid., c. 9, c. 17, 28 de elect., I, 6.

At saeculo IX videtur in usum inducta *tiara*, una corona ornata. Cum bina corona depictus primus invenitur Bonifatius VIII († 1303), cum trina Clemens V († 1314). Tiara, quae erat una corona distincta, vocabatur *Regnum*, quae trina, *Triregnum*. Quid autem significetur, varie varii exponunt. Sunt qui dicant significari Ecclesiam *militantem*, *patientem* et *regnantem*. Alii censent esse imaginem *primatus*, *patriarchatus* et *regni temporalis*. Alii denique putant effingi *sacerdotem*, *doctorem* et *regem*[1]).

---

§ 105. Collegium cardinalium.

Sägmüller, Die Thätigkeit und Stellung der Kardinäle bis Papst Bonifaz VIII, Freiburg 1896. Ein Tractat des Bischofs Theodoro de Lelli über das Verhältniss von Primat und Kardinalat (Röm. Quartalschr. Suppl. 2). *Kirsch*, Die Finanzverwaltung des Kardinalcollegiums im 13 und 14 Jahrhundert. (Kirchengeschichtl. Studien, II, 4. Münster 1895). *Fr. Xav. Wernz*, Jus Decretalium, Tom. II, Jus Constitut. Eccl. Cath. ed. II, Romae 1906.

1⁰. Aucta valde est collegii cardinalium dignitas et auctoritas, cum anno 1059 ei esset demandata Papae electio. Jam saeculo XII substituti sunt ut agerent partes annuae synodi quadragesimalis Romanae. Administrandae Ecclesiae magna pars iis incubuit. In negotiis fidei et morum consulebatur collegium cardinalium. Suffragium ferebant de canonisandis sanctis, de probandis ordinibus religiosis eorumque regulis, de erigendis universitatibus et episcopatibus, de creandis episcopis, de conferendis majoribus monasteriorum privilegiis, de administrando dominio papali et civitatibus feudalibus, de provocandis crucigerorum expeditionibus etc. Praeter ceteros cardinales eligebantur legati, praesertim *legati a latere*. Ex eorum collegio assumebantur paulatim magistratus ecclesiastici dignitate superiores: *Vicecancellarius*, *Camerarius*, *Cardinalis poenitentiarius*, *Inquisitor Generalis*, *Cardinales protectores* ordinum religiosorum et regionum. Tum temporis jam consessus Papae cum cardinalibus vocabatur *consistorium*, negotiaque ibi acta dicebantur *causae consistoriales*.

2⁰. Multa paulatim jura et privilegia attributa sunt cardina-

---

[1]) Vide *Müntz*, La Tiare Pontificale du VIII au XVI siècle, Paris 1897. *Hefele*, Beiträge II, 223 sq. *Grisar*. Analecta Romana, p. 684. *Wüscher-Becchi* Röm. Quartalschr., 1899, II Heft.

lium collegio. Synodi Lateranensis (1139) *privilegium canonis*[1]) praesertim in gratiam cardinalium servabatur. *Privilegio fori* fuerunt non solum, sicut reliqui clerici omnes, immunes a judiciis *saecularibus*, verum coram judicibus *ecclesiasticis* in cardinalium causis *plures* requirebantur testes. In ecclesiis suis titularibus gaudebant *jurisdictione quasi-episcopali*. Dicebantur *Senatores S^ae^ Sedis*, *Patres Ecclesiae Romanae*. Paulatim suppeditatum est uberius unde viverent. Plus unam praebendam vulgo habebant. Plurium Ecclesiae Romanae redituum recipiebant dimidiam partem, sicuti etiam pretii statuti pro nominationibus, visitationibus *ad limina* et aliquot feudis. Dedit Innocentius III cardinalibus jus *tunicae* et *annuli*, Innocentius IV iis, qui religiosi non erant, *pileum rubrum*, quem concessit Gregorius XIII etiam religiosis. Utrum Lugduni a Bonifatio VIII an a Paulo II privilegio *vestis purpereae* sint donati, dubium est. Ab Urbano VIII acceperunt (1630) titulum *Eminentiae*. Hac autem periodo cardinalium numerus fere non fuit plenus, quin etiam deminutus est ad 10. Si plenus, erant 53, quorum episcopi 7, presbyteri 28 et diaconi 18. Propterea quod nimis facile minueretur, numerum postea (1586) Sixtus V extulit, ut essent 70, quorum episcopi 6, presbyteri 50 et diaconi 14.

---

§ 106. Metropolitae, Episcopi et alii dignitarii ecclesiastici.

Fr. Xav. Wernz, Jus decretalium, Tom. II. Jus Constitutionis Ecclesiae Catholicae. ed. II, Romae 1906. *Phillips*, Kirchenrecht, VI Bd. *Hinschius*, Kirchenrecht, II Bd. *Ph. Schneider*, Die bischöflichen Domkapitel. Mainz 1885. *Imbart de la Tour*, Les élections épiscopales dans l'église de France du IX au XII siècle, Paris 1891.

1°. Regnantibus ultimis principibus Carolingicis, **metropolitarum** potestas multum decreverat. Cujus rei causa non minima fuit, quod ex iis nonnulli arroganter et negligenter agendo auctoritatem episcoporum, magno Ecclesiae damno, depresserunt. Manserant tamen, e decretalium lege, plura metropolitis privilegia: approbandi et consecrandi suos suffraganeos; convocandi synodos provinciales iisque praesidendi; visitandi suffraganeorum dioeceses; jus devolutionis, id est potestatis faciendi in certis casibus per seipsos id quod suffraganei neglectum reliquissent; jus deinde altero judicio sententiam dicendi, in causa

---

[1]) Qui clerico manus infert excommunicatus est.

eorum, qui a judicio suffraganei appellavissent, et puniendi censuris aliisque poenis, in casibus lege circumscriptis. Saeculo autem XIII initium factum est utendi cum metropolitis eodem jure quo agebatur cum patriarchis et primatibus, ut iis prae ceteris episcopis id tantum concederetur, quod ecclesiastico et vetustissimae consuetudinis jure expressis verbis iis esset attributum[1]). Concilium Tridentinum autem non reddidit quae ita erant adempta, sed alios addidit modos[2]).

2⁰. **Episcoporum** functiones eaedem manserunt atque antea. Agendi arbitrium iis accessit, prout metropolitarum jura minuta sunt. Hac autem aetate, in Germania et in regionibus Germaniae adjacentibus episcopi fere omnes principum imperii dignitate fuerunt praediti. Qui quidem honoris gradus etsi potestatem et auctoritatem conferebat Ecclesiae ministris, non tamen sine detrimento fuit. Vasallus erat episcopus et cum exercitu feudali militiae obligatus. Ei quidem non licuit exerceri armis[3]), neque solebat pugnae interesse, at bellorum expeditionumque frequentia abalienabat animum a functionibus officii spiritualis, moresque asperos durosque inducebat. Neque minori detrimento fuit, quod nimio amore episcopus amplectebatur feudum potestatemque gubernandi civilem, atque arctius se studiis communibus cum imperatore conjungebat. Quod quidem luctuosissime accidit diuturno illo luctaminis spatio, quum imperatorum Henricus IV, Fredericus Barbarossa et Fredericus II cum Summis Pontificibus decertabant. Nisi enim subnixi ecclesiasticorum principum praesidio, minus superbe et intemperanter sua exegissent imperatores.

Nec tamen negligendum est, integerrimorum Pontificum, Gregorii VII eorumque qui ei successerunt, sollicita studia ut digniores constituerentur episcopi, minime irrita fuisse. Multi probi sanctique praelati ornamento et aedificationi fuerunt Ecclesiae. Memorentur Otto Bambergensis, Norbertus Magdeburgensis, Anselmus, Thomas et Edmundus Cantuarienses, Engelbertus Coloniensis, Malachias, episcopus Ardimachensis in Hibernia[1]), Gugliel-

---

[1]) Cap. I de suppl. negl. l. I, 8, in sext.
[2]) Sess. 24, cap. 2 de reform.
[3]) *Hefele*, III, 499.
[1]) *Vacandard*, Vie de S. Bernard, II, chap. 29.

mus Burdigalensis, Petrus Tarantasius[1]), Hugo Lincolniensis multique alii. Fuerunt quidem episcopi aliqui animo rebus terrestribus nimium dediti, qui oblectabantur venationibus, armis aut rebus pejoribus, at sollicite providit S. Sedes ut eorum numerus minueretur, ut indigni cederent et qui essent minus idonei arcerentur[2]).

3°. Ordinario adjutorio episcopis erant **capitula.** Frustra conati sunt Papae aliique viri sancti canonicos ad vitam canonice agendam adducere. Assidue ii mores lapsi sunt et, exeunte saeculo XIII, omnino evanuerunt. Saeculo XII eligere episcopos proprium factum est jus capituli. Concilium Lateranense IV (1215) praescripsit, ut intra *tres* menses episcopus a capitulo eligeretur; sin minus, metropolitae cum suo capitulo id faciendum erat. Ille habebatur episcopus, qui vel ab omnibus, vel a majore suffragiorum parte, vel a *parte saniore* esset electus. Licita etiam hinc inde facta est electio *via compromissi*, id est per aliquot viros fidos ad id designatos, aut per acclamationem (*per quasi-inspirationem*). Hoc praesertim episcopi eligendi jure capituli auctoritas multum invaluit, ita ut mox capitulum factum sit firmum corpus. Obligabatur in certis casibus episcopus capituli votis. Munera praecipua in ecclesiis cathedralibus demandabantur canonicis. Primus erat praepositus, dein decanus et primicerius. Haud raro abusibus ansam dederunt jura. Sic conquestum est, horas canonicas cantari a sacerdotibus soluto pretio, numero nimias vulgo esse canonicis praebendas, canonicos ipsos statuere, quae conditiones implendae essent ut canonicus admitteretur. In multis ecclesiis non solum exigebatur prosapia nobilis, verum etiam certus pro-avorum nobilium numerus[3]). Quod jam usu venit saeculo undecimo et duodecimo, id saeculo XIII in ecclesiis Germaniae fere facta fuit lex, ita ut canonicatus copiosiores solis nobilium filiis junioribus darentur[4]). Hi jam puerili aetate, 14 annos nati, admittebantur, vocabanturque *domicelli*, *domicellares*. Quorum pars adhuc erat sub regimine *canonici scholaris*. Canonicorum opulentia et nobilitas haud raro arrogan-

---

[1]) *Mortier*, Hist. des Maîtres Généraux O. P., II.

[2]) *Potthast*, Reg., n. 5579, 5932, 6233, 6337, 6615, 10500, 15259 etc.

[3]) Capitulum Lugdunense exigebat sexdecim, *R. Hedde*, I, 528.

[4]) *Friedberg*, Corpus juris Canonici, II, 480: „Quod non generis, sed virtutum nobilitas vitaeque honestas gratum Deo faciunt et idoneum servitorem." Ita Greg. IX ad capitulum Argentoratense, c. 39 de praebendis (3, 5).

tiam peperit eosque propulit ad resistendum episcopis. Nondum majoribus ordinibus sacris insigniti, saepe insuper mundano more vivebant. Saepe etiam numerum canonicorum sibi capitula definierant (*capitula clausa*), ne inopia praebendarum premerentur. Quod nonnumquam a Summis Pontificibus approbatum est[1]).

4⁰. E capitulo erat etiam **archidiaconus,** cujus ampla valde fuit jurisdictio. Visitandi causa obibat loco episcopi, praesidebat judicio synodali (Sendgericht) et *jurisdictione ordinaria* sui juris erat. Quo factum est ut saepius in altercationem inciderit cum episcopo et ab Ecclesia ut in officio esset sit adactus[2]). Hadrianus IV reprobavit, archidiaconum suo arbitrio „*investituram ecclesiarum... sacerdotibus... concedere*", creare clericos[3]). Quapropter episcopis, alios sibi adjutores quaerentibus, institutum est saeculo XIII munus **vicarii generalis.** Is sententiam dicebat in causis de matrimonio, concubinatu, simonia etc., causis minoribus manentibus jurisdictioni archidiaconi subjectis. Quia vero ab hujus sententia provocare licebat ad vicarium generalem, haud raro obortae sunt dissensiones. Quod tenuit, donec saeculo XVI ob Concilii Tridentini decreta archidiaconi esse paulatim cessarunt[4]). Quamquam magistratus episcopales (*officialis, vicarii, officiarii, vicarii in spiritualibus et temporalibus, quaestor palatii, archipresbyter*) universe officia praestabant sua, fuerunt tamen qui contra fecerint et gravibus nonnumquam verbis sint reprehensi[5]).

5⁰. Hac aetate multi episcopi, negotiis gubernii temporalis valde distenti, sibi episcopos pro sacris adjunxerunt. Quos vulgo facile inveniebant inter episcopos dioecesium orientalium

---

[1]) *Potthast*, Reg., n. 7278, 8756. 8897. Capitulum S. Joannis Lugdunense reduxit numerum ad 32 (1321). Cf. *Chartier*, L'ancien chapître de N.-D. de Paris et sa maîtrise, Paris 1897.

[2]) *Hefele*, V, 268. 399, 924, 1153. *H. Leclerq*, art. Archidiacre in Dict. d'archéol. chrét. et de lit.

[3]) *Migne*, P. L., Tom. 188, p. 1607. *Mortet*, Maurice de Sully, év. de Paris (1160—1196). Etude sur l'administration épiscopale pendant la seconde moitié du XII siècle, Paris 1890. *P. Fournier*, Les officialités au moyen-âge, Paris 1880.

[4]) Über Ursprung und rechtliche Stellung der General-vicare. Tüb. Quartalschr., 1853, p. 535—590.

[5]) „Tota officialium intentio est, ut ad opus episcoporum suae jurisdictioni commissas miserrimas oves quasi vice illorum tondeant. emungant, excorient. Isti enim sunt episcoporum sanguisugae, evomentes alium sanguinem, quem biberunt." *Petrus Blesensis* († 1200) apud *Migne*, P. L., Tom. 207, p. 89.

eorumque successores. Hi enim, fugientes Turcarum tirannidem, suos non amittebant titulos, creabanturque qui iis succederent (*episcopi in partibus infidelium*). Summi Pontifices enim, sperantes fore ut dioeceses orientales aliquando instaurarentur, noluerunt earum hierarchiam interrumpi. In Germania et Hollandia multi valde fuerunt hi episcopi [1]). Eorum autem jurisdictio longe alia fuit ac jurisdictio *coadjutorum*, qui a S. Sede apponebantur episcopis aegrotantibus aut senio confectis [2]).

6⁰. Extra civitatem, dioecesis distribuebatur in parochias, quas regebant **parochi.** In ipsa civitate episcopali aedes sacrae omnes subjectae erant archipresbytero, cui episcopus ecclesiam cathedralem administrandam dederat. Saeculo XI inchoatum est etiam civitates in parochias distribuere. Attamen adhuc Concilii Tridentini tempore passim antiquus mos vigebat, quem abolevit concilium, praecipiendo ut ubique civitates episcopales in parochias dispertirentur [3]). Ut arcerentur monachi ab animarum cura, fuerunt saeculo XIII qui demonstare conati sint, parochos esse institutione divina et ad hierarchiae integritatem pertinere, ita ut ferre leges valeant in synodis dioecesanis. Quem errorem, jussu Clementis Papae IV, solide refutavit S. Thomas [4]). Saeculo XII multae parochiae attributae sunt capitulis aut monasteriis, iisque, loco parochi, praefectus est *vicarius*. Quodsi parochia monasterio erat adjecta, a monacho administrabatur. Capitula vero pro sibi attributis parochiis conducebant presbyterum, cui saepenumero exiguam valde redituum partem solvebant. Qui sibi, unde viveret, suppeditabat *stipendiis* et *juribus stolae*. Haec jura, ad illud tempus ex fidelium arbitrio collata, paulatim fere ubique ad pretia certa firmata sunt.

7⁰. E **constitutionibus pro clericis** manifestum est superiores ecclesiasticos cum vigilantia multa gubernasse. Episcopum minorem esse annis triginta non licuit. Debebat esse e matrimonio legitimo ortus, bene instructus, probus. Dum visitando obibat non licuit ei sumptum subditis afferre, neque pretio quemquam consecrare aut beneficia ecclesiastica vendere. Instruendae juventutis cura ei demandata erat et clerico qui erat ad ecclesiam cathedralem magister, conferre debebat beneficium,

---

1) *Moll*, II, I, p. 277 sq.
2) *Grunau*, De coadjutoribus episcoporum, Vratislaviae 1895.
3) Sess. XXIV, de reform, c. 13. *Lesêtre*, La Paroisse, Paris 1906.
4) *Wernz*, De jure decretalium, II, 1030 sq.

quo convenienter ali posset [1]). Cui decanatus, archidiaconatus, vel cura animarum demandabatur, is debebat esse annos natus 25, bene doctus, probus. Quae quis bona sibi per munus suum compararat, post ejus mortem Ecclesiae erant restituenda, opes erant impendendae institutis ad utilitatem communem spectantibus et beneficentiae. Innocentius IV postulavit ut accurata redderetur ratio de usu bonorum Ecclesiae. Alexander III statuit, rapta a laicis bona Ecclesiae esse reddenda. Clericis omnibus incumbebat ut honesto pro dignitate vestitu et tonsura uterentur, abstinerent a venatione, aleis, reliquisque ludis minus honestis. Illud etiam diligenter animadvertebatur utrum sacra pie et devote fierent [2]).

De **caelibatu** autem sancte servando haud minima cura habita est. Instantius contendit Gregorius VII ut in usum deduceretur lex. Urbanus II, consilia eadem secutus, statuit ut si qua esset concubina ejus qui majores ordines susceperat, fieret serva principis [3]). Synodi Lateranenses prima (1123) et altera (1139) consummarunt ac quasi perpoliverunt caelibatus legem. Luculenter declaravit haec altera synodus, matrimonium initum a quoquam, qui sacro ordine majore ornatus fuisset, esse invalidum [4]). In eandem sententiam, etsi verbis non aeque claris, decretum fuerat antea synodis Amalphitana (1089), Tricassina (1107) et Rhemensi (1119). Quae itaque antiquitus fuerant praescripta a concilio Lateranensi II [5]), pro universa Ecclesia occidentali iterata sunt. Non tamen confestim, quae petebant, omnia assecuti sunt. Synodus oecumenica XII minitando vetuit episcopos clericis suis pretio connubia permittere [6]). Luctatio magna fuit in Hungaria. In Polonia quoque, Silesia, Moravia, Suecia, et Dania non nisi exeunte saeculo XII et medio XIII ad usum *universalem* caelibatus leges pervenerunt. At licet non omnes ubique salutaribus illis decretis idem obsequium prae-

---

[1]) Lateranense III (1179), *Hefele*, V, 711 sq.

[2]) *Hefele*, V, 399, 613, 865 etc.

[3]) Syn. Amalphitana (1089), can. 12.

[4]) *Hefele*, V, 380, 441. „Hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus." (*Mansi*, XXI, 528).

[5]) Apparet hic duplex legis ecclesiasticae effectus. Adjungit imprimis subdiaconatui *votum solemne*, cui dein confert vim dirimendi omne matrimonium posterius. Idem fit in oriente cum confertur diaconatus.

[6]) *Hefele*, V, 886.

stiterint, tamen usque ad reformationis aetatem non fuit amplius de iis disputatum.

---

§ 107. Ordines religiosorum regulae S. Benedicti.

M. Henrion, Histoire des ordres religieux, Bruxelles 1838. *M. Heimbucher*, Die Orden und Congregationen, I Bd, Paderborn 1907, II Aufl. *Helyot*, Histoire des ordres religieux, Vols V—VII. Acta SS. Boll., II Tom. Febr., p. 205 sq.: Stephanus Muretanus. *Dom Beda Plaine*, Le bienheureux Robert d'Arbrissel (Mémoires de l'Association Bretonne, 1876, p. 33 sq.). *Idem*, De vita et gestis b. Roberti Arbrisselensis (Stud. u. Mitth. aus dem Benedictinenorden, 1885, 2, p. 64 sq.). *L. Janauschek O. Cist.*, Orig. Cisterc., Tom. I, Vindobonae 1877. *E. Vacandard*, Vie de S. Bernard, II Vols, Paris 1895. S. Bruno, fondateur de l'ordre des Chartreux, Montreuil-sur-Mer 1898. Consuetudines Cartusienses, *Migne*, P. L., Tom. 153, p. 635 sq. Acta SS. Boll., Tom. III Oct., p. 491 sq. *H. Löbbel*, Der Stifter des Karthäuser Ordens, der H. Bruno aus Köln (Kirchengeschichtl. Studien, X Bd, p. 246 sq.), Münster 1899. *Coppens*, Algemeen overzicht der kerkgeschiedenis van Noord-Nederland, II Uitg., Utrecht 1902, p. 277 sq. *Génestal*, Rôle des monastères comme établissements de crédit, étudié en Normandie au XIe et à la fin du XIIIe siècle, Paris 1901.

1⁰. Expergiscentibus hac aetate hominibus e somno spirituali, mirum non est **vitam monachalem** floruisse. Mutua fuit etiam in hac re actio. Dum Papae favebant monachis, hi quoque illis multo auxilio fuerunt in operanda morum reformatione. In memoriam revoca quid fuerit monasterium Cluniacense pro Summis Pontificibus tempore luctaminis de investitura, quid ordines mendicantium pro celeberrimis Papis saeculi XIII. Ordine S. Benedicti novis reflorescente institutionibus, ordines equitum quoque et praecipue ordines mendicantium salutaria multa effecerunt. Laici confugiebant ad ordines, qui dicuntur tertii, quorum sat magni nequit aestimari salutaris efficientia. Mirum quantus fuerit concursus eorum, qui vel ingredi monasteria, vel ascribi tertiis ordinibus gestiebant.

2⁰. Fundator **ordinis Grandimontensis** fuit Stephanus Muretanus († 1124). Appellatus est a nomine Mureti montis prope civitatem Lemovicensem in Gallia, ubi sedem suam eremiticam posuit anno 1076, postquam aliquamdiu in monasterio S. Benedicti, Aureil, vixerat. Discipulis nonnullis, qui mox ei se adjunxerant, spiritualis vitae praecepta tradidit, ad regulam S. Benedicti et disciplinam (Camaldulensem). Qui magistro defuncto migrarunt in solutudinem Grandimontensem,

unde nomen accepit ordo. Prior quartus, Stephanus Lisiacensis anno 1143 litteris mandavit fundatoris praecepta quae memoria fuerant prodita. Prior septimus, Gerardus, regulam perfecit, quam emendatam ab Urbano III approbavit Clemens III[1]). Brevi temporis spatio diffusus est ordo in Gallia, fueruntque ejus, jam anno 1170, monasteria 70. Ineunte saeculo XIV, qui praeerat monasterio Grandimontensi, unde reliqua oriunda erant, a Joanne XXII „abbatis" nomen et dignitatem accepit. Quum autem fratrum laicorum jura et debita non essent accurate circumscripta, orta jam saeculo XIII est discordia, quam neque Papa intercedens componere valuit[2]), ita ut facta sit scissio inter severiorem et mitiorem observantiam. Utriusque tamen partis idem mansit superior generalis. Revolutione Gallica ordo exstinctus est[3]).

3⁰. S. Robertus Arbrissellensis († 1117) instituit **ordinem Fontis Evraldi.** Studiis incubuit Lutetiae Parisiorum, fuit coadjutor episcopi Redonensis et docuit Andegavi. Anno 1095 aedificavit monasterium geminatum pro viris et mulieribus. Ad honorandam Matrem Dei[4]) abbatissae gubernium traditum est, statutumque eam etiam reliquorum, si qua erigerentur ejusmodi monasteria fore superiorem generalem. Vivebant secundum S. Benedicti regulam, severioribus nonnullis praeceptis auctam. Quamvis sollicita cura modestiae haberetur, fuerunt tamen qui murmurarent quasi in vitae commercio prudentia deficeret. Vel in S. Robertum suspicio mota est. Brevi tamen socios ad 4000—5000 numeravit ordo. Paschalis II eum approbavit annis 1105 et 1112[5]). Innocentius III „*Monasterium Fontis Evraldi*, inquit *et magnae religionis odore praefulget et magna paupertate gravatur*"[6]). Quo tempore mortuus est S. Robertus[7]), jam pluribus constabat ordo monasteriis numerabatque

---

[1]) *Jaffé*, n. 10098, 10141. Vide regulam apud Martene, De antiquis Ecclesiae ritibus, Tom. IV, 307 sq. Bullas et statuta ibid., 321—361; Indicem domorum ibid., 318 sq.

[2]) *Potthast*, n. 1772. Cf. *Migne*, P. L., Tom. 214, p. 1107 sq.

[3]) *Levesque*, Annales de l'Ordre de Grandmont, 1862. *Guibert*, Destruction de l'Ordre et de l'Abbaye de Grandmont, 1878.

[4]) Joan., XIX, 26—27.

[5]) *Jaffé*, n. 4502, 4685.

[6]) *Potthast*, n. 6006.

[7]) *Pavillon*, La vie du B. Robert d'Arbrissel, 1867. *Joh. von Walter*, Die ersten Wanderprediger Frankreichs, I: Robert von Arbrissel, Leipzig 1903.

sorores 3000. Extra Galliae quoque fines in Hispania et Anglia monasteria erecta sunt. Quo tempore maxime floruit, numerabantur prioratus 57. Post revolutionem Gallicam ne unum quidem supererat monasterium[1]).

3⁰. **Cisterciensium**[2]) pater, Robertus († 1100), annos 15 natus ingressus est monasterium Benedictinum Montier la Celle prope Trecas. Electus abbas, quam animo habebat reformationem, persequi nequivit, factusque est superior eremitarum aliquot Molismensium. At quum ibi quoque subditi ei molestias facesserent, cum 20 e ferventioribus profectus est in solitudinem Cisterciensem, in Burgundia, constructoque ibi monasterio, non incumbebant curae animarum, renuntiabant exemptioni simplicioremque reddebant ornatum aedesque sacras. Sub tertio eorum abbate Stephano, lumen ingens Cistercio obortum est, ingrediente ordinem, cum sociis 20, S. Bernardo. Quo facto mirum quantum ordo increverit. Anno 1113 fundatum est monasterium La Ferté, anno 1114 Pontigny, anno 1115 Claravallense et Morimontanum. Interea Stephanus abbas elaboravit *chartam caritatis*[3]), legem primam ordinis Cisterciensis. Qui dein, anno 1119, praecipuos monasteriorum 16 monachos convocavit ad retractandum probandumque opus suum, quod Callixtus II eodem anno probatione sua firmavit. S. Benedicti regula abbatias singulas non in unum corpus copulaverat, abbatesque ut sui juris essent permiserat. *Carta caritatis* vero statuit ut abbatis Cistertiensis, totius ordinis praesulis, auctoritas circumscriberetur auctoritate abbatum la Ferté, Pontigny Claravallensis, Morimontani et capituli generalis; ut monasteria singula singulis annis visitarentur: Cistertiense ab abbatibus jam memoratis, reliqua autem monasteria ab abbate monasterii principis, unde singula erant oriunda. Aetas, quae dicitur *ordinis consitio*, decurrit annis 1089—1134, quo tempore abbatiae erant numero 77. Aurea ordinis aetas fuit annis 1134—1242, quo anno florebant abbatiae 707. Universae fuerunt 728, praeter monasteria

---

[1]) *Mabillon*, Dissertatio de subjectione virorum etiam sacerdotum ad mulierem, Parisiis 1612.

[2]) *Guignard*, Mon. primitifs de la règle cistercienne, Dyon 1878. *Dom. U. Berlière*, Les origines de Citeaux, Revue d'hist. ecclés., Oct. 1900 et Avril 1901. *H. D'Arbois de Jubainville*, Etude sur l'état intérieur des abbayes cisterciennes et principalement de Clairveaux au XII siècle, Paris 1858.

[3]) Exordium ordinis Cisterc., *Migne*, P. L., Tom. 166, p. 1501 sq.

monialium, quae cum ordo florebat ad 900 excreverunt. Earum primum monasterium anno 1120 a Stephano, abbate tertio, aedificatum est. Quum monachorum tum monialium familia in Hollandia quoque eximie floruit [1]). Nostra aetate sunt monachorum monasteria amplius 30, congregationibus quatuor distributa et monialium claustra fere centum, quorum in Hispania 60 [2]).

4⁰. Bruno Coloniensis († 1101) studuit in patria, Rhemis et Turonibus, canonicatu deinde donatus Rhemis, anno 1084 discessit in solitudinem *Carthusiae*, prope Gratianopolim. Ibi **ordo carthusianorum** [3]) cepit originem. Ejus quoque disciplinae fundamentum fuit regula S. Benedicti. Guigo (†1137) Carthusiae Magnae prior quintus, qui Carthusiae regulam [4]) primus composuit, praecepit silentium perpetuum, vestem rudem et abstinentiam a carnibus perpetuo et ubique servandam. Occupabantur orando, laborando manibus, describendis libris et studiis incumbendo. Carthusiani habitabant singuli in cellis singulis, quae erant quasi parvae domus. Solis diebus sabbathi conveniebant ad confitendum et tractanda communiter quae occurrerent negotia. Salutabant invicem verbis: *memento mori*. In professione spondebant stabilitatem in eodem monasterio, obedientiam et morum emendationem [5]). Alexander III approbavit ordinem anno 1170 [6]). Guigonis statutis additamenta adjecta sunt anno 1259 et iterum annis 1368, 1509 et 1681 [7]). Optime meruerunt Carthusiani de scientiis, de architectura, de eremis colendis. Papis quoque, dum hi calamitatibus oppressi erant, saepe perfugio fuerunt. Haud raro tamen vehementer impugnati sunt [8]). Prima media parte saeculi XIII orta est hujus ordinis familia muliebris. Ardua hic disciplina ordo,

---

[1]) *Moll*, II, 2, p. 17 sq.

[2]) Exordium magnum Ordinis Cisterc., *Migne*, P. L., Tom. 185, p. 995 sq. *Mabillon*, Annal. O. S. B., Tom. V, p. 367 sq.; 377 sq. *Henriquez*, Regula, Const. et privil. Ord. Cist., Antverpiae 1630.

[3]) Regulam S. Benedicti in exemplum sibi sumpserunt, non eam secuti sunt.

[4]) *Migne*, P. L., Tom. 153, p. 635 sq. *D. Le Conteulx*, Annales Ordinis Cartusiensis ab anno 1084—1429, Montreuil-sur-mer 1887-1891. *D. Le Vasseur*, Ephemerides ordinis Cartusiensis, Montreuil sur-mer 1890 - 1893.

[5]) Cons. Cartus., c. 23. *Migne*, ibid.

[6]) *Migne*, P. L., Tom. 200, p. 1080.

[7]) *Magistri Lamberti* statuta, *Migne*, *P. L.*, Tom. 153, p. 1249 sq. praesertim statuta antiqua, ibid., p. 1123 sq.

[8]) *Migne*, P. L., Tom. 216, p. 469. *Dionysius Carthus.*, De preconio sive laude ord. Carth. Opusc. insign. Col. 1559, p. 569.

florentissima sua aetate numeravit monasteria virorum non amplius fere 170 et feminarum plus 30, et cunctos religiosos 3000. In Hollandia fuerunt tantum virorum monasteria novem[1]). Hodie universa Carthusianorum monasteria fere 30 sunt, quorum media pars ante persecutionem anni 1901 in Gallia fuerunt, et unum monialium claustrum in dioecesi Gratianopolitana.

5⁰. Ad regulam S. Benedicti vitam instituerunt praeterea **Silvestrini,** instituti anno 1231 a Silvestro Guzzalino; dein **Caelestini,** a Petro Murrone (Caelestino V) instituti ad finem saeculi XIII; demum **Humiliati**[2]), qui orti saeculo XI et deficientes saeculo XVI, ob structas insidias S. Carolo Borromaeo, anno 1571 a S. Pio V, diremti sunt[3]).

---

§ 108. **Canonici regulares.**

Opera universalia § 102 notata: *Heimbucher*, *Helyot*, *Henrion* etc. *Martene*, Consuetudines canonic. reg. sec. reg. St. Augustini; De antiq. Eccl. ritibus, Tom. III, p. 306—320. Annales Praemonstrat., Tomi II, Nanceii 1734—1736. *Miraeus*, Chron. Ord. Praemonstrat., Coloniae 1613. *Madelaine*, Hist. de S. Norbert, Lille 1887. *Zák*, Der H. Norbert, Herr von Gennep, Stifter des Praemonstratenserordens, Wien 1900. *Van den Elsen*, Beknopte Levensgeschiedenis van den H. Norbertus, Averbode 1899. Regula et Constitutiones F. ordinis canonici S. crucis, Gestel S. Michaelis 1868. *Godefridus a Lit*, Explanatio Constitutionum ordinis fratrum Cruciferorum, Col. 1632. *Hermans*, Annales canonicorum reg. S. Augustini ordinis S. Crucis. Tomi III, Silvae Ducis 1858. *H. Russel*, Chronicon ordinis S. Crucis, Col. 1635. *Verduc*, Vie du Père Théodore de Celles, Périgieux 1632. *Römer*, Abdijen in Holland en Zeeland, Leiden 1854. *P. M. Bots*, De oude kloosters en abdijen in 't tegenw. bisd. Haarlem, Rijsenburg 1882. *W. J. Hofdijk*, De kloosterorden in Nederland, Haarlem 1865.

1⁰. Regula Chrodegangi Metensis permisit canonicis, *vitam canonicam* viventibus, bonorum suorum non solum dominium sed etiam dispositionem. Experientia autem docuit id diu manere non posse, quin appareret esse alienum a vita communi. Quapropter Synodi Romanae 1059 et 1063 penes capitula in hoc institerunt ut communis redderetur bonorum possessio. Quibus monitis plures assentiti sunt. E S. Augustini *sermoni-*

---

[1]) *Moll*, II, 2, p. 188 sq.

[2]) Vetera Humiliat. monumenta, 3 vols. 1766 sq.

[3]) *Raynald*, ad an. 1231, n. 29. *Heimbucher*, I, 480—481.

bus duobus *de moribus clericorum* (355 et 356) et *epistola* 211 (al. 109) *ad sororem* composita est, quae vocatur, *regula S. Augustini*[1]). Multa capitula saeculo XII hanc regulam observabant, emissis usualibus solemnibus votis tribus. Initio capitula singula sui juris fuerunt, sed brevi postea institutae sunt plures *congregationes*, quae optime de Ecclesia Dei meruerunt[2]).

Nonnullae hic memorandae: congregatio Matris Dei Ravennae (1117); canonici Lateranenses (altera media parte saeculi XI); congregatio S. Rufi (1039); canonici S. Sepulchri Hierosolymis (1114); congregatio S. Mauritii in Helvetia (saeculo XII); congregatio Marbacensis prope Colmarum (1090); congregatio Antonitarum (1298); congregatio S. Victoris Lutetiae Parisiorum (ineunte saeculo XII); congregatio S. Crucis Conimbrici (1132); Gilbertini in Anglia, quibus erant monasteria geminata (1146); Fratres S. Spiritus Montis Pessulani (saeculo XII); congregatio S. Genovefae Lutetiae Parisiorum (altera media parte saeculi XI); varii crucigeri in Italia, Bohemia, Polonia, Hispania et Lusitania, qui omnes ortum ceperunt tempore expeditionum sacrarum.

2°. Prae his omnibus tamen magnum Ecclesiae emolumentum attulerunt canonici regulares **Praemonstratenses**[3]), quorum auctor fuit S. Norbertus. Is nobili loco e gente Cenebensium prope Castra Vetera (Xanten) (1080—1082) ortus, nuncupatus est sacellanus ad aulam Henrici V imperatoris et canonicus Coloniensis. Dum vectabatur Vredam, in Westphalia, fulmine in terram decussus, discessit a vivendi ratione saeculari et sacerdotio initiatus est. Obivit regiones poenitentiam praedicans, atque anno 1120 *Praemonstrati* prope Laodunum (Laon) monasterium canonicorum regularium condidit. Dedit iis regulam S. Augustini et vestem albam. Vitam activam cum contemplativa miscentes, incumbebant praedicationi, animarum curae et studio scientiae. Approbatus ordo est anno 1126 ab

---

[1]) Cf. *S. Benedictus Anianus*, Codex regularum: Regula ad servos Dei, *Migne*, P. L., Tom. 33, p. 960—965.

[2]) *Aub. Miraeus*, Origines canonic. reg. ordinis S. Augustini, Col. 1615. *Idem*, Codex regularum et constitutionum Clericorum Ord. S. Augustini, Antverpiae 1638.

[3]) *Richon*, Essai sur la vie claustrale et l'administration intérieure dans l'ordre de l'abbaye de Prémontré, au XII et au XIII siècle (Ecole des Ch.. 1875).

Honorio II[1]). Et quum eodem anno renuntiatus esset Norbertus episcopus Magdeburgensis, mox in Germaniam ordo se extendit. Anglia quoque, Scotia, Dania, Suecia et Norvegia cum gaudio filios Norberti susceperunt. In Hollandia monasteria condita sunt cum vir sanctus Antverpiae Tanchelmi[2]) haeresin oppugnaret: Antverpiae anno 1126, Middelburgi circa 1127, Mariënweerd 1128, et paulo post Bernae, Lidlum, Bloemhof, Wittewierum, Mariëngaarde. Insuper plura monialibus monasteria sunt erecta[3]). Praemonstratensium ingens fuit in universa Europa numerus. Vix elapso primo post conditum ordinem saeculo, ejus numerabantur domus amplius 1000, creveruntque, ut fertur, in florentissima ordinis aetate ad fere 3000. Reformatione et revolutione fere omnia exstincta sunt. Supersunt in *circaria* Austriaca septem, in Brabantina item septem et domus 6 pro missionibus; insuper e congregatione Gallica 10.

3⁰. Magna quoque frequentia fuit **ordo crucigerorum** Theodori de Celles (†1236) in Belgio, Hollandia, Gallia, Anglia et Germania. Fuit Theodorus canonicus Leodiensis, et ineunte saeculo XIII, societate inita cum aliis quatuor ejusdem capituli canonicis, inter quos etiam Petrus de Valcourt e gente Rupefortiorum, sedem collocavit 14 Sept. 1211 in colle Clair-Lieu prope Hoei, atque ita posuit fundamenta ordinis, 3 Maji 1216 a Papa approbati. Consilium erat ut darent se operibus missionum, adjuvandis aegrotis et potissimum convertendis Albigensibus. Joannes XI, Dominus de Arkel, e Colonia in Hollandiam transmisit crucigeros, Gorcomium primum (1314). Postea domus institutae sunt Asperen et Kuik (1371), et ante exactum saeculum XIV Venlo; dein Ruremundae, Goes, Schiedami, Hoorn, Sneek, Ter Apel, Franeker, Silvae Ducis, Woudrichem, Trajecti ad Mosam etc. Sicuti canonici regulares omnes, crucigeri observabant regulam S. Augustini, sed postea nonnulla mutuaverunt e constitutionibus ordinis S. Dominici. Induuntur veste alba cum scapulari nigro, in quo ad pectus crux rubro-alba assuta, unde habent nomen. Praecinguntur cingulo nigro et ex humeris humerale nigrum dependet. Superior generalis utitur mozzetta violacea. Leo X anno 1516 dedit crucigeris

[1]) *Potthast*, Reg., n. 5232.

[2]) *H. Q. Janssen*, Annales de l'Académie d'archéologie de Belgique, II Ser. Tom. III.

[3]) *Moll*, II, 2, p. 27 sq.

privilegium adjungendi singulis *Pater noster* aut *Ave Maria* rosarii ab iis benedicti indulgentiam dierum 500; quod privilegium Leo XIII die 15 Martii 1884 iteravit [1]). Huic quoque ordini, quondam florentissimo, reformatio et revolutio ingentem cladem dederunt, ita ut hodie tantum domus sex supersint.

4⁰. E memoratis regularium ordinibus plures aurea sua aetate familiam quoque muliebrem habuerunt [2]).

---

§ 109. Magni ordines mendicantium quatuor.

Opera universalia vide § 107 et § 108. Bullarium Franciscanum, ed. *Sbaralea*, Tomi 4, Romae 1759–1770. Suppl. ibid. 1780. Continuatio, ed. *C. Eubel*, T. V, ibid. 1898; T. VI, 1902; T. VII, 1904. Analecta Franciscana etc. Tom. I–III, Quaracchi 1885–1897. *Wadding*, Annales Minorum, Lugduni 1625 sq. Tomi 8, Romae 1731 sq. Tomi 16 cum variis continuationibus; ultimi Quaracchi 1886. Wadd.-Sbar., Script. ord. min., Nov. ed. Nardecchia, Romae 1906. Suppl. et cast. ad script. trium ord., ed. Nardecchia, Romae 1908. Actus B. Francisci et sociorum ejus, ed. *P. Sabatier*, Paris 1902. Fioretti, ed. *Chaulin*, 1901. *H. Holzapfel*, O. M., Manuale hist. ord. Fratrum Minorum, Frib. Brisg. 1909. *Sabatier*, Vie de S. François d'Assise, Paris 1894; 26ème éd. 1902. *J. Jörgensen*, Der Franz v. Assisi, Kempten 1908. *Le Monnier*, id., 2 vols., Paris 1889. *Paul Henry*, id., Paris 1903. *G. Schnürer*, Franz von Assisi, München 1905. *Edm. Wauer*, Entstehung und Ausbreitung des Clarissenordens, besonders in den deutschen Minoritenprovincen, Leipzig 1906. — *Reichert*, Acta capitul. general. O. P., Tomi 9, Romae 1898. Litterae encyclicae Magistrorum O. P., 1233–1376, Romae 1900. *Balme et Lelaidier*, Cartulaire de S. Dominique, Paris 1893 sq. *Mamachi*, Annales Ord. Praedicatorum, Romae 1754. *Quetif et Echard*, Scriptores Ord. Praed., fol. 2. Paris 1719–1721 (praeparatur ed. nova). *Ripoli et Bremond*, Bullarium Ord. Praedic., Tomi 3, Romae 1737 sq. *Danzas*, Etudes sur les temps primitifs de l'orde de S. Dominique, Ière Sér., 5 vol., Paris 1873–1885; IIe Sér., 1 vol., Paris 1888. *Lacordaire*, Vie de S. Dominique, Paris 1840. Bruxelles 1841. *Guiraud*, S. Dominique, Paris 1899. *Drane*, id. Gallice versum a *Cardon*, Paris 1893. *Mortier*, Histoire des Maîtres Généraux de l'ordre des Frères Prêcheurs, Vol. I–IV (1170–1486), Paris 1903–1906. — Bullarium Carmelitanum, Tomi 2, ed. *Elis. de Montesignano*, Romae 1715—1758. *Koch*, Die Karmelitenklöster der niederdeutschen Provinz, Freiburg 1889. *Denifle*, Quellen zur Gelehrtengeschichte des Karmeliterordens im XIII und XIV Jahrhundert. Arch. f. Lit. u. Kirchengesch., V, 365 sq. *J. Nepom. de S. Pierre*, Hist. de l'ord. de N. D. du M. C. sous ses neuf premiers généraux. Maestricht

---

[1]) Pius X anno 1907 etiam aliis dedit privilegium.

[2]) *Heimbucher*, I, 389 sq.

1798. *Romanet de Caillard*, Origines de l'ordre du Carmel, Limoges 1894. *Pamphilus*, Chronica ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Romae 1584, 1681. *Torelli*, Secoli Augostiniani, ovvero, Storia Generale dell' ordine eremitano di San Augostino, 8 vol., Bologna 1658. *Kolde*, Die Deutsche Augustinerkongregation und Johann von Staupitz, Gotha 1879.

1⁰. Jam monachi Grandimontenses, Fontis Evraldi et Cistertienses, ordinem S. Benedicti novantes, et Carthusiani sua statuta conficientes, magni ad religionem ponderis esse aestimaverunt paupertatem. Manu operari quaerebant neque volebant ali sicut Cluniacenses, mercede agrorum rusticis conductorum. Honori sibi tribuebant Cistercienses, cum audiebantur Cluniacenses dicentes: „arare terras, exstirpare silvas, stercora vehere numquid haec monachorum vita?" Imo vero S. Bernardus ordinum equestrium socios inflammare conatus est amore paupertatis, vocavitque eos „*pauperes Christi pugnatores*", quae appellatio mox in *equites templarios* mutata est. At ordines equestres omnes vitam militarem primo loco ponebant. Vulgus autem flagrabat cupiditate audiendi praeconia paupertatis et historiam pauperis Jesu. Sed unde, qui ad populum de paupertate verba facerent? Benedictini et qui e Benedictinis novati erant monasteriis occludebantur. Ineunte saeculo XII fuerunt, qui obeuntes praedicabant, ipsi rigidam paupertatem colentes. Primus fuit Norbertus, quem sui imitati sunt. Secundus fuit Robertus de Arbrissel, qui vel ad ipsos clericos de paupertatis laudibus praedicavit. Hi et alii oppugnabant saecularem vitae rationem adjumentoque fuerunt spiritui intimo, parti interiori vitae christianae. Majorem etiam impulsum ad hoc vitae genus dedit S. Franciscus Assisiensis.

2⁰. Celeber **ordinis Franciscanorum** fundator anno 1182 natus est Assisii. Latine institutus est in schola, Gallice verisimiliter domi. Pater ejus dives fuit negotiator pannis laneis, nomine Petrus Bernardone. Haec autem patris professio minime placuit juveni, cujus erat alacer mobilisque animus. Arridebat ei ordo equester. At eum, vix primo gressu in hanc viam posito, Deus ad altiorem vitae perfectionem vocavit (1205). Spoleto Assisium redux, impetum animi cohibere nequivit vitamque pauperem ducere aggressus est (1206). Duobus annis post, audito Evangelio de *missis Apostolis*, toto pectore commotus, reliquis rebus omnibus abjectis, solam rudem vestem cum cingulo retinuit. Haec erat ejus cum paupertate desponsatio (1208).

Primus ejus socius fuit vir nobilis Assisinates, nomine Bernardus a Quintavalle, secundus ipse quoque Assisinates Petrus Cataneus. Cum his Franciscus ingressus aedem S[i] Nicolai audivit Deum jubentem ut vitam agerent pauperem, apostolicam, crucifixam[1]). Qui dies 15 Aprilis 1208 natalis est ordinis poenitentium Assisinatum, qui post paucos annos appellatus est **Fratrum minorum.** Composita dein paucis verbis regula, quae probabiliter praeter memoratos S. Scripturae locos nihil aliud quam breve prooemium et *tria vota*, ad constituendum ordinem religiosum necessaria, continebat, anno 1209 Franciscus cum sociis 12 profectus est Romam. Cui Innocentius III verbis approbationem et praedicandi licentiam concessit. Ita „*familia Franciscana juridice est constituta anno* 1209 *die, ut antiqua fert traditio*, 16 *Aprilis*". Mirum quantum ordo tum increverit. Prima monasteria erecta sunt ad Rivumtortum et Assisii prope ecclesiam *Portiunculam*. In capitulo anni 1217 S. Franciscus „*terras divisit in provincias ordinis quibus praefecit ministros provinciales*" et misit „*fratres in Orientem, Germaniam, Hungariam, Hispaniam et Galliam*". Jam in secundo capitulo generali, anno 1219 habito, intererant fratres 5000. Franciscus ipse conscendit in Africam, Mahumetanis praedicaturus et socios aliquot misit in Hispaniam et Mauritaniam, quorum quinque ibidem martyrio sunt coronati. Eorum cum reliquiae in Lusitaniam transferrentur, Fernandez Lusitanus, S. Antonius Patavinus[2]) ordini nomen dedit. Interfuit capitulo generali tertio (1221).

Mox orta est consiliorum animorumque dissensio inter Franciscum, perfecta paupertate Christum sequi gestientem et fratres, qui bene ordinatam rerum temporalium curam negligendam non esse censebant. Fere idem videtur intercessisse de negotio studiorum. Certum tamen est Franciscum studiis et scientiis in ordinem introducendis postea favisse[3]). Hu-

---

[1]) Matth. XIX. 21; Marc. VI, 8—9; VIII, 34.

[2]) *J. A. Gugard*, St. Antoine de Padoue, Paris 1868. *A. Ricard*, St. Antoine de Padoue, le grand thaumaturge, 3e éd., Paris 1895. *Lepitre*, id., 2e éd., Paris 1901. Léopold de Chérancé, Paris 1906. Sancti Antonii de Padua vitae duae, éd. *de Clerval*, Paris 1904. *P. N. Dal Gal*, O. F. M., Antonio di Padova, taumaturgo francescano (1195—1231). Studio dei documenti, Quaracchi 1907.

[3]) *P. Hilarin de Lucerna*, Histoire des études dans l'ordre de S. François depuis sa fondation jusque vers le milieu du XIII siècle, Paris 1908.

golinus cardinalis, ordinis protector, cupiebat Franciscanos et Dominicanos in unum ordinem sociare. Ipse Dominicus id Viterbii Francisco proposuit. Is autem renuit. S. Francisco solam *regulam primam*[1]) servante, praestantiores ordinis socii hanc satis esse non censebant. Tum Franciscus in congressu ad Portiunculam, die 17 Majo 1220, coram Hugolino abdicavit se generalatu, quem Petrus Cataneus Assisinates suscepit. Honorius III autem, die 20 Sept. 1220, jussit novitiatum institui. Quam vero *novam regulam* Franciscus inde a Majo 1220 conscripserat, generale capitulum fratrum 3000 anno 1221 approbavit. Ejus regulae summa capita haec fuerunt: nulla habet ordo bona; possessio vero librorum et instrumentorum ad usum necessaria conceditur; debent socii stipem petere si opus fuerit, et praedicationi se dedere. Constabat haec nova regula initio capitibus 17, postea demum 23. Brevi post Franciscus cum Hugolino cardinali capita nova 12 composuit de ordinis recta ordinatione. Haec tota regula tandem ab Honorio III est approbata, per bullam „Solet annuere", die 29 Nov. 1223, ideoque dicta *regula bullata*[2]).

2⁰. Praedicatio Francisci prae ceteris Claram Sciffi, Assisii[3]) vehementer commovit. Cupiebat illa quoque pro Christo vitam mundanam relinquere, et Dominica Palmarum 1212 se Christo despondit. Quibus quidem solemniis Franciscus et Clara **ordinis secundi** fundamentum posuerunt. Haud diu post imitatae eam sunt Agnes et Beatrix, sorores ejus, et paulatim virginum ingens numerus, eodem animo ductae. Consederunt Assisii, ad aedem sacram S. Damiani spoponderuntque Francisco obedientiam. Quae fuerit eis forma vivendi prima a Francisco data, memoriae proditum non est. Hugolinus cardinalis, ut videtur, alteram confecit anno 1218 vel 1219, quae dicitur „*Observantiae regulares juxta ordinem Dominarum S. Mariae de S. Damiano de Assisio*". Rigidissime semper Clara tenuit paupertatem recusavitque possidere bona, etiam tum quum Gregorius IX ad id licentiam dederat. Dum vixit Franciscus, ipse ei consiliarius et pater fuit. Austeri ejus mores Clarae pro lege fuerunt. Hanc

---

[1]) Tres textus S. Script. supra relatos.
[2]) *Wadding*, Annal. Minorum, ad an. 1220.
[3]) *Léopold de Chérancé*, Vie de Sainte Claire, Paris 1901.

viam secuta, exegit ordinis regulam, quam approbavit anno 1253 Innocentius IV.

3⁰. Institutus est **tertius ordo**[1]) Francisci anno 1221. Prima jam praedicatione valde animi multorum commoti sunt. Non tamen omnibus in promptu erat ingredi monasteria. Qui propterea conati sunt in saeculo ad mentem S. Francisci vitam dirigere. „*Sanctum Franciscum in originem et evolutionem collegiorum Poenitentium* (*ut initio dicebantur*) *influxum exercuisse decisivum, dubium non est*". His jam anno 1221 regula vivendi data est, probabiliter a Francisco et Hugolino Cardinali. Commendata praesertim pietas et morum integra honestas; praescripta: singulis hebdomadis abstinentiae dies tres, jejunii duo, horarum canonicarum usus quotidianus, aut Pater Noster certus numerus, confessio et S. Communio ter in anno, decimarum accurata solutio, arma non ferre, visitare aegrotos et interesse funeribus. Quae praecepta quam salutares fructus ferre debuerint, satis per se patet. Hugolinus factus papa Gregorius IX nova dedit praecepta anno 1228 novamque regulam anno 1234.

4⁰. Conditis tribus ordinibus, accepta indulgentia Portiunculae (intra 18 Julii et initium Sept. 1216[2]), et *stigmatibus* in monte Alverna (14 Sept. 1224), die 3 Oct. 1226 defunctus est S. Franciscus. Mirum quam celeris fuerit ordinum diffusio quantosque fructus tulerint apud omnis generis homines, praesertim apud plebem. S. Francisci spiritus renovavit orbem terrarum. Non tamen defuit invidia neque insectatio, mota quum ab ordinibus antiquioribus tum a clero et universitatibus[3]).

---

[1]) Regula antiqua Fratrum et Sororum de poenitentia seu Tertii Ordinis S. Francisci, éd. *P. Sabatier*, Paris 1901. P. *Mandonnet*, Les règles et le gouvernement de l'ordo de poenitentia au XIII siècle, Paris 1902. *A. Fierens*, Le question franciscaine, Rev. d'hist. ecclés., 1907, 57—80, 286—304, 498—513; 1908, 38—46.

[2]) P. *Sabatier*, Revue hist., Tom. 62 (1896), p. 282 sq. *Paulus*, Der Katholik, Tom. 79 (1899), p. 97 sq. Haud levibus argumentis genuinitas oppugnatur a *Kirsch*, Tüb. Quartalschr., 1906, p. 81 sq.; p. 221 sq. Quam neque *H. Holzapfel* (Entstehung des Portiuncula-Ablasses, in Arch. francisc. hist. 1908, 31—44), neque *P. Ren. de Nantes* (L'indulgence de la Portioncule et la critique moderne, Couvin 1908) omnino certam reddiderunt.

[3]) *Potthast*, n. 7467, 7468, 7480. *Guilielmus de S. Amore*, De periculis nov. temp., Opp. Constant., 1632. Contra hunc *S. Thomas*, Contra impugnantes Dei cultum, et *S. Bonaventura*, Lib. apol. in eos, qui ordini minor. adversantur.

Perniciosior tamen fuit inimicus domesticus, dissensio inter eos qui rigidiora et eos qui mitiora propugnabant, quae post mortem S. Bonaventurae scissionis causa fuit. Altercatum est de paupertate, de regulae obligatione, de testamento S. Francisci. Rigidiores, qui se ipsi **spirituales** appellabant, id agebant ut studia restringerentur et coleretur fundatoris paupertas. Caelestinus V hos cum suis eremitis commiscuit. Quum autem Bonifatius VIII eos iterum disjungeret, denuo turbae obortae sunt ita ut Joannes XXII graviter intervenire debuerit. Multi spirituales non solum invehebant in ordinem, verum etiam in Ecclesiam: **fratricelli.**

5°. Eodem fere tempore, quo fratrum minorum, etiam **ordo Praedicatorum** originem habuit. Quo modo inter se fundatores Franciscus et Dominicus differebant, idem inter utrumque ordinem intercedit discrimen. Franciscus, solum animi impetum secutus, hoc ipso etiam alios nactus est, qui paupertatem sponsam suam diligerent. Dominicus illico intellexit, se ad reducendos haereticos vocari. Franciscus, non magna doctrina sed fervido ingenio eminens, initio a suis, ut videtur, nil praeter simplicitatem et ardentem charitatem postulavit; postea demum concessit ut altioribus scientiarum studiis se darent. Dominicus contra, theologiam egregie edoctus, statim a suis exegit ut doctrina inbuerentur, ad obtinendum ordinis scopum necessaria.

S. Dominicus (1170—1221) e nobili gente Gusmannorum Calarogae in Hispania natus, post absoluta Palentiae studia, renuntiatus est canonicus Oxomensis. Socius episcopi sui Diego profectus (1203) Romam, rediit per Galliam meridionalem. Ibi nactus Albigenses, praedicando conatus est eos ad rectam fidem reducere. Haud defuerunt fructus. Quum autem illudendo fastum divitiasque insultarent clericis isti haeretici, pauperrima poenitentium specie ad eos ingressus est Dominicus. Anno 1206 condidit monasterium de Prouille, quod refugium esset nobilibus puellis pauperibus. Ibi fixit sedem praedicationis, quod munus a legatis pontificibus sibi collatum acceperat. Ibi quoque collegit primos suos socios, ita ut anno 1206 primitiae ordinis sint memorandae. Etenim paulatim socii aliquot, eodem paupertatis amore et salvandarum animarum desiderio flagrantes, Dominico se adjunxerunt. Vertente autem anno 1215 Dominicus Romam adiit, de suo instituto relaturus ad Inno-

centium III et approbationem petiturus. E desiderio Papae, ad mentem decreti Lateranensis de non instituendis novis ordinibus, regula S. Augustini assumpta est, ut esset ordinis fundamentum. Anno 1216 institutum probavit Honorius III, sociorumque, anno 1217, probavit nomen *Fratrum Praedicatorum* statuitque ut praecipua ordinis occupatio esset: praedicare et scientiae studiis incumbere[1]). His annis praedicavit Dominicus in aula papali explicavitque epistolas S. Pauli. Inde officium *Magistri sacri palatii*, quo primus Dominicus functus est. Ordo interea increverat. Quid virum sanctum adegerit ad petendum a Francisco ut ordines duo miscerentur, non satis innotuit. Hoc quoque tempore Dominicus profectus est Bononiam ad celebre capitulum, quo ordinis institutio consummata est. Instituit ut accuratissima servaretur paupertas, ut ne admitteretur, praeter aedem sacram et monasterium, bonorum possessio nec privata nec communis. Dominicum haec a Francisco mutuasse, satis in comperto non est[2]). Statuta autem est eadem quae Fratrum Minorum instituti ordinatio. Singula monasteria reguntur a *priore*, provinciae a *priore provinciali*, totusque ordo a *magistro generali*. Magnum cepit ordo incrementum. Quo anno S. Dominicus obiit (1221), alteri capitulo generali intererant allegati a domibus 60; ineunte saeculo proxime sequente fuerunt provinciae 21, domus 560. Magnam sibi laudem consecuti sunt Fratres Praedicatores colendis scientiis, fungendo muneribus Praedicatorum et Inquisitorum et adducendis ethnicis ad Ecclesiam.

6°. Familia muliebris, seu **secundus ordo** S. Dominici, originem repetit a fundato monasterio de Prouille (1206). Sanctus ipse sororibus dedit regulam S. Augustini, additamentis nonnullis auctam. Alii malunt hanc familiam institutam esse anno 1217, quum Dominicus, jussu Honorii III, sorores domorum aliquot Romae in monasterium S. Sixti congregaret, iisque strictam disciplinam, clausuram et perfectam paupertatem injungeret. Habitum iis dedit eundem ac sororum monasterii de Prouille. Qui ordo, anno 1218 approbatus, multa brevi tempore habuit monasteria, aetate florentissima amplius

---

[1]) *Potthast*, n. 5402, 5403, 5428, 5434.

[2]) *Sabatier*, Vie de S. François d'Assise, p. 247, 251 sq. *Schnürer*, Franz von Assisi, p. 92. Contra hunc *J. Guiraud*, Questions d'histoire et d'archéologie chrétienne, Paris 1906: S. Dominique a-t-il copié S. François? p. 153–165.

300. Domus reliquae in Gallia oriundae sunt e monasterio de Prouille. Pauco discrimine excepto, hic secundus ordo eadem est ordinatione ac primus, unice tamen contemplationi addictus.

7°. Ei autem brevi additus est **tertius ordo** S. Dominici[1]). Quae initio appellabatur *militia Christi*, non solum sanctificationem propriam pro fine habebat sed etiam bonorum ecclesiasticorum contra haereticorum impetus defensionem. Inde ortus est postea *ordo fratrum et sororum de poenitentia*. Sed diu antea socii jam fuerunt valde multi. Quum autem satis diuturno tempore certa regula non fuerit, varius fuit tertius ordo appellatione et forma pro variis quo diffundebatur regionibus. Regula demum confecta est a Munione de Zamora (1285) approbatioque ejus reiterata ab Innocentio VII (1405) et Eugenio IV (1409).

Praeter hunc saecularium tertium ordinem efformatus quoque est tertius ordo regularium, qui incumbunt instructioni aliisque operibus charitatis. Numerosae domus dispertiuntur in varias congregationes, quae praeter regulam toti ordini communem servant constitutiones varias pro vario earum fine variisque locorum conditionibus.

8°. Strenui valde ac salutares fuerunt labores fratrum Minorum et Praedicatorum. Eorum paupertas opponebatur divitiarum et rerum mundanarum cupiditati; exemplo suo et verbis insectabantur socordiam et languorem clericorum multorum, regularium simul et saecularium. Fructibus salutaribus ubera fuit eorum praedicatio in Europa et missionum labor in Asia et Africa. Uterque ordo scientiarum studia instaurarunt, peperuntque magistros celeberrimos doctrinae scholasticae immortali gloria illustratae. Sicuti Franciscus et Dominicus ita etiam Thomas et Bonaventura amici fuerunt. Aliquantulae tamen altercationis causa fuit questio de prioritate[2]) et diversa studiorum ratio (Thomistae et Scotistae). Etiam in Hollandia numerosi

---

[1]) *Kleinermanns*, Der dritte Orden von der Busse des H. Dominikus, Dülmen 1885. *Denifle*, Arch. f. Lit. u. Kirchengesch., Tom. 165. Analecta Boll., 1899, p. 294 sq. *E. Mandonnet*, Origines de l'ordo de poenitentia, Freiburg 1898 et Les règles et le gouvernement de l'ordo de poenitentia au XIIIme siècle, Paris 1902. *Mortier*, l. c., II, 220.

[2]) Uterque superior generalis tum scripserunt epistolam communem ad utrumque ordinem. *Wadding*, Annales Min., ad an. 1255, n. 12. *Reichert*, Litt. Encycl. Mag. Gen. O. P., p. 100. *Mortier*, l. c., II, 103.

valde fuerunt Franciscani et Dominicani multaque salutaria effecerunt[1]).

9°. **Carmelitarum** ordo nomen habet a noto monte Syriae. Pulchra naturae species et Eliae prophetae[2]) memoria videntur jam antiquitus eremitas allexisse. Altera media parte saeculi XII Bertholdus Calaber eo cum sociis decem migravit, aedificavitque sacellum in honorem B. M. V. et cellam prope speluncam Eliae. Mox increvit numerus *eremitarum B. M. V. de monte Carmelo*, deditque iis S. Albertus patriarcha Hierosolymitanus, anno 1208 aut 1209, regulam, quam Honorius III, 30 Januario 1226, approbavit. Perfida illa facta pace a Frederico II cum Kamel soldano, eremitae Carmeli multum a Turcis exagitati conscensis navibus migrarunt in Cyprum, Siciliam, Galliam et Angliam. Jam anno 1245 Aylesfortii, in comitatu Cantio primum capitulum generale coactum est, in quo superior generalis est electus B. Simon Stock. Innocentius IV in concilio oecumenico Lugdunensi (1245) congregationem eremitarum sancivit esse unum ex ordinibus mendicantium, indiditque ei nomen *Ordinis B. M. V. de monte Carmelo.* Statutum est ut monasteria a priore, provinciae a provinciali, universus ordo a generali gubernaretur. Pro mutatis quoque rerum temporumque adjunctis regula nonnihil est immutata et approbata. Eximia sociorum in B. M. V. pietas, quam ubique profitebantur, consuetudo utendi scapulari[3]), quod Simon

---

[1]) *Moll*, II, 2, p. 78—107.

[2]) De Elia fundatore cf. *Papebroch*, Acta SS., Tom. I, Maii p. 774 sq. Contra hunc *Pater Sebastianus a Paulo:* Exhibitio errorum, quos D. Papebroch in Actis SS. commisit, Coloniae 1693. Cui respondit *Papebroch* (Responsio De Papebroche, Antv. 1696). Traditionem ordinis invenies in: Libri decem de institutione et processu ord. Beat. V. M. de Monte Carmelo et de peculiaribus gestis religiosorum Carmelitarum, per *R. P. Phil. Riboti.* Est manuscriptum valde accuratum in monasterio Boxmeer; quod melius quam editiones Venetae, 1507, et in Speculo Carmelitano, Antv. 1680. Cf. *B. Zimmermann O. C. D.*, Monumenta historica Carmelitana, Vol. I, continens antiquas ordinis consuetudines, acta capitulorum generalium, tractatus de prioribus generalibus, de magistris generalibus necnon epistolas diversas, Lirinae 1907. Is auctor quoque rejicit veteres legendas ordinemque originem ducere censet saeculo XII ab anachoretis de monte Carmelo.

[3]) Quae tamen consuetudo ante saeculum XVI non invaluit; ante annum 1516 nec tertii ordinis socii ad gestandum scapulare obligabantur. Cf. *Zimmermann*, op. c. Bulla autem sabbatina non est a Joanne XXII edita neque ab Alexandro V

Stock a B. V. acceperat, praecipuae causae fuerunt celeris ordinis incrementi. In Hollandia, quae pars fuit provinciae Germaniae inferioris, tempore medii aevi floruerunt domus undecim [1]). Haud vero ita statim oborti sunt secundus et tertius ordo. Jam saeculo XIII fuerant piae societates cum ordine cohaerentes. Proprie tamen et cum regula a S. Sede approbata tertius ordo demum institutus est 1452 [2]).

10⁰. **Ordo eremitarum S. Augustini** quartus est magnus mendicantium ordo. Saeculis XII et XIII pedetentim variae obortae sunt eremitarum congregationes, quae partim sponte sua, partim Paparum jussu regulam S. Augustini servabant. Praecipuae occurrunt *Wilhelmitae*, *Joannes-Boniti* anno circiter 1209 a Beato Joanne Bono prope Mantuam fundati, *Brittiniani* in marchionatu Anconae, *eremitae Tusci*, *fratres Christi sacco induti* etc. Quo autem abusus varii tollerentur et obsecundaretur canoni XIII concilii Lateranensis IV (1215) [3]), Alexander IV omnes ejusmodi congregationes in unum ordinem eremitarum S. Augustini conjunxit. Non quidem omnes, sed plurimi desiderio Pontificis paruerunt. Qui 9 Aprili 1256 novum ordinem confirmavit monuitque monachos ut novo Superiori Generali obedientiam praestarent [4]). Regulam S. Augustini servans proprias tamen sibi confecit ordo constitutiones, capitulis generalibus Florentiae (1287) et Ratisbonae (1290) confirmatas. Regiminis ordinatio erat solita; sed ordinis incrementum ita ingens ut florentissima aetate constiterit monasteriis 2000, in provincias 42 dispertitis [5]). Unde videtur relaxata esse disciplina, ut jam cito reformatione fuerit opus. Inde a saeculo XIII unus ex eo ordine est *episcopus-sacristanus* sacelli pontificii quod munus Alexander VI bulla firmavit (1497).

11⁰. Canone suo XXII concilium oecumenicum Lugdunense (1274) hos quatuor ordines mendicantium expressis verbis

---

confirmata, sed certo spuria. Cf. Zeitschr. f. kath. Theol., 1900, p. 24 sq. et *Zimmermann*, op. cit. Primum occurrit in decreto Clementis VII. Cf. Kirchenlex. Art. S. Stock et Scapulier.

[1]) *Moll*, II, 2, p. 106 sq. *P. Albers*, Studien, Jg. 34 (Deel 58), p. 358 sq.

[2]) *B. Zimmermann*, op. cit.

[3]) Canonis verba haec sunt: „Prohibetur ne quis novum religiosum ordinem instituat, sed unum ex approbatis assumat. Qui vero voluerit religiosam domum fundare, regulam et institutionem accipiat ab ordinibus approbatis."

[4]) *Potthast*, Reg., n. 16334, 16335, 16339.

[5]) In Hollandia plures fuerunt domus; cf. *Moll*, II, p. 110—111.

excepit. Arbitrabantur enim e multitudine ordinum religiosorum et congregationum generari turbationem. Quamobrem statuit concilium ut nemo ordinem novum institueret neve novum habitum induceret. Voluit „*cunctas affatim religiones et ordines mendicantes*" post concilium Lateranense IV (1215) sine approbatione institutos solvi, mendicantiumque ordines post illud tempus cum approbatione natos, interire. Singulis hominibus licitum erat, non consulta S. Sede, ad alium ordinem transire, *domibus* autem *integris* et *ordinibus integris* obtinenda erat facultas a S. Sede. A quibus statutis memorati ordines quatuor excepti sunt[1]).

---

§ 110. Ordines nonnulli minores.

Opera universalia supra § 107. *Maurini-Saulier*, Monumenta ord. Servorum B. Mariae, Tomi IX, Bruxellis 1907 sq. Histoire de l'ordre des Servites, 2 vols, Paris 1886. *Arch. Gianii*, Annales s. ord. servorum B. M. V., Lucae 1719—1723. *Ratzinger*, Geschichte der kirchlichen Armenpflege, 2 Aufl., Freiburg 1884, p. 254. *Calixte de la Providence*, Vie de S. Félix de Valois, Paris 1878, 3e éd. *Frédérique*, Lambert le Bègue, Bruxelles 1895. *Hallmann*, Geschichte des Ursprungs der Belgischen Beghinen, Berlin 1843. Tüb. Quartalschr., 1844, p. 504. Hist. Pol. Blätter, Bd. 87, p. 85 sq. *Hermens*, Der Orden vom H. Grab, 2e Aufl., Düsseldorf 1870.

1⁰. **Servitae** instituti sunt anno 1233, quum Bonfiglio et mercatores Florentini sex in Villa Camartia se congregarent[2]). Postea monasterium fundarunt in Monte Senario. Praecipuus ordinis promotor factus est S. Philippus Benitius[3]). Servabant regulam S. Augustini studebantque cultui B. M. V. ejusque septem dolorum. Alexander IV, anno 1256, confirmavit regulam, statuta et ordinem[4]). Familiam muliebrem Serviticam condidit S. Juliana Falconeria (†1341); quam vocavit **Mantellatarum.**

---

[1]) *Mansi*, XXIII, 96—97. Cap. I. De rel. dom. in VI (III, 17). „Sane ad Praedicatorum et Minorum ordines, quos evidens ex eis utilitas ecclesiae universali proveniens perhibet approbatos, praesentem non patimur constitutionem extendi. Ceterum Eremitarum S. Augustini et Carmelitarum ordines, quorum institutio dictum concilium generale praecessit in solido statu volumus permanere."

[2]) Septem fundatores anno 1888 a Leone XIII in numerum sanctorum sunt relati.

[3]) *Saulier*, Vie de S. Philippe Benizi, Propagateur de l'ordre des Servites, Paris 1886.

[4]) *Potthast*, n. 16302.

2⁰. **Trinitariorum** [1]) ordinem fundaverunt anno 1119 S. Joannes de Matha et S. Felix Valesius [2]). Nomen denotat scopum: „*Ordo SS. Trinitatis in redemptionem captivorum*". A sacello S. Mathurini [3]) Lutetiae Parisiorum, ubi ordinis socii convenire solebant, appellati quoque sunt Mathurini. Monasterium princeps fuit Cervi frigidi (Cerfroy) in dioecesi Meldensi. Diffudit se ordo in Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam, Hispaniam et Americam. Aetate sua florentissima numeravit monasteria 250, dispertita provinciis 17. Servi bis centies mille per ordinem fuerunt libertati restituti [4]).

3⁰. Eundem finem prosecutus est **Mercedariorum ordo** seu *Ordo B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum* [5]), fundatus a S. Petro Nolasco et S. Raymundo de Pennaforte, anno 1223. Initio inter socios fuerunt plurimi nobiles et equites, quod ordo esset imprimis militaris, postea simplices religiosi tantum, sacerdotes et laici conversi (1317) [6]). Tribus solitis votis addebant quartum, manendi in pignus sub paganorum potestate si ad liberandum christianum, periclitantem de fide, ita opus esset. Uberes protulit ordo fructus curandis animis et missionibus incumbendo, praesertim in America, quo Mercedarios secum duxit Christophorus Columbus. Numerat hodie socios 500, dispersos in Europa meridionali et America [7]).

4⁰. **Beguinae** instituae sunt a Lamberto le Bègue (†1187). Nondum satis liquet, unde habeant nomen. Jam saeculo XIII Beguinarum domus numerosae fuerunt in Belgio, Hollandia, Germania et Gallia. Aetate florida numerabantur in Belgio 94, in Hollandia 27. Identidem Beguinae in suspicionem haereticam inciderunt, ita ut synodus oecumenica Viennensis, 1312, inter-

---

[1]) *Bonav. Baro*, Annal. ord. SS. Trin., Romae 1684. *Emelin*, Die Litt. zur Geschichte des Ordens SS. Trinit., Karelsruhe 1890. *Antonio dell' Assumptione*, Arb. chronol. ord. excalceat. SS. Trin., Romae 1894. *Deslandres*, L'Eglise et le rachat des captifs, Paris 1903. *Idem*, L'ordre des Trinitaires pour le rachat des captifs, Paris 1903.

[2]) *Calixte de la Provid.*, Vie de Saint Félix de Valois, 3e éd., Paris 1878.

[3]) *Thoison*, S. Mathurin, Etude hist. et iconographique, Paris et Orléans 1889.

[4]) Paucae hodie supersunt domus in Italia, Hispania et America meridionali.

[5]) *Bern. de Vargas*, Chronica sacri et militaris ordinis B. M. de Mercede, Palermo 1619. *Gari y Sicemell*, Bibliotheca Mercedaria, Barcelona 1875.

[6]) Quum Joannes XXII statuisset superiorem generalem debere esse sacerdotem, equites ex ordine egressi se equitibus Montesanis adjunxerunt.

[7]) *Gams*, Kirchengeschichte v. Spanien, III, 1, 236 sq.

dixerit ne essent earum domus. Joannes vero XXII permisit eas esse quae in suspicionem non venerant. Segregatae a saeculo, Beguinae vitam piam degebant, non emissis votis. Pro tempore autem quo in domo habitaturae essent, promittebant se castitatem et obedientiam servaturas, non vero paupertatem. Regebant eas Matrissae et parochus. Etiam nunc sunt in Belgio, Hollandia et Gallia[1]).

5⁰. Ineunte saeculo XIII, in Belgio praesertim et Hollandia, condita sunt quoque ejus generis instituta pro viris. Appellabantur *Beghardi* et *Beguini*. Communione bonorum non sociati, simul habitabant, e. c. Middelburgae, Amstelodami, Silvae Ducis, Ruremundae et Trajecti ad Mosam. Postea fere ubique crimine haeresis accusati sunt et saepe damnati (1311, 1312, 1317, 1318, 1330)[2]). Saepius tamen eorum nomina permutata sunt cum *Fraticellis*, *Schwesterionibus*, *Lollardis*. Ob errores et animos fanaticos undique exagitati vel ante reformationis tempus disparuerunt.

6⁰. Praeterea fuerunt *fratres hospitales S. Antonii*[3]) (1095), *fratres Lazari* (saeculo XII), *fratres pontifices* (pontium fabricatores) in Gallia (1189), *ordo S. Sepulcri* Hierosolymis (1114), *fratres hospitales S. Spiritus* in Italia et aliis regionibus (1198), *Scotorum monasteria* in Germania (vertente saeculo XI). Insuper plura instituta alia, e. c. pro canonissis, pro feminis nobilioribus, ut in Hollandia, Rynsburgi et Thorn.

---

§ 111. **Ordines militares.**

H. Helyot, Histoire des ordres monastiques, religieux et militaires, Paris 1714—1719. *J. Saresburgensis*, Polycraticus, VI, 8—10. *Migne*, P. L., Tom. 199, p. 600—602. De primordiis et inventione s. religionis Jerosolymorum, *Migne*, P. L., Tom. 155, p. 1098 sq. *E. Parodi*, Storia dei cav. di S. Giovanni de Ger., Bari 1907. *Joosting*, Onuitgegeven pauselijke bullen enz. Nederl. Arch. v. Kerkgesch. 1901, bl. 275 sq. *Delaville le Roux*, Cartulaire générale des Hospitaliers etc., Paris 1894 sq. *Idem*, Les Hospitaliers en Terre Sainte, Paris 1904. Der Johanniten-Orden. Seine Geschichte und Entwicklung Berlin 1908. *Wilcke*, Geschichte des Ordens

---

[1]) *Mosheim*, De Beghardis et Beguinabus, Lipsiae 1790. *H. Nimal*, rédemptoriste, Les Béguinages, Nivelles 1908. Cf. *Moll*, II, 2, 148 sq. *J. H. Albanès*, La vie de Sainte Douceline, fondatrice des Béghines de Marseille, Marseille 1879. *Legrand*, Les béghines de Paris, Paris 1894.

[2]) *Denzinger*, ed. 9, p. 135 sq., ed. 10, n. 471 sq.

[3]) *Avielle*, Hist. de l'ordre hospitalier de Saint-Antoine 1883. *Dom. Dyon.*, L'Eglise abbatiale de Saint Antoine, Grenoble 1902.

der Tempelherren, 2 Bde, 2e Aufl., Halle 1860. *Prutz*, Entwicklung und Untergang des Tempelherrenordens, Berlin 1888. *Knöpfler*, Die Ordensregel der Tempelherren (Hist. Jahrb., 1887, p. 666 sq.). *Schnürer*, Die ursprüngliche Templerregel etc. (Stud. u. Darstellungen etc., III, 1—2, Freiburg 1903). *De Curzon*, Règle du Temple, Paris 1886. *Voigt*, Geschichte des Deutschen Ritterordens, 2 Bde, Berlin 1857—1859. *D'Ablaing van Giessenburg*, De Duitsche orde of beknopte gesch., indeeling en statuten enz., Den Haag 1857.

1°. Tempore primus fuit **ordo S. Joannis.** Jam anno 1048, agentibus mercatoribus Amalphitanis conditum est Hierosolymis nosocomium pro peregrinantibus aegrotis. Cui mox additum est alterum. Ii qui huic ministerio operam navabant duce Gerardo, superiore suo, expugnata Hierosolyma dedere se aegrotis curandis perrexerunt, fueruntque bonis multis dotati a Godofredo Bouillonaeo. Sibi nomen dederant *fratres hospitales S. Joannis Baptistae* et hoc nomine a Paschali II in congregationem sunt sociati (1113)[1]). Raymundus Podiensis (du Puy), eorum superior secundus, obligationem suis imposuit pugnandi adversus infideles, atque ita institutum ad honores ordinis militaris evexit (1120). Ab Innocentio II (1130) confirmatum ordinem Anastasius IV multis privilegiis ornavit[2]). Constabat sacerdotibus, equitibus et fratribus. Sacerdotes exercitiis religionis et cura aegrotorum, equites vero et fratres armis occupabantur. Aegrotorum autem ministeria paulatim fere in desuetudinem abierunt. Induebantur vestitu nigro, distincto in pectore cruce candida. In vexillo adsuta erat crux rubra. Ordinis caput fuit magister generalis, adjutoribus consiliariis et capitulo generali. Dividebatur autem ordo in regiones, balias et commendas. Quae ultimae in Hollandia satis frequentes fuerunt. In sola parte septentrionali numerabantur fere 20[3]). De defendenda Terra Sancta ordo optime meruit. Deperdita Hierosolyma (1187), sedem fixerunt Acconii, post annum 1291 in Rhodo insula. Tandem inde etiam expulsis (1522) dedit Carolus V insulam Melitam, unde iis etiam nomen est ordo Melitensis. Hic steterunt usque ad revolutionem Gallicam.

2°. Anno 1118 Hugo de Paganis, Godofredus de

---

[1]) *Jaffé*, n. 4703. *Mansi* XXI, 87 sq. *L. Bréhier*, L'Eglise et l'Orient au moyen-âge, p. 96 sq.

[2]) *Mansi*, XXI, 780 sq. *Jaffé*, n. 9930.

[3]) *Moll*, II, 2, p. 137 sq.

S. Audomaro, cum aliis equitibus septem, Hierosolymis inierunt societatem, qua vitam monachalem cum equestri, ascesin cum armis jungerent et peregrinantes in Terram Sanctam tutarent. Balduinus II donavit iis partem palatii sui, Salomonis templum appellatam, unde nomen habent **equitum templi.** Ordinis eadem instituti ratio est quae S. Joannis. Anno 1128 primus ordinis magister generalis Hugo de Paganis adivit synodum Trecensem, in qua militibus pro vestitu datum est pallium album, et regula praescripta, quam S. Bernardus confecerat[1]). Eugenius III addidit crucem rubram in sinistra pectoris parte. Anno 1172 Alexander III facultatem fecit etiam clericos in ordinem admittendi. Post breve tempus ordo factus est terror infidelium et omnium veneratione fruebatur. Initio valde pauper, ita ut Hugoni de Paganis et Godofredo de S. Audomaro unus tantum esset equus, quo uterque veheretur, paulatim ingentes nactus est ordo divitias, primum a synodo Pisana (1135), dein a Raymundo Barcinonensi (1143). Accrescentibus eorum privilegiis et potestate, disciplina enervabatur. Jam anno 1179, synodus oecumenica XI de arrogantia templariorum conquesta est. Cujus *canones* in synodo Londinensi (1200) repetiti sunt[2]). Innocentius III, anno 1207, reprehendit eos de defectu obedientiae et de voluptate[3]). Magno quoque detrimento fuerunt perpetuae inter Templariorum et S. Joannis ordinis discordiae. Quae quidem reconciliata est pacto 2 Aug. 1179; at litium fons, invidia exstincta non est[4]). Quum, expugnata Accone (1291), sedem suam fixisset ordo in Cypro insula[5]), haud diuturna mora Philippus Pulcher coepit insectari ordinem, cujus anno 1312 gloria et vita exstincta est[6]). In Hollandia fuerunt Templariorum commendae fere 20 et opulentissima bona.

3⁰. Dum Accon obsidebatur, cives aliquot ex urbibus Brema et Lubeca condiderunt hospitium castrense pro Germanis

---

[1]) Huic regulae postea additamenta adjecta sunt a Stephano, patriarcha Hierosol., *Mansi*, XXI, 359—372.

[2]) Lateran. III, can. 9; Lond., can. 14.

[3]) *Migne*, P. L., Tom. 215, p. 1217: „implent voluptates; cum debuissent aliis esse odor vitae in vitam, facti sunt odor mortis in mortem."

[4]) *Jaffé*, n. 8739. *Migne*, P. L., Tom. 200, p. 1243 sq.

[5]) *Mas-Latrie*, Histoire de Chypre, I, 29.

[6]) Acta vide infra, § 117, n. 3.

peregrinantibus. Quae incepta adeo placuerunt Frederico Suevo ut ea dirigenda mandaverit sacellano suo Conrado et Burchardo cubiculario. Capta urbe, institutum appellaverunt *Hospitale B. M. V. Germanorum in Hierusalem*, eo quod sperabant fore ut Accone posset transferri Hierosolymam (1190). Clemens III[1]) et Caelestinus III[2]) benevole sentiebant erga institutum, quod, potentissima ope Frederici Suevi in ordinem militarem commutatum, ab Innocentio III probatum est. Appellatus est **Ordo equitum Teutonicorum.** Constabat sacerdotibus et equitibus, occupabatur arte militari et curandis aegrotis[3]), atque ab Honorio III omnibus equitum S. Joannis et Templariorum privilegiis ornatus est[4]). Magister generalis primus fuit Henricus Walpot Bassenhemus. Celeri capto incremento, fortitudine praesertim in obsidione Damiatae equites praevaluerunt (1219). Celeberrimo magistro generali Hermanno de Salza[5]) jussi sunt pugnare contra Borussos paganos. Tum ordo fratrum ensiferorum se iis adjunxit (1238). Pro cultu et humanitate multum ordini debet Borussia. Inde ab anno 1309 sedes ordinis fuit Marienburg ad Nogatum. Magister generalis Albertus Brandenburgensis anno 1525 descivit ad sectam protestantium et possessiones ordinis transmutavit in ducatum saecularem. Qui fidem servaverant equites, sedem suam principem collocaverunt *Mergenthemii* in Wurtenbergia. Residuus hodie est ordo in Austria. In Hollandia plurimas possedit ordo domus neque hodie exstinctus est. „*Domus Teutonica, balia Ultrajectina*, inquit Moll, *superest hodie, quippe nobilissimi quidam viri, qui neque aegrotis ministrant neque infideles oppugnant, reditus percipiunt ex ordinis possessionibus etiam nunc opulentissimis, hominum medii aevi religione ad pias causas collatis, fruunturque privilegio in suum ipsorum dedecus et contra probitatis sensum populi nostri*" [6]) Pro lege est ut qui percipiant, fidem protestanticam profiteantur.

---

[1]) *Jaffé*, n. 16667.

[2]) *Jaffé*, n. 17467.

[3]) *Migne*, P. L., Tom. 214, p. 525: „Juxta modum Templariorum in clericis et militibus et ad exemplum Hospitaliorum in pauperibus et infirmis."

[4]) *Potthast*, n. 5386, cf. 7932.

[5]) *Koch*, Hermann v. Salza, Meister des Deutschen Ordens, Leipzig 1885.

[6]) *Moll*, II, 2, p. 141 sq. 148. Cf. *D'Ablaing van Giessenburg*, op. cit., p. 165 sq.

4⁰. Commemorandi quoque sunt ordines militares nonnulli minores. Imprimis ordo de *Calatrava* (1164)[1], dein ordo de *Alcantara* (1156)[2]; militia *S. Jacobi*, in tutelam peregrinantium Compostellanorum (1175)[3]; milites *Eboracenses* (1162)[4], ordo S. Michaelis seu de *Ala* (1166)[5] et *Fratres gaudentes* (1233).

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 200, p. 310 sq. *Jaffé*, n. 9993.

[2]) *Potthast*, n. 9905.

[3]) *Migne*, P. L., Tom. 200, p. 1024 sq.

[4]) *Migne*, P. L., Tom. 183, p. 1661 sq.

[5]) *Migne*, P. L., Tom. 188, p. 1674. *A. Padula*, Gli ordini cavallereschi del regno di Portogallo, Napoli 1908.

CAPUT QUINTUM.

SACRAMENTA. CULTUS RELIGIOSUS ET VITA MORALIS.

§ 112—§ 114.

§ 112. Sacramenta.

Schanz, Die Lehre von den Sacramenten der katholischen Kirche, Freiburg 1893. *Bach*, Die Siebenzahl der Sacramente, Regensburg 1864. *P. Pourrat*, La Théologie sacramentaire, Etude de théologie positive, Paris 1907. *Thalhofer*, Handbuch der kath. Liturgik, 2 Bde, Freiburg 1883—1894. *Franz*, Die Messe im Deutschen Mittelalter, Freiburg 1902. *Ebner*, Quellen und Forschungen zur Gesch. und Kunstgesch. des *Missale Romanum* im Mittelalter, Freiburg 1896. *P. A. Kirsch*, Zur Gesch. der kathol. Beichte, Würzburg 1902. *Pijper*, Gesch. der boete en biecht in de christel. Kerk gedurende de middeleeuwen, Deel 1—2. 's-Gravenhage 1896—1908. *Kurz*, Die kath. Lehre vom Ablass vor und nach dem Auftreten Luthers, Paderborn 1900. *E. Göller*, Die päpstliche Poenitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V, I Bd., Rom. 1907 (Bibl. des K. preus. hist. Instit., III—IV): *Lépicier*, Les indulgences. Leur origine, leur nature, leur développement, 2 vol., Paris 1903. *Freisen*, Gesch. des kanonischen Eherechtes, Tübingen 1888.

1°. Ineunte hac periodo, verbum **Sacramentum** nondum certa sua fuit significatione qua postea. Sic Hugo a S. Victore usum aquae lustralis et cineris benedicti adhuc vocabat sacramentum et templi dedicationem adnumerabat sacramento sacri ordinis[1]). Godofredus Vindocinensis, supputando sacramenta, sola retulit baptismum, confirmationem, extremam unctionem et S. Eucharistiam[2]); Sigebertus Gemblacensis († 1112) tria tantum enumeravit[3]) et Synodus Londinensis (1237) septem sacramenta *praecipua* vocavit[4]). Usus tamen magis magisque invaluit utendi nomine *Sacramenti* sola significatione, qua nos eo utimur, idque praesertim inde a certamine cum

---

[1]) Lib. I de sacramen. fid., pars 9, cap. 7; lib. II, pars 3—4.

[2]) *Migne*, P. L., Tom. 157, p. 226.

[3]) *Pertz*, VIII, SS., 362 sq.

[4]) *Hefele*, V, 1056.

Katharis. Otto Bambergensis primus fuit, qui anno 1124 ordine atque aliud post aliud septem enumeraverit sacramenta[1]). Mox idem fecerunt Petrus Lombardus (c. 1150)[2]), Alanus ab Insulis[3]) et celeberrimae *Constitutiones Synodicae* Odonis Parisiensis (c. 1197)[4]).

2⁰. Etiam hoc tempore **baptismus** solebat administrari immersione trina. At inde a saeculo XII magis invaluit usus trinae aspersionis[5]). Audiebantur adhuc querentes de diu dilato baptismate, cujus abusus causae fuerunt etiam magnae faciendae expensae pro patrino et matrina[6]). Catechumenatus minus diuturnus factus est, perseveravit tamen. Currente saeculo XII, inveniuntur qui dubitando vel erronee loquantur de formula baptismi. Saeculo vero XIII vulgo apud omnes certa formula est. Ter in anno populus fuit conferendi baptismi modum docendus[7]). **Confirmatio** administrabatur sicut hodie. In occidente non confestim post baptismum dabatur confirmatio. Synodi aliquot voluerunt ut jejunis tantum conferretur. Fuerunt etiam querelae de neglecto hoc sacramento. Post S. Thomam firma fuit opinio, Papam posse delegare sacerdotem conferendae confirmationis gratia[8]).

3⁰. Inde a Gregorio VII in occidente **S. Missa** dicebatur juxta ritum Romanum[9]). Extra ecclesias cathedrales, capitularias et monachales solis maximis diebus festis Missa cum horis canonicis jungebatur. Oblationes fiebant praesertim cera et nummis. Saeculo undecimo, post Berengarii haeresin, usus obortus est elevandi ad adorandum S. Hostiam post consecrationem et dandi simul signum tintinnabuli. Calicis elevatio Romae inchoavit saeculo XIV et saeculo XV in usum communem venit. In Ecclesia Graeca autem duplex illa elevatio jam inde a saeculo XII usitata fuit. Synodus Placentina, cui prae-

---

[1]) *Herbordi Vita*, Lib. II, c. 18. *Pertz*, XX, 733.

[2]) Lib. IV Sent., d. 2—3.

[3]) *Migne*, P. L., Tom. 210, p. 679.

[4]) *Mansi*, XXII, 673.

[5]) Synodus *Ravennatensis* 1311, can. XI dicit: „sub trina aspersione vel immersione." *Hefele*, VI, 455.

[6]) *Hefele*, VI, 232.

[7]) *Hefele*, VI, 502.

[8]) Summ. Theol., III, q. 72, 11.

[9]) Scriptores liturgici eminuerunt Rupertus Tuitiensis, Ivo Carnotensis, Innocentius III, Gulielmus Durantis.

sedit Urbanus II, introduxit praefationem B. M. V., ita ut numero ad decem perducerentur praefationes, sicut adhuc hodie sunt. Dum hinc Concilium Lateranense IV (1215) conquereretur de socordia sacerdotum, vix quater in anno celebrantium, hinc vero plurimae synodi reprehenderunt abusum saepius de die S. Missam dicendi [1]). Permissum id reliquerunt solis diebus Nativitatis et Paschatis, alibi diebus Pentecostes et Omnium Sanctorum et si adveniret vir primarius. Innocentius III facultatem saepius de die faciendi Sacrum restrinxit ad solum diem Nativitatis et ad casum omnimodae necessitatis. Unde consequitur binandi lex. *Missa* vero *sicca*, i. e. sine consecratione, oblatione aut communione, *missa bifaciata*, *trifaciata* etc. i. e. cum duplici, triplici etc. Introitu, Epistola, Evangelio, missae defunctorum pro vivis, quo citius morerentur, strictissime interdictae erant.

Post baptismum dare **S. Communionem** infantibus sensim in desuetudinem abiit [2]), sicut etiam eam dare sub utraque specie. Qui tamen usus multis in locis durabat saeculo XIII. Romae, in solemnioribus Papae sacris, etiam saeculo XV. Propter Joannis Hussi errorem vetitum fuit a synodo Constantiensi impugnare usum unius speciei [3]). Jam synodus Lateranensis IV (1215), gravibus propositis poenis, statuit ut omnes fideles minimum semel in anno, Paschatis tempore, communicarent [4]). Ad aegrotos S. Communio solemnius quam antea portabatur; magnam reverentiam testabatur hominum deducentium frequentia, lumen et signa campanae vel tintinnabuli. Ante altare, pyxidem, armarium et ante tabernaculum ad modum turris in parte Evangelii (Sacramentshäuschen) semper lux collucebat.

4°. In administrando **poenitentiae** sacramento inde a saeculo XIII formula absolutionis *indicativa*, loco *deprecativae*, in usum universalem recepta est [5]). Synodus oecumenica Lateranensis (1215), gravibus injunctis poenis, ursit ut servaretur sigillum et ut fideles saltem semel in anno *proprio sacerdoti* confiterentur. E quibus ultimis verbis orta mox est vehemens controversia. Episcopi, universitates, parochi defenderunt, non licere fidelibus ad parochiam pertinentibus, invito parocho, confiteri

---

[1]) *Hefele*, V, 796, 922, 947, 951 sq.; 1007, 1082; VI, 183, 219, 455, 539.

[2]) Synodus Trevir. 1227. *Hefele*, V, 947.

[3]) Sess. XIII.

[4]) *Mansi*, XXII, 1006, 1010.

[5]) Cf. *Hefele*, V, 948: „Auctoritate, qua fungor, ego te absolvo" etc. (1227).

monacho. Pontifices Romani, Gregorius IX et Honorius III hac in re concesserunt privilegia, quae tamen Innocentius IV bulla sua *Etsi animarum* (1254) revocavit[1]. Sed ejus successor Alexander IV bulla *Nec solitum* eodem anno privilegia restituit. Etiam non obtento consensu parochi, cum facultate Papae, legati ejus, aut episcopi, confessiones audiebant. Jam discriminabantur casus Papae vel Episcopo reservati. In usu satis communi fuit et multum commendabatur tempore necessisatis confiteri laico. Tenuerunt tamen semper, laico non esse facultatem absolvendi[2].

Poenitentia perseveravit esse ardua. Post *decretum Gratiani* et Gregorii IX *decretales*, antiquiores *canones poenitentiales* non quidem abrogati sunt, sed facto in desuetudinem abierunt. Henricus de Segusia († 1271) cardinalis *canones* composuit 46, quos Bonaventura in suum *Confessionale* transtulit et aliquot aliis auxit. Poenitentia in his praescripta parum diversa est a praecedentis periodi: precationes, eleemosynae, jejunia, peregrinationes, ingressus in monasterium, flagellationes, susceptio expeditionis sacrae[3]. *Flagellantium processiones* saeculo XIII et XIV multos generarunt abusus et interdictae sunt. Non tamen statim finem ceperunt, imo multo frequentiores fuerunt grassante *morte nigra* (saeculo XIV) et, Gallia excepta, ubique fiebant[4]. At in usu mansit jam memorata **redemptio; seu potius, causae, cur quis, non facta** poenitentia, a poenis ecclesiasticis absolveretur, multo sunt frequentiores admissae, ita ut poenitentia publica multo rarior sit reddita. Quod quidem partim consecutum est ex eo quod benignius concederentur **indulgentiae.** Ex eo enim quod redemptiones, quae hucusque particulares erant, factae sunt communes, ita ut quilibet certis conditionibus partem poenitentiae vel etiam totam redimere posset, natae sunt indulgentiae[5]. Quando et quomodo

[1] „Sacerdos, inquit, in domo Domini quasi passer unicus in aedificio remanens derelictus, suorum parochianorum solatio et consuetis oblationibus defraudatur."

[2] *P. Laurain*, De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence, Paris 1899. Cf. Suppl. Summae Theol., S. Thom., qu VIII, a. 1, 2 sq.

[3] *Schmitz*, Bussbücher, Mainz 1883, p. 792 sq.

[4] *Cooper*, Der Flagellantismus und die Flagellanten (versum a Dohrn), Dresden 1899. *Moll*, II, 3, p. 73 sq.

[5] *Paulus*, Die Anfänge des Ablasses, Zeitschr. f. Kath. Theol., Bd. 33 (1909), S. 281 sq.

factus sit transitus a redemptione ad indulgentiam proprie dictam, adhuc incertum manet. Prima indulgentia, cujus epistolam authenticam novimus, data est ab Alexandro II (1061—1073) papa. Ineunte saeculo XIII nimis larga facta est illa benignitas, ita ut Innocentius III (1215) ademerit episcopis facultatem dandi indulgentiam *plenariam*, et facultatem concedendi *partiales* restrinxerit[1]). Papae tamen ipsi frequenter dabant indulgentiam *plenariam* iis qui crucem susciperent, milites pararent, navem construerent aut aliis modis instruendae expeditioni sacrae opem ferrent. Innocentius III indulgentiam plenariam concessit pro struendo ponte in Rhodano, prope Lugdunum; Innocentius IV pro aedificando templo cathedrali Coloniensi (1248). Anno 1300 primum edixit Bonifatius VIII *jubilaeum*, indulgentiamque plenariam proposuit omnibus, qui Romam adirent statutasque pro indulgentia conditiones implerent. Postea indulgentia hac frui poterant etiam ii, qui iter Romanum non facerent[2]). Indulgentias *partiales* saepe concedebant episcopi pro faciendis pontibus, anno 1284 Trajecti ad Mosam, 1286 Esslingii, 1300 Moguntiae[3]). Pro omni autem lucranda indulgentia requirebatur status gratiae et bonum opus praescriptum. Non omnes, quas in scriptis medii aevi invenimus absolutiones, videntur indulgentiae fuisse, sed potius formulae deprecativae[4]).

5⁰. Propterea quod **matrimonium** ineuntes ipsi ministri sunt matrimonii, etiam matrimonium clandestinum validum habebatur, sed graviter illicitum. Paulatim in synodis multis proclamationes[5]) praescriptae sunt, impedimenta[6]) statuta, tempus clausum definitum est et argumentis explicatum, non posse solvi matrimonium, ne in casu quidem adulterii.

[1]) Lat. IV, can. 62.

[2]) *P. Albers, S. J.*, Het jubilé in de Middeleeuwen, Studien 1900, Dl. 54. *E. Rodocanach*, Le premier jubilé de 1300, Paris 1900.

[3]) *Michael*, Gesch, d. deutschen Volkes, I, 170—171.

[4]) *Paulus*, Mittelalterliche Absolution als angebliche Ablässe, Zeitschr. f. Kath. Theol. 1908, Heft III—IV. Cf. tamen *Gottlob*, Kreuzablass und Almosenablass, Kirchenr. Abh. 1906. *Idem*, Ablassentwicklung und Ablassinhalt im XI Jahrh., Stuttgart 1907.

[5]) *Hefele*, V, 797, 895, 948, 1153; VI, 439, 446, 549 etc.

[6]) Jam *Petrus Blesensis* (saec. XII): „votum, inquit, conditio, violentia, spiritualis paternitas, error dissimilisque fides, Aetas, turpe scelus, sanguis, conjunctio, tempus. Haec si canonico vis consentire vigori, Te de jure vetant jura subire thori." *Migne*, P. L., Tom. 207, p. 343—345. Cap. Cum inhibitio, 3 de cland. matr. (4, 3).

6°. Fuerunt doctores quidam qui dixerint, **S. Unctionem** non esse dandam saepius uni personae, propterea quod poenitentia quoque publica semel tantum concederetur. Alii usum hodiernum defendebant. Hinc formula indicativa, hinc deprecativa utebantur, requirebantque vulgo aetatem quatuordecim annorum [1]).

---

§ 113. Cultus religiosus.

Kellner, Heortologie oder das Kirchenjahr und die Heiligenfeste in ihrer geschichtlichen Entwicklung, Freiburg 1901. *Bäumer*, Geschichte des Breviers, Freiburg 1895. trad. Gall. Biron, 2 vols, Paris 1905. *Lecoy de la Marche*, La chaire française au moyen-âge, Paris 1886. *Albert*, Geschichte der Predigt in Deutschland bis Luther, III Theil, Gütersloh 1896. *Braun*, Die liturgische Gewandung im Occident und Orient nach Ursprung und Entwicklung, Verwendung und Symbolik, Freiburg 1907. Mit 316 Abbildungen. *Beissel*, Geschichte der Verehrung Marias in Deutschland während des Mittelalters, Freiburg 1909. *Idem*, Die Verehrung der Heiligen und ihrer Reliquien in Deutschland, 2 Bde, Freiburg 1890—1892. *Kronenburg*, Maria's Heerlijkheid in Nederland, Deel 1—5, Amsterdam (1904—1909). De Katholiek, Deel 111 (1897), p. 252 sq.

1°. Ad cultum religiosum pertinebant imprimis **festa** ecclesiastica. Quod hac aetate originem duxit, praecipuum est *festum Corporis Domini*. Institutum est Leodii, anno 1247, ob revelationes S. Julianae Cornelionensi factas. Anno 1260 commercium litterarum hac de re habuit Henricus episcopus cum Urbano IV, qui fuerat Leodii archidiaconus. Interea, anno 1263, Bolsenae in Italia celeberrimum factum est miraculum SS. Sacramenti [2]). Tum ad universam Ecclesiam festum extendit Urbanus IV [3]). Non tamen universe agebatur festum nisi posteaquam in synodo oecumenica Viennensi (1311—1312) Clemens V bullam Urbani IV confirmando suam fecit [4]). Pulcherrimum officium a S. Thoma compositum est [5]).

2°. Hac aetate multum increvit **veneratio B. M. V.** transiitque in vitam populorum quotidianam. Frequentes valde aedes sacrae aedificatae sunt et peregrinationes in ejus honorem in-

---

[1]) *Kern, S. J.*, De Sacramento extremae unctionis tractatus dogmaticus, Ratisbonae 1907.

[2]) *Pastor*, Gesch. der Päpste, III, 796 sq.

[3]) Vide bullam apud *Raynaldum*, ad an. 1264, n. 27.

[4]) Cap Unicum, de reliq. et de Ven. SS. in Clem. (3, 16).

[5]) *Echard*, Scriptores, I, 340.

stitutae. Solebat jejunari die Sabbatho et in vigiliis festorum B. M. V. Ad augendam eam in Matrem Dei pietatem multum contulerunt ordines mendicantium. Carmelitae hoc tempore propagarunt usum scapularis. Frequenti usu fuit *Ave Maria*. Verbis Archangeli et S. Elisabeth addidit, valde probabili conjectura, Urbanus IV verba: *Jesus Christus. Amen*[1]). Cultum B. M. V. promoverunt prae ceteris S. Bernardus et S. Bonaventura scriptis suis, quae mox in varias linguas translata plurimorum manu versabantur. Anno 1263 Franciscani agebant festum *Visitationis*, quod anno 1389 ab Urbano VI et Bonifatio IX Universae Ecclesiae praescriptum est. Fratres Praedicatores quoque multum ad colendam B. M. V. contulerunt praedicando, addendo ad Completorium hymno *Salve Regina*, propagando recitationem quotidianam parvi officii in honorem B. M. V.

Festum *Conceptionis* in Oriente jam saeculo VIII celebrabatur die 9 Decembri, sub titulo Conceptionis Annae. In Hibernia et Neapoli jam occurrit saeculo IX, in Anglia ante medium saeculum XI. Fuitne honor Conceptioni Immaculatae delatus? Quidquid tandem respondetur, certum est fautores festi ineunte saeculo XII, Anselmum Edmundoburgensem, Osbertum Claretanum, Eadmerum, Nicolaum S. Albani privilegium Conceptionis Immaculatae claris verbis illustrasse. Ex Anglia translatum festum est Rotomagum et in Normandiam, atque inde in alias Galliae ecclesias[2]). S. Bernardus satis acriter se opposuit. Fuerunt quoque qui negarent privilegium. Duns Scotus autem praecipuam difficultatem theologicam solvit.

3⁰. Etiam **cultus Sanctorum** valde increvit. Cujus rei causae fuerunt praecipuae expeditiones crucigerorum et expug-

---

[1]) *Esser*, Gesch. des Engl. Grusses (Hist. Jahrb. der Görresges., 1884, p. 88 sq.).

[2]) Cf. *Eadmeri*, Tract. de Conc. S. Mariae, ed. *Thurston* et *Slater*, Friburgi 1904. *E. Vacandard*, Les origines de la fête de la Conception dans le diocèse de Rouen et en Angleterre (Revue des quest hist., Janvier 1897). *H. Lesètre*, L'Immaculée Conception et l'Eglise de Paris, Paris 1904. *H. Thurston*, The Irish origins of our Lady's Conception feast, The Month, 1904. *A. Noyon*, Les origines de la fête de l'Immaculée Conception en Occident, Etudes 1904. *Ed. Bishop*, On the origins of the feast of the Conception of the blessed Virgin Mary, London 1904. *P. Doncoeur*, Les premières interventions du S. Siège, relatives à l'Immaculée Conception (Rev. d'hist. ecclés., 1907—1908).

nata Constantinopolis (1204), quum reliquiis asportatis occidens quasi obrueretur. Haud raro Pontifices debuerunt fraudibus et credulitati sese opponere. Alexander III (1159—1181) canonisationem cepit sibi. Festa S. Nicolai, S. Mariae Magdalenae, S. Laurentii, S. Michaelis, S. Joannis Baptistae etc. multis in locis obligatoria facta sunt. Etiam cultus S. Josephi, quamquam proprio festo non gaudebat, semper in dies augebatur [1]). Universe festorum numerus valde magnus fuit. Synodus Szaboletana (in Hungaria) supputabat ad 40 (1092), Tolosana (1229) 40; synodus Oxoniensis (1222) festa integre agenda praecepit 53, partim celebranda 21. Joannes de Arkel, episcopus Ultrajectinus, praeter dies dominicos, festa amplius 50 obligatoria statuit [2]). Famulis et colonis hi dies quietis haud sane ingrati fuerunt.

4⁰. Per haec introducta festa multo major quoque in **officium divinum** invecta est varietas. Inde a saeculo XI horae canonicae canonicorum tribus lectionibus breviores erant quam monachorum Haud parum brevius redditum officium est per retractationem factam a magistro Generali Franciscanorum, et a Nicolao III inductam pro clero Romano. Propterea quod aliud exercitium religiosum pomeridianum eo tempore non fiebat, frequentissimi fideles intererant officio, quod non solum in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et monachalibus, verum etiam nonnumquam in parochialibus solemniter cantabatur.

5⁰. Cum festis et officio aliqua ratione **dies jejunii** cohaerebant. Jejunium tempore adventus et die Sabbatho paulatim fieri desiit. Permanserunt autem jejunia tempore Quadragesimae, quatuor temporum et vigiliarum. Mitigata tamen nonnihil sunt. Refectio integra a vespere ad meridiem translata est; vespere collatio concessa, et in lacticiniis saepe dispensatum.

6⁰. Hac periodo eloquentia ecclesiastica valde floruit. Pro conficiendo **sermone** multum quidem adhuc utebantur homiliariis; paulatim tamen effecta est disjunctio ab usu veterum exemplorum. Sermones haberi solitos ad usum et populi captum accommodatos, patet ex iis qui supersunt. Quin etiam de

---

[1]) *J. Seitz*, Die Verehrung des H. Joseph in ihrer geschichtl. Entwicklung bis zum Konzil von Trient, Freiburg i. B. 1908.

[2]) *Hefele*, V, 206, 221—223, 949, 983, 1082; VI, 554 sq., 337 sq., 547, 549. *Moll*, II, 3, p. 238 sq.

dicendi scientia opera idonea conscripta sunt[1]). Artem autem dicendi adeo floruisse, tribuendum est expeditionibus sacris, ordinibus mendicantium, linguarum indigenarum cultui et scientiae ecclesiasticae. Inde ab hac aetate sermones, qui antea sub Sacro tantum habebantur, a monachis saepe post meridiem fiebant. Synodi commendabant Franciscanos et Dominicanos[2]). Celeberrimi praedicatores fuerunt S. Bernardus, Fulco Nobiliacensis, Stephanus Borbonicus[3]), Guibertus Novigentinus, Innocentius III, Antonius Patavinus, Bonaventura, Thomas Aquinas, David Augustanus, Bertholdus Ratisbonensis[4]). Saepius populi frequentia adeo ingens fuit ut sub dio haberi sermo debuerit.

7°. Ad vitam ecclesiasticam referri etiam potest **drama sacrum**[5]). Videtur post saeculum XI praecipuo cultu elaboratum fuisse. Originem non habuit e liturgia, quae tamen potuit primam horum mysteriorum ideam ingerere. Solebant agi serio haec spectacula. Aperta tamen erat via profanationis. Jam inde a saeculo XIII prohiberi inchoatum est, ne fierent in aedibus sacris[6]). Attamen etiam postea multa bona effecerunt. Argumenta erant varia. Agebantur mysteria de nativitate, passione, paschate, pentecoste et ascensione. Nec raro quoque argumenta desumebantur e vita B. M. V., patroni ecclesiae, aliorumve sanctorum. Saepissime etiam e S. Scriptura, tum Veteris tum Novi Testamenti, argumenta tractabantur. Praeter haec mysteriorum spectacula fabulae quoque agebantur minus honestae. *Festum*

---

[1]) *Guibertus Novigentinus* († 1104): Liber, quo ordine sermo fieri debet. *Migne*, P. L., Tom. 108, p. 21 sq. *Alanus ab Insulis* († 1202): Summa de arte predicatoria, *Migne*, P. L., Tom. 210, p. 109 sq. *Hubertus de Romanis* († 1277): De eruditione praedicatoria. Bibl. Max. PP., Tom. 25, p. 424 sq.

[2]) *Hefele*, V, 323, 950; VI, 37, 42, 198, 444, 533, 624. *L. Bourgain*, La chaire française au XII siècle, Paris 1879.

[3]) *Lecoy de la Marche*, Anecdotes historiques d'Etienne de Bourbon, Paris 1877.

[4]) *Idem*, La chaire française au moyen-âge, Paris 1886. *Mortier*, Hist. etc., I, 497 et App. B.

[5]) *Froning*, Zur Geschichte und Beurtheilung der geistlichen Spiele im M.-A., Frankfort 1884. *Wijbrands*, Opmerkingen over het geestelijk drama hier te lande in de Middeleeuwen, Studiën en Bijdragen op 't gebied der hist. Theol., III, 193—290. *Petit de Julleville*, Les mystères, 2 Vol., Paris 1880; La France chrétienne dans l'histoire, Paris 1896, p. 236—250.

[6]) *Hefele*, V, 1007. *Moll*, II, 3, p. 264 sq. Batavia Sacra, I, p. 168.

stultorum [1]) et, cum isto cohaerens, *festum asini* [2]) extra Galliae fines non videtur divulgatum. Sicuti *carnavalia*, residua ista fuerunt e paganismo, e *Saturnalibus* et *Decembricis*. Agebantur circa kalendas Januarias fueruntque abusuum multiplicum ansae. Ecclesia reprobavit *festum stultorum*. Ne tamen cum his permisceas quae ingenue in scena repraesentabantur de *Christo ingrediente in templum*, de *fuga in Ægyptum*, de *prophetia Balaam*. Ejusmodi ludi agebantur in festo *episcopi puerorum* seu *S. Gregorii* (6 vel 28 Dec.), quo puer episcopali vestitu circumducebatur et saepe symphoniaci et scurrae adhibebantur. *Risus paschalis* eliciebatur narratiunculis sermoni interjectis. In his omnibus solebat sanae bonaeque mentis festivitas prodi. Quod autem quasi per jocum imitando irridebantur res sacrae, ista aetate, propter fidem solidam, vix aut ne vix quidem nocumento fuerunt. Abusus autem Ecclesia semper arcere conata est [3]).

---

§ 114. Mores.

G. Grupp, Kulturgeschichte des Mittelalters, 2 Bde. Stuttgart 1894—1895. *Michael*, Geschichte des Deutschen Volkes, I—V Bd., Freiburg 1897—1906. Revue des quest. hist., 1893, p. 185 sq. *Vacandard*, L'église et les ordalies au XIIme siècle. Etudes de crit. et d'hist. rel., Paris 1905. *Ratzinger*, Geschichte der kirchlichen Armenpflege, 2 Aufl., Freiburg 1894. Revue des quest. hist., 1899, p. 95 sq. *Le Grand*, Les Maisons-Dieu, leur statuts au XIIe siècle, Paris 1901. *Lallemand*, Histoire de la charité, Paris 1906. *Hoffmann*, Die Stellung der katholischen Kirche zum Zweikampfe bis zum Konzil von Trient: Zeitschr. für kathol. Theol., 1898, p. 455; p. 601. *Kober*, Der Kirchenbann, II Aufl., Tübingen 1863. *Hinschius*, Kath. Kirchenrecht, VI, 698 sq.

1⁰. Vulgaris hominum vitae consuetudo, medii aevi tempore, tota imbuebatur spiritu fidei. Qui quidem apud plurimos non satis erat solidus, nec par refraenandae passionum ferociae, at solebat lapsos movere ad seriam, haud raro lacrimabilem agendam poenitentiam. Consequens inde est ut occurrerint quae maxime essent **contraria**: crudelitas in inermes quoque ho-

---

[1]) *Dreves*, Zur Gesch. der fêtes des fous. Stimm. aus M.-L., 1894, p. 571 sq.

[2]) Fête de l'âne.

[3]) *W. Shmitz S. J.*, Das christliche Element in den Unterhaltungen und bei den Festen des Mittelalters. Der Katholik, 1897, Oct.—Nov. *Moll*, II, 3, p. 265 sq. *Ciampi*, Le rappresentazioni sacre del medio evo in Italia, Roma 1865.

mines exercita, in clericos et monasteria, tempore perpetui luctaminis Papae et imperatoris, certantibus etiam saepius inter se nobilibus, quorum opes et potentia in dies augebatur; cupiditas dein et turpis avaritia, increscente opulentia laicorum et plurimorum quoque clericorum; libidinis turpitudo, amplificatis valde civitatibus et veneratione sexus muliebris apud equites saepe in mollitiam labente; rapinae et spoliationes, dum judicia parum prompta erant in coercendo. At, his opposita, ingentia florebant ingenuae libertatis beneficia, juvenilis vigor et simplicitas apud populum, equitum virtus et audacia, promptitudo ad ardua et constantia apud omnes; dein in expiandis criminibus ingens generositas et poenitentiae rigor, quo etiam imperatores et reges ad humiliandum se movebantur, et equites innumeri ad vitam monasticam agendam inducti sunt. Recole quam poenitentiam egerint interfectores Conradi I, episcopi Herbipolensis (1202); cui poenae se submiserint Fredericus Isemburgensis, Ludovicus II Bavariae, Boleslaus Silesiae dux (1258)[1]. Commotio, quae est fratrum minorum institutione coorta, divitum pauperumque animos ad poenitentiam virtutemque exercendam adigebat. Universi urbium vicorumque incolae, ramos viridos luminariaque gestantes, obviam procedebant praedicatoribus, quorum excitati sermonibus tundebant pectora et publice ipsi se flagellabant. Quodsi inter principes fuerunt viri desides et libidini dediti, ut Joannes Suessionensis (exeunte saeculo XI), Henricus IV, Joannes Sineterra, Fredericus II imperator, fuerunt etiam miranda virtute viri et mulieres, Ludovicus IX, Galliae rex ejusque mater Blanca Castellana, S. Elisabetha Thuringica, Hedwigis Polona, Elisabetha Lusitana, Ferdinandus Castellanus, Leopoldus Austriacus aliique.

2⁰. Ut malefactores, reges et principes, equites et dominos, imo vero etiam integras regiones et civitates ad resipiscendum adigeret, haud raro Ecclesia suas imposuit **poenas ecclesiasticas,** quarum universim effectus saluberrimi fuerunt. Solebat *excommunicationi* praemitti trina monitio. Hujus autem poenae effectus erant varii, quorum ii, qui ecclesiastici erant, gravius premebant. Ad effectus civiles pertinebat, quod excommunicato non licebat petitorem agere coram judice quodque erat

---

[1]) *Michael,* II, 242—248.

vitandus[1]). Paulatim tamen saepius in his exceptiones factae sunt. Frequentius multo quam antea *interdictum* est impositum, fuitque poena aptissima, qua vel pertinacissimus ad saniora consilia revocaretur. Ipsa autem poenae natura ferebat ut multos etiam innocentes attingeret. Quod ut praeverteretur, numquam non licuit sacramenta magis necessaria conferre. Januis clausis privatim Sacra facere licuit ac per praecipuum privilegium id in festis solemnissimis publice quoque fieri permittebatur. Papae tamen semper in hac injungenda poena maximam commendarunt prudentiam. Inde a saeculo XII, clerici puniebantur non sola *dejectione* sed etiam *degradatione*, qua cleri jura perdebant et redigebantur sub jurisdictionem saecularem. Quam tamen gravissimam poenam rarissime Ecclesia imposuit[2]). Quae jam antea instituta fuit *Treuga Dei*, paulatim universe accepta est. Ad quod efficiendum contulerunt multum expeditiones crucigerorum et Summorum Pontificum iteratae gravissimaeque admonitiones. Quae fuerant in synodis oecumenicis Lateranensibus (I—III) constituta, transcripta sunt in *Corpus juris*[3]). Saevos *armatorum ludos* reprobavit Ecclesia fortiter et conata est *ordalia* exterminare[4]). Latrociniis maritimis, fenerationi, juri littoris et aliis hujusmodi criminibus poenae ecclesiasticae sunt propositae[5]).

3⁰. Florentissima autem fuit hac aetate **beneficentia.** Quae erat ecclesiastica pauperum curatio tempore Carolingico novata, saeculo IX et X, propter ferocem temporum angustiam, multum languerat. Ultimi principes Carolingici plurima ecclesiarum bona in manus laicorum collocarant. Nec saeculo XI multa sunt mutata. Obliti videbantur christianae regulae, quae antiquis temporibus viguerat, bona ecclesiae esse bona pauperum. Neque clerici hac in re sine culpa fuerunt. Usque ad saeculum XIII et XIV pauperum curationi sola monasteria religiosorumque ordines prospiciebant. Quibus inde ab antiquo mos fuit ad portam quotidie cibos praebendi pauperibus et peregrinantibus. Mirum quanta saluberrimorum fructuum bona, hac juvandi ratione,

[1]) Post synodum Constantiensem *vitandus* tantum fuit qui nominatim excommunicatus erat.

[2]) Cf. *Moll*, II, 4, p. 150 sq., 168 sq. Cf. II, 1, p. 168, 174.

[3]) Cap. 1, 2, X, de Treuga et pace (1, 34).

[4]) Decr. Greg. IX, 5, Tom. 34—35; cf. Cap. 2, Tom. 14.

[5]) Cf. *Moll*, II, 4, p. 225 sq.

effecerint monasteria Benedictinorum et quae ex iis novata sunt. In multis monasteriis, unius fundi reditus pauperibus fuerunt destinati. Abbatia Hirsava in Silva Marciana (Schwarzwald) frumenti frugumque modios amplius 4500 quotannis pauperibus erogabat et eorum 200 quotidie cibos meridianos praebebat. Walter, abbas Egmondanus, amicus fuit pauperum; abbatia Oostbroeck ordinatam pauperibus curam impendebat; monachi Wittewierenses magno studio incumbebant beneficentiae; abbatiae Rynsburgensis liberalitas in proverbii consuetudinem venit[1]). Integri quoque religiosorum ordines operibus beneficentiae se dederunt: e. c., Antonitae, fratres S. Spiritus, Alexiani, Trinitarii aliique multi, praeter mulierum ordines.

4⁰. Jam saeculo XII multa numero oborta sunt **charitatis instituta,** quae saeculo praesertim XIII uberrime floruerunt. In Gallia numerantur ad 20.000 ejusmodi hospitia[2]). In Belgio, ad finem vergente saeculo XIII, quaevis fere parochia urbana suum habebat ptochotrophium. Collegia (gilden) quoque, mensae S. Spiritus et magistratus urbani sua charitatis instituta fundaverant[3]). In Hollandia non solum singulae civitates sed plurimae quoque parochiae rurales hospitium habebant[4]). Creberrimae quoque fuerunt leprosorum domus. Jam ineunte saeculo XIII, in Gallia numerabantur 2000, in quibus curabantur omnes, qui morbo aliquo contagioso aegrotabant. Sicuti in Hollandia, in Belgio et in Gallia, ita quoque res erat in partibus Europae meridionalibus. Inde enim omnes fere charitatis ordines ortum suum ducebant. Ibi etiam, ab urbibus civibusque condita, charitatis instituta aspectantibus ostendebant, quantopere populorum mores recto validoque christianismi spiritu imbuti essent.

Exemplo fuerunt principes nobilesque. Nota est profusa charitas S. Ludovici, qui epulantibus pauperibus ipse ministrabat[5]), S. Elisabethae, S. Hedwigis aliorumque plurimorum. Sophia comitissa Hollandiae († 1176) dicebatur „*altera Dorcas*

---

1) *Moll*, II, 4, p. 243 sq. *Schotel*, De Abdij van Rijnsburg. 's-Hertogenbosch 1851.

2) *Hubert-Valleroux*, La charité avant et après 1789, Paris 1890.

3) *Alberdingk Thijm*, Gestichten van liefdadigheid van Karel den Groote tot aan de Hervorming, Leuven 1883.

4) *Moll*, II, 4, p. 249.

5) *Joinville*, Histoire de S. Louis, Ch. 139, éd. *de Wailly*, Paris 1890, p. 291 sq.

ejusque cor fons inexhaustus misericordiae"; Mathilda comitissa, Gulielmi regis Romanorum mater, in proelio ad Westcapelle (1253) ministrabat vulneratis [1]. Neque his Papae neque episcopi erant postponendi. Summo studio conati sunt haec christianae charitatis opera promovere. Hollandiae quoque episcopi, Ansfridum imitati, eximia praestiterunt. Laudatur prae ceteris Guido Avenensis. Illo tempore egeni appellabantur „*pauperes Christi*", „*amici Christi*", „*camerarii coeli*", eorumque extensae manus „*gazophylacium Christi*".

5⁰. Hac aurea medii aevi aetate **collegia** multa **corporaque** [2] instituta sunt ad promovenda opera fabrilia, mercaturam cunctasque artes. Suum quaeque habebant Patronum, sua festa religiosa, insignia sua et vexilla. Haec corpora praestiterunt eximia charitatis officia praeclarissimaque bona communi hominum societati contulerunt. Quae constituebantur fraternitates religiosae, non solum vitam religiosam, verum etiam consuetudinis quotidianae necessitudinem promovebant. In aedificandis magnificis medii aevi templis mirum quam profuse et constanter conspiraverint divites cum pauperibus, juvenes cum senibus. Corpora quoque, immo vero etiam monachorum ordines instituti sunt (*Fratres pontifices*) ad sternendas vias, pontesve faciendos. Communis fuit ad ineundas societates appetitio studiumque nec dici potest quam varios uberesque fructus protulerit.

---

[1]) *Moll*, II, 4, p. 223 sq.

[2]) *P. A.*, Het oude gilde en zijn hervorming in onzen tijd. Studiën, Dl. 34—35, Utrecht 1890. De gilden van Utrecht tot 1528, 2 deelen, door *Overvoorde* en *Joosting*, 's-Gravenhage 1896—1897. *Fagniez*, Corporations et Syndicats, 2e éd., Paris 1905. *Martin de Saint-Léon*, Histoire des corporations de métiers, Paris 1898.

CAPUT SEXTUM.

SCIENTIA ET ARS ECCLESIASTICA.

§ 115—§ 116.

§ 115. Scientia ecclesiastica.

Denifle, Die Universitäten des Mittelalters bis 1400, I B. (plura non sunt edita), Berlin 1885. *Denifle-Chatelain*, Chartularium Universitatis Parisiensis, Tomi 4, Paris 1889 sq. Auctarium Chartularii, Tomi 2, Paris 1894 sq. Chartularium Studii Bononiensis, Tom. I, Imola 1907. *Rashdal*, The Universities of Europa in the middle-ages, 2 vol. in 3 tom., Oxford 1895. *Stöckl*, Geschichte der Philosophie des Mittelalters, 3 Bde, Mainz 1864—1866. *Hauréau*, Histoire de la philosophie scolastique, 2 vol., Paris 1872. *De Wulf*, Hist. de la philosophie médiévale, 2e éd., Paris 1905. *Picavet*, Esquisse d'une hist. gén. et comparée des philosophies médiévales, 2e éd., Paris 1707. *Schwane*, Dogmengeschichte der mittleren Zeit, Freiburg 1882. *Martigné*, La scolastique et les traditions franciscaines, Paris 1889. *Hilarin Felder*, O. C., Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franciskanerorden bis zur Mitte des XIII Jahrhunderts, Freiburg 1904. *Seppelt*, Der Kampf der Bettelorden an der Universität Paris in der Mitte des XIII Jahrh. Stralek's Kirchengesch. Abh., VI, Breslau 1908. Archiv für Litt. u. Kirchengesch., II, 165 sq., V, 165 sq., 603 sq. *A. van Weddingen*, Albert le Grand, le maître de S. Thomas, Paris 1881. *De Groot, O. P.*, Het leven van den H. Thomas van Aquino, Utrecht 1907. *Idem*, De H. Thomas als wijsgeer. Openingsrede 1894. *Didiot*, St. Thomas d'Aquin, Bruges 1894. *Werner*, Duns Scotus, Wien 1881. *L. de Cherancé*, St. Bonaventure, Paris 1899. *Denifle*, Die Handschriften der Bibelcorrectorien des 13 Jahrh. (Archif f. Litt. u. Kirchengesch., 1888, 263 sq.). *Maassen*, Quellen und Literatur des kanonischen Rechtes, Graz 1870 sq. *Schoengen*, De ontwikkeling van het hooger onderwijs in de middeleeuwen. Annuarium der R. K. Studenten in Nederland, Leiden 1907.

1°. Ortae sunt hac aetate **universitates,** centra scientiae ecclesiasticae. Quae penitioris doctrinae instituta, procurante praesertim Ecclesia, crebriora in dies creata sunt. Salerni schola eminuit arte medica, tum praecipue quum Constantinus Africanus medicus, Arabum scripta in sermonem Latinum

vertisset (saec. XI). Schola Bononiae, jam ineunte saeculo XII jurisperitorum omnium mater, Gratiani fama omnis juris canonici quasi fons effecta est. Lutetia Parisiorum philosophiae et theologiae principatum tenebat. Paulatim crebrae ejusmodi Scholae institutae sunt ad normam Parisiensis et Bononiensis: ad annum 1303 supputantur 29. Quae initio *Scholae* vel post breve tempus *Studium* vocabantur, iis institutis saeculo XIII nomen *Studii generalis* datum [1]. Qua voce non id significabatur, quod omnium ibi scientiarum doctrina traderetur, sed quod cunctis ex universa christianitate studiosis patebant. Cujus rei consequens privilegium fuit „*ut quicumque magister ibi examinatus et approbatus fuerit in qualibet facultate, ubique sine alia examinatione legendi liberam habeat facultatem*" [2]. Inde a saeculo XIII *studium generale* etiam nomine *universitatis* appellabatur. Qua tamen voce non idem tum significabatur ac nostra aetate. Hodie enim magis exprimitur *universitas facultatum;* medii aevi vero aetate significabant *corporum societatumque* conjunctionem [3]. Quare non omnis *universitas* fuit academia seu altioris instructionis institutum. Eo demum tempore, quo magistri studiosique in corpus societatemque coibant, in usum venerunt nomina: *Studium universitatis, studium ac ejus universitas, corpus collegii sive universitatis, universitas studii, universitas magistrorum et scholarium.*

Antiquissima *studia generalia*, Lutetiae, Bononiae et Oxoniae, generata ex eo sunt, quod facultates variae, separatae prius et aliae ab aliis secretae, in unum coibant. Posteriora pleraque, a Summis Pontificibus erecta, nonnulla a principibus, antiquiorum privilegium *studii generalis* acceperunt [4]. *Studia* autem haec *generalia* ad adultae aetatis florem tum demum pervenerunt quum corporum collegiorumque juribus, praesidiis et privilegiis fruebantur. Quae Lutetiae Parisiorum instituta fuerant, eorum ordo praecipuus hic fuit: magistri concesserant in *collegium doctorum*, distinctum facultatibus quatuor, theologiae, juris, artis medicae et philosophiae seu artium liberalium; omnium facultatum princeps fuit *cancellarius*, cui tutela et jurisdictio universae

[1]) Primum occurrit anno 1239. *Denifle*, p. 11.

[2]) Ibid., p. 20. Cf. *Potthast*, 9173, 9176.

[3]) „Universitas est plurium corporum collectio inter se distantium uno nomine specialiter eis deputato." Sic *Hugolinus* apud *Denifle*, p. 30.

[4]) Sic e. c. Montis-Pessulani, Aureliani, Andegavi, Tolosae et studium Romanum. *Denifle*, p. 20. *Deloume*, Aperçu hist. sur la Faculté de Droit de l'université de Toulouse, Paris 1900.

academiae mandata erat; singulis facultatibus praeerat *decanus*. Quae quidem ordinatio fundamentum fuit, quo universitas est imposita. Etenim, priore saeculi XIII media parte, ad tuenda jura sua ac privilegia necesse esse scholares aestimarunt, ut jungerent se et in societates coirent. Atque ita nata sunt scholarium corpora, non facultatibus sed gentibus distincta. Erant enim collegia Gallorum, Picardiorum, Normannorum et Anglorum[1]). Haec autem distributio in gentes non sponte sua oborta sed factitia est, sicut postea in academiis Vindobonae, Pragae et Lipsiae. Gentium officium fuit administrare bona et tueri disciplinam. Unicuique genti praeerat *procurator*, qui in negotiis loco ejus ageret eamque gubernaret; omnium autem gentium caput fuit *rector*. Hi magistratus eligebantur a *magistris artium*, qui ad *scholares* pertinebant. Haud ita multo post, *cancellarium* auctoritate praecelluit *rector* ac re vera academiae regimine potitus est. Primum philosophiae facultas eum agnovit, dein ante medium saeculum XIV etiam facultates juris artisque medicae, demum etiam theologiae facultas. Bononiae exeunte saeculo XII scholares in societatem coierunt, ita ut anno circiter 1250 duo sensim corpora nata essent, quae singula variarum nationum scholares admitterent. Sensim adoleverant in societates soluto motu liberoque, ne advenae in aliena civitate jure suo praesidioque destituerentur. Soli peregrini (ex Italia aut aliis regionibus adventitii) consortes corporum erant vocabanturque prae ceteris nomine scholarium. Singulis corporibus praeerat *rector scholarium*, cui adjuncti erant *consiliarii*. Sui juris erant corpora utebanturque propria sua juris dicendi facultate. Attamen non usque adeo secretum fuit utriusque corporis, *ultramontanorum* et *citramontanorum*, discrimen ut non in unam *universitatem scholarium* congrederentur. Quoniam autem Bononiae corpora aptiore ordine moderata fuerunt quam Lutetiae Parisiorum, mirandum non est alias postea academias magis ad normam Bononiensem esse instructas.

Titulorum autem, qui in academiis conferebantur, princeps

[1]) Germani et Itali mox cum Anglis se conjunxerunt. Vide, praeter opera jam relata, *Feret*, La Faculté de Théologie de Paris, et ses docteurs les plus célèbres, Paris 1894. *Fournier*, Les statuts et privilèges des universités françaises, Paris 1890. *Luchaire*, l'Université de Paris sous Philippe-Auguste, Paris 1898. *E. Jordan*, Les universités, dans: La France dans l'histoire, Paris 1896. p. 267—280. *Fitting*, Les commencements de l'Ecole de droit de Bologne (trad. par *Lesueur*) 1888.

fuit *doctor juris*. Innocentii III aetate jam occurrunt *doctores legum*, *decretorum* (i. e. juris canonici), *doctores medicinae*, *grammaticae*, *logicae*, *philosophiae*, *theologiae* et *sacrae paginae*. Licentiatus erat primus ad doctoratum gradus. Baccalaureatus principio non fuit titulus academicus, sed significabat *scholarem docentem* et *discentem*. Doctoratum saepius fugitabant propter ingentes promotionis expensas [1]).

Quam sollicita cura Summi Pontifices Universitates sint prosecuti, e numerosis bullis brevibusque apparet [2]). Conscia sibi fuit Ecclesia quam utilia, imo vero necessaria, essent scientiarum studia, nec sibi dissimulavit quanta in universitatibus juveni pericula imminerent. Jacobus de Vitriaco, in depingendis moribus qui erant in universitate Parisiensi, res sane in majus auxit; attamen juvenum viginti vel triginta millia una esse, bonis certe moribus colendis minime favebat [3]). Gregorius IX excommunicatione perculit omnes, quicumque quaestum quaererent libidine. Paulatim ad consilium ventum est erigendi privata studiosorum collegia. Quorum celeberrimum fuit Sorbonii, sacellani ad aulam S. Ludovici (1250). In his, sejuncti a corruptione externa, vitamque aliquo modo communem agentes, ordinato cursu studiis incumbebant juvenes. Stipendia fundare in his collegiis, bonum opus habebatur. Jam ante annum 1350 Lutetiae erecta fuerunt collegia 19 stipendiaque 375.

2⁰. Scholastica doctrina multum profecit scriptis **Graecorum** et **Arabum.** Ante saeculum XII paucissima **Aristotelis** scripta legebantur in occidente [4]). *Categoriae* et liber *De interpretatione* innotuerunt per versionem Boetii. Opera logica, quibus nomen est *Organon* [5]), latine edita sunt circa annum 1150, physica et metaphysica anno 1204; haec tamen non e Graeco sermone sed e tractationibus et versionibus Arabicis translata sunt.

---

[1]) Cf. C. 2 de Magistris etc. 5, 1 in Clem.

[2]) *Potthast*, 1061, 6093, 6173, 6220, 6251 etc. passim, et praesertim *Denifle*, Chartularium et Auctarium.

[3]) *Hurter*, Innocent III, éd. franç., Paris 1855, III, 521 sq.

[4]) *Jourdain*, Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote, Paris 1843. *S. Jalomo*, L'Aristotélisme de la scolastique, trad. franç., Paris 1876. *Forget*, Dans quelle mesure les philos. arabes, continuateurs des phil. grecs, ont-ils contribué au progrès de la phil. scolastique, Congrès internat. d. cath., Bruxelles, III Sect., p. 233.

[5]) Exceptis alteris analyticis et libro secundo primorum analyticorum. Cf. *Clerval*, Les écoles de Chartres au moyen-âge, du V au XVI siècle, Chartres 1895.

Quae causa fuit cur Stagiritae opera, Arabicis additamentis corrupta, saepius vehementer sint impugnata. Currente saeculo XIII, Aristotelis libri denuo e Graecis autographis translati sunt. De quo negotio optime meruit S. Thomas Aquinas, qui suum in ordine Praedicatorum fratrem Gulielmum a Meerbeke ad perficiendum hunc utilissimum laborem cum fructu est cohortatus. Consequens fuit ut quamquam plura magni viri pagani effata etiam tum rejiciebantur, ejus tamen opera magni fierent et assidue in scholis ea interpretati sint magistri. Logica praesertim sine exemplo perfecta habebatur fuitque apud scholasticos omnes summa auctoritate. Platonis, ante adultam scholasticae doctrinae aetatem, solum *Timaeum* ipsi tractaverant. Ejus tamen philosophia jam maturius in occidente innotuerat, imprimis per opera S. Augustini, dein per Apuleji librum: *De dogmatibus Platonis.*

Scientia Arabica simul cum Arabum armis in Hispaniam invecta est magisque innotuit expeditionum crucigerorum temporibus. Primam philosophiae notitiam acceperant Arabes a Graecis, quorum opera Syriace translata iis saeculo VIII et IX innotuerant [1]). De suo addiderunt et magnam in exercenda philosophia operam collocaverunt. Multi ex iis *Neo-platonici* fuerunt, qui tamen *theodiceam* ab Aristotele mutuarunt. Celeberrimi fuerunt Alfarabi († 950), Avicenna († circa 1050), Algazel († 1111). Hi scripserunt in oriente. In Hispania fuit scientiae philosophicae princeps **Averroes** († 1198), qui edidit commentarios in Aristotelem. S. Thoma auctore, fuit „*non tam commentator* [2]) *quam depravator*". Attamen ejus scripta jussu Frederici II [3]) imperatoris translata et, quasi essent Aristotelica, ad *studia generalia* missa sunt. Quantopere autem haec ad errandum inducerent, Siger Brabanticus expertus est [4]). Docuit Averroes materiam aeternam; emanationem rerum e Deo; seriem *intelligentiarum* quae sidera animant; unitatem numericam

[1]) *Duval*, La litt. syriaque, Paris 1899, p. 253—271. *Renan*, De philosophia peripatetica apud Syros, Paris 1852.

[2]) Opusc. contra Averroem. Vulgo designabatur nomine *commentatoris*.

[3]) Raymundus, archiep. Toletanus, idem mandavit Gondisalvo archidiacono suo (1130—1150).

[4]) *P. Mandonnet*, O. P., Rev. Thom., tom. III, 704—718; tom. IV, 18—35, 689—710; tom. V, 95—110. Siger de Brabant et l'Averroisme latin au XII siècle, Etude critique et documents inédits, Fribourg 1899. *Picavet*, L'averroisme et les averroistes, Paris 1902.

mentis cognoscentis, adeoque negavit animas individuas vivere post mortem. Agnovit Providentiam divinam in solo generali mundi gubernio, in rebus individuis docuit fatalismum. Judaei quoque, Averroem cum Aristotele confundentes, hos errores propagare conati sunt, Avicebron († 1070) praesertim et Moyses Maimonides († 1204).

Quare mirum non est, scripta Aristotelis hujusmodi interpretationibus corrupta suspicionem concitasse. Quamobrem mox a synodo Parisiensi (1210) statutum est: „*Nec libri Aristotelis de naturali philosophia nec commenta legantur Parisiis publice vel secreto, et hoc sub pena excommunicationis inhibemus*"[1]). A Pontificis legato (1215) commendantur Aristotelis dialectica, dum metaphysica et philosophia naturalis prohibentur. Gregorius IX fieri mandavit editionem purgatam operum Aristotelis, monuitque ne viri docti nimium conarentur fidei dogmata ratione probare philosophica[2]) (1228 et 1231).

3⁰. A saeculo IX ad XII in scholis monasteriorum locum insignem tenebat **logica** fuitque aptissima introductio ad studia theologica. Libri autem, qui ad hanc disciplinam tradendam in usu frequentiore versabantur, fuerunt Boetii, Porphyrii *Isagoge* et Mariani Capellae liber „*De septem artibus liberalibus*". Nec potuit non tractari doctrina de *universalibus*. Saeculo IX Scotus Erigena docuit, universalia ut talia objective realia esse. Qui crassus **realismus** quum impugnaretur, alterum emersit extremum. Fuerunt enim qui universalibus omnem objectivitatem abnuerent eaque sola mentis operatione effici dicerent. Talem **nominalismum** docuit Heiricus Antissiodorensis († circa 876) ejusque discipulus Remigius Antissiodorensis († 904). Roscellinus Compendiensis, exeunte saeculo XI, nominalismum artificiose in disciplinam redegit. Non is quidem opus ullum reliquit, sed eum docuisse, universalia meros *flatus vocis* esse, apparet ex Anselmo[3]), Abaelardo[4]) et Joanne Salisburgensi[5]). In doctrina Trinitatis Ros-

[1]) *Denifle-Chatelain*, Chart. Univ. Paris., I, 70. Cf. I, 78.

[2]) *Potthast*, 8231. *Denifle-Chatelain*, I, 138 sq. „L'édition expurgée ne parut pas, mais dès 1255 les œuvres d'Aristote reparaissaient dans le programme de la faculté des arts." *R. Hedde*, I, 581.

[3]) De fid. Trin., c. 2, *Migne*, P. L., Tom. 158, p. 265.

[4]) Ep. XVI, *Migne*, P. L., Tom. 178, p. 355 sq.

[5]) Metalogicus, lib. II, c. 17. *Migne*, P. L., Tom. 199, p. 874. Cf. Polycraticus, lib. VII, c. 12. *Migne*, ibid., p. 665.

cellinus hoc modo pervenit ad aliquantulum *tritheismum*, quem ejuravit in Synodo Suessionensi (1902). Unus e potentissimis *realismi* fautoribus factus est Gulielmus de Campellis (†1121), fundator scholae S. Victoris Parisiensis et S. Bernardi familiaris. Acriter impugnatus ab Abaelardo, discipulo suo, doctrinam nonnihil immutavit [1]). Pauco tempore post Gilbertus Porretanus († 1159) per realismum incidit in errores de Trinitate [2]). *Realismus* et *nominalismus* uterque aberrabant a vero, quod in medio est positum. Quod ut explicaretur, **conceptualismus** inventus est, docens universalia extra *conceptum mentis* realia non esse, sed conceptus illos mentis plus esse quam *flatus vocis*. Eam doctrinam praeter alios defendit Joscellinus Suessionensis (saec. XII). Neque haec recta erat doctrina. Vera exposuit S. Thomas, docens *universalia ante rem* esse in mente divina, *universalia in re* esse essentias rerum individuas, *universalia post rem* esse in mente humana.

4⁰. Controversia haec de universalibus et peculiarius altior philosophiae Graecae notitia ad profundius theologiae studium conduxit. Non contenti, sicut anteriore tempore, retulisse quae numerosis scriptis suis Patres essent effati, dialectice et systematice theologiam tractaverunt eamque ad veram rationem disciplinae et scientiae evexerunt. Quae nova **disciplina scholastica,** sicut quae antea erat theologia, in fide fundabatur. Quoniam autem humana ratio et fides, quippe utraque a Deo oriunda, inter se pugnare non possunt, haec theologia recentior philosophiam in partem interpretandi et demonstrandi assumpsit. Atque ita ad normam disciplinae composita sunt Ecclesiae dogmata et conclusiones theologicae, exstructumque systema logicum, fidei morumque doctrinam complectens.

5⁰. Qui primus fundamentum ejus disciplinae jecit, celeber **Anselmus** fuit, archiepiscopus Cantuariensis († 1109) [3]). Natus Augustae Pretoriae (Aosta), in finibus Italiae (Piemont), ingressusque monachus in monasterium Beccense Normanniae, magistro usus est docto Lanfranco Beccensi. Quae efficere conabatur, significavit his verbis: „*Fides quaerit intellectum*", et: „*Neque*

[1]) Hist. Cal., c. 2. *Migne*, P. L., Tom. 178, p. 119.

[2]) *Hefele*, V, 503.

[3]) Opera apud *Migne*, P. L., Tom. 158—159. *Bagey*, Hist. de S. Anselme, 2 vol., Paris 1890. S. Anselme professeur, Paris 1890. *Rigg*, S. Anselme of Canterbury, Londen 1896. *Domet de Vorges*, S. Anselme, 2 vol., Paris 1901.

enim quaero intelligere ut credam, sed credo ut intelligam". Videtur quidem sanctus vir hinc inde in nonnullis operibus[1]) mysteria fidei velle sola ratione demonstrare, re tamen vera non in ratione praecipuum primumque collocabat pondus. Semper enim corrigendo adjecit, sensum indubium S. Scripturae praevalere[2]). Crebra fuit controversia de Anselmi *Proslogio*, quod Deum esse, a priori demonstrare voluit, dicendo: „*Vere est aliquid, quo majus cogitari non potest*"[3]). Cui rei se opposuit Gaunilo, monachus Martini monasterii (Marmoutiers), suo *Libro pro insipiente*[4]). Recte contendit, ex eo quod res cogitetur, non posse concludi rem esse. Opera autem S. Anselmi straverunt viam qua posteriores viri docti incederent.

6⁰. Anselmum, alte, solide et ingeniose de rebus fidei contemplantem, consecuta est aetas, qua theologiam scholasticam ita coluerunt ut accuratius in dies exstructa disciplina videretur. Labore improbo conati sunt *objectum fidei* in unam seriem rerum apte inter se colligatarum continuare, quae series nomine *Summae* appellatae sunt. Primus fuit **Hugo a S. Victore** (1141)[5]), qui sublimia de mysteriis fidei contemplata reliquit. Magni momenti fuit *Summa sententiarum*, quam hodie ab eo plures abjudicant quaeque est brevis enarratio theologiae, ex effatis Patrum composita. Opus ejus princeps, *De sacramentis christianae fidei* libri duo, universam theologiam in unum systema colligit. **Robertus Pullus** († 1146)[6]) Oxoniae docuit et Parisiis. Innotuerunt praesertim ejus *Libri octo sententiarum*, in quibus frequentius S. Scriptura et ratio pro fundamento assumuntur quam Patrum dicta. Parum tamen hi libri in usum venerunt, eo quod pauco post tempore edita fuerunt

---

[1]) Monologium et Cur Deus homo, *Migne*, P. L.. Tom. 158.

[2]) Cur Deus homo, ibid. p. 359: „Certus enim sum, si quid dico, quod S. Scripturae absque dubio contradicit, quia falsum est, nec illud tenere volo, si cognovero." Cf. etiam: De Concordia praescientiae et praedestinationis. *Migne*, ibid., p. 328.

[3]) *Migne*, ibid., p. 228.

[4]) Ibid., p. 242.

[5]) *Hauréau*, Les œuvres de Hugon de St. Victor, 2e éd., Paris 1886. *Migne*, P. L., Tom. 175—177. *Mignon*, Les origines de la scolastique et Hugues de S. Victor, 2 vol.. Paris 1895. *Roch de Chefdebien*, Une attribution contestée etc. in Revue Augustinienne, Mai 1908, p. 529 sq. Alia opera citanda inveniuntur in Der Katholik, fasc. 8, 1909 et in Revue d'histoire eccl. fasc. 2, sq., 1909.

[6]) *Migne*, P. L., Tom. 186.

Petri Lombardi († 1164) [1]) *Libri quatuor Sententiarum.* Quod celeberrimum opus fere totum ex effatis Patrum, praesertim Augustini, Ambrosii et Hilarii, est continuatum. Liber primus continet distinctiones 48 *De Deo uno et trino;* liber secundus distinctiones 44 *De creatione, angelis et homine lapso;* liber tertius distinctiones 40 *De incarnatione Verbi, De caritate Dei et proximi;* liber demum quartus distinctiones 50 *De sacramentis et de novissimis.* Licet multa in his omnibus a perfectionis regula deficiant, mansit tamen hoc opus vulgaris liber manualis in scholis usque ad saeculum XVI, quo tempore multo perfectior Summa S. Thomae Aquinatis praevalere inchoavit. Hos sequuntur Robertus Melidunensis († 1167), Rolandus Bandinelli († 1181) et Petrus Pictaviensis († 1205).

7°. Longe aliam viam tenuit **Petrus Abaelardus** († 1142) [2]), vir acri ingenio sed animo audax et insolens. Gulielmi de Campellis († 1121), Roscellini et Anselmi Laodunensis (Laon) († 1117) discipulus, mox praefuit magistris suis disputandi arte et peritia, sed etiam vanitate et insolentia. Lutetiae Parisiorum foede corruit, in contubernium vetitum vocata aliquamdiu Heloisa, quam dein secreto duxerat. Postea ingressus est ipse in monasterium S. Dionysii, ingressa Heloisa in monasterium Argentolii († 1119). Vitae suae narrationem scripsit in *Historia calamitatum* [3]). Mox iterum docere coepit. In opere *Introductio ad theologiam* rationalistica tradidit, plus justo tribuens viribus mentis humanae, in tractandis supernaturalibus fidei argumentis, ut fere Anselmi sententiam converterit dixeritque: *Intelligo ut credam.* Damnatus a synodo Suessionensi, ortoque dissidio cum monachis S. Dionysii [4]), aedificavit prope Trecas celeberrimum illud *Paracleti* nomine monasterium, quod anno 1126 Heloisae possessio facta est. Anno 1136 recepit praelegere Lutetiae. Retractata *Introductio* suos non deposuerat errores. Unde in controversiam incidit cum S. Bernardo, objiciente quod, non contentus videre *per speculum et in aenigmate* cuncta scire vellet quae in caelo essent et quae in terra. Librum *De unitate et trinitate divina*, qui Suessione damnatus fuerat flam-

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 191—192. *Protois*, Pierre Lombard, Paris 1881.

[2]) Ed. *Cousin*, 2 vol., Paris 1859. *Migne*, P. L., Tom. 178.

[3]) *Migne*, ibid., p. 114 sq.

[4] Dicebat, neque iniuria, S. Dionysium, quem colebant, non esse Areopagitam.

mis (1121), Abaelardus correxit et retractavit in *Theologiam christianam*, quae tamen multos adhuc errores rationalisticos aliosque continebat. In synodo Senonensi (1141) contra eum causam egit Bernardus[1]: „*Cum de Trinitate loquitur*, inquiens, *sapit Arium, cum de gratia, sapit Pelagium, cum de persona Christi, sapit Nestorium*". Damnationem ejus confirmavit Papa[2]). Tamen cum Ecclesia reconciliatus, obiit Abaelardus Cluniaci anno 1142.

8⁰. Plures interea prodierant strenui fidei defensores. Inter quos notissimi Joannes Salisburgensis († 1180)[3], quo praecipue adjutore usus est Thomas Cantuariensis, quique fuit audax sacerdotalis Pontificiaeque potestatis defensor et ardens morum corrector. Scripta ejus praecipua sunt: *Metagogicus*, *Polycraticus*, *Entheticus* et epistolae 329. Petrus Venerabilis († 1186) scripsit adversus Judaeos, Saracenos et Petrobrusianos[4]; Petrus Blesensis († 1200) quoque optimum edidit opus adversus Judaeos[5]. Petrus Cantor († 1197) reliquit *Summam*, quae a primis verbis vulgo appellatur *Verbum abbreviatum*[6].

Medium quendam locum, praecedens aetatem adultae theologiae Scholasticae, tenuit vir celeber Alanus ab Insulis († 1202), *Doctor universalis* appellatus. Secutus est Anselmum et Abaelardum. Ab aliis suae aetatis scriptoribus in hoc differebat, quod rectissima ac paene mathematica indagatione, ad normam systematis, e fidei dogmatibus, tanquam e principiis, conclusiones philosophicas et theologicas eduxit. Opus ejus princeps inscribitur: *De arte seu articulis catholicae fidei libri quinque*[7]. Quod in illius aetatis contemplationibus theologicis minus laudandum est rationalismi rudimentum, haud scio an nonnihil exaggerans notaverit Gualterus Moritanensis (Mortagne) suis *Libris contra quatuor Galliae labyrintos*[8], nimirum Abae-

---

1) *Vacandard*, Abélard et sa lutte avec Bernard, Paris 1886.

2) *Hefele*, V, 451—487. *Jaffé*, 8148, 8149.

3) *Migne*, P. L., Tom. 199, p. 823 sq.

4) *Migne*, P. L., Tom. 189.

5) *Migne*, P. L., Tom. 207.

6) *Migne*, P. L., Tom. 205. *Delatour*, Pierre le Chantre (Bibl. de l'école des Chartes, 1897).

7) *Migne*, P. L., Tom. 210.

8) *Migne*, P. L., Tom. 199. *Dewulf*, Hist. de la philos. scol. dans les Pays-Bas, p. 32.

lardum, Lombardum, Petrum Pictaviensem (†1205) et Gilbertum Porretanum.

9°. Universitas Parisiensis adeo timuit privilegiorum aemulos, ut monachos aditu arcuerit, metuens ne privilegia perirent eo quod magistri religiosi a suis superioribus dependerent. Quum vero anno 1228, orta lite inter Blancam reginam et universitatem [1]), auditiones intermitterentur, mendicantes ipsi scholam unam instituerunt [2]) et alteram anno 1230. Postea restitit universitas obortumque est luctamen (Gulielmus de St. Amore), quod diuturnum fuit et tandem in gratiam mendicantium est compositum [3]). Fuerunt autem magistri e mendicantibus, qui theologiam scholasticam ad summae perfectionis culmen evexerunt.

10°. **Alexander Halensis** († 1245), in Anglia natus, ingenio fuit acri amploque. Jam clarus Lutetiae magister, anno 1230—1231 ordinem fratrum Minorum ingressus [4]), legere perrexit inchoavitque philosophiam Aristotelicam in auxilium vocare theologiae. Movente, ut videtur, Innocentio IV *Summam theologicam* suam composuit, opus celeberrimum ob conceptus amplitudinem, partitionem accuratam, doctrinae subtilitatem, mentemque abstrusa penetrantem. Laudabat eum S. Thomas Aquinas, appellabatur *doctor irrefragabilis* et *fons vitae* ejusque opera, saepius edita [5]), multum lectitabantur.

11°. Superavit eum tamen *doctor angelicus* **S. Thomas** († 1274). Verisimiliter anno 1227 oriundus e gente comitia Aquinate, in finibus Neapolitanis, anno aetatis 16 ingressus ordinem Praedicatorum, studuit Neapoli, Lutetiae et Coloniae. Quum heic et Lutetiae Parisiorum praelegere coepisset, fama doctrinae ejus undique allexit discipulos. Quo tempore Gulielmus de St. Amore movebat litem, Thomas Romam profectus fortiter monachos defendit (*Contra impugnantes*). Dein iterum Neapoli et Parisiis praelectiones habuit, donec a Gregorio X ad synodum oecumenicam Lugdunensem missus, in itinere, apud Cistercienses in monasterio *Fossanova*, defunctus est. 7 Martio 1274. S. Tho-

---

1) De causis litis cf. *Mortier*, Hist. des maîtres généraux etc., I, 229 sq.
2) *Mandonnet*, L'incorporation des Dominicains dans l'Univ. de Paris, Rev. Thom., 1896.
3) *Potthast*, 16271, 16272, 16424, 16435, 16436.
4) *Denifle*, Chart. univ. Paris., I, 1357.
5) Venetiis 1475, 1496, 1576; Col. 1622. Fol. I—IV.

mas famam celeberrimam nactus est philosophi acutissimi, theologi subtilis, polemici invicti, moralistae tuti, exegetae praeclari et defensoris fortissimi jurium Ecclesiae. Eminent opera ejus[1]) claritate, consideratione tuta, demonstrandi insuperabili vi, sine exemplo integerrima argumentorum comprehensione et dicendi lucido modo. Non minus quam Alexander Halensis suusque magister Albertus Magnus, philosophiam Aristotelis ministram scientiae christianae adhibuit. Rectam deinde doctrinam adversus errores varios defendit, eamque in systema magnificum continuavit. Alterum illud magis apparet in *Summa contra Gentiles*, alterum vero hoc perfectissima ratione effectum est in *Summa theologica*. Quae duo ejus praecipua opera sunt, fueruntque in pluribus aliis scriptis uberius enucleata. Quem locum Augustinus occupat inter Patres, hunc tenet Thomas inter praeclarissimos scholasticae theologiae doctores. Leo XIII S. Thomam caelestem patronum scholarum omnium catholicarum declaravit et instituit.

12⁰. Sejungi a S. Thoma haud facile potest coaevus ejus et familiaris **S. Bonaventura** († 1274). Natus 1221, anno 1238 ordinem Minorum Fratrum ingressus, videtur Lutetiae Parisiorum usus esse magistro Alexandro Halensi, qui de eo dixit: „*en verum Israelitam, qui in Adamo non peccavit*". Vix annos 24 natus, publice interpretatus est Lutetiae Petrum Lombardum. Factus ordinis sui Magister Generalis, eminuit sanctitate et gubernandi prudentia, creatusque cardinalis et episcopus Albanensis, rerum agendarum princeps fuit in synodo Lugdunensi, donec ibidem obiit 15 Julio 1274. Manserunt celeberrimae in Ecclesiae historia ejus exsequiae. Vocatur Bonaventura *Doctor seraphicus*. Est non solum acutus in argumentando, in docendo uber, in definiendo velox facilisque, sed etiam novit pietatem singularem cum ampla eruditione sociare, ita ut animos commoveat et mira suavitate ad ardentem devo-

---

[1]) Prima editio completa jussu Pii V, Romae 1570. Ultima editio completa Parisiis 1882 sq., tomis 34; recentissima, jussu Leonis XIII fit Romae, ab anno 1882, hodie nondum completa. Editi tomi XII. Cf. *Touron*, Vie des hommes illustres de l'ordre de S. Dominique, Paris 1737. *Joyau*, Saint Thomas patron des écoles catholiques, nouv. éd., Lyon 1895. *De Groot*, O. P., Het leven van den H. Thomas van Aquino, Utrecht 1882; 2e Uitg., 1907. De H. Thomas als wijsgeer, Openingsrede, 1894. *Didiot*, S. Thomas d'Aquin, Bruges 1894. Hist. Jahrbuch der Görresges., B. 21 (1908).

tionem excitet. Etsi systema ejus scholasticum, quoad rem et conclusiones, cum Thomistico comparari potest, methodus tamen diversa est, cum in S. Thoma character Aristotelis, in S. Bonaventura vero magis proprietas Platonis praevaleat[1]). Licet Bonaventurae sermo non semper aeque ac Thomae sit lucidus et venustus, licet etiam multa legenti cogitanda et concludenda relinquat, tamen cum principe scholasticae doctrinae pari honore juremerito habetur. Opera ejus theoretica praecipua sunt *Commentarius in quatuor libros Sententiarum* et *Breviloquium*[2]).

13⁰. Temporis ordine quartus obiit **Albertus Magnus** († 1280). Natus 1193 Lauingae, studuit Patavii, dein ingressus Praedicatorum ordinem, postea in variis locis, etiam Lutetiae Parisiorum, magister fuit. Coloniae ejus fuit discipulus S. Thomas Aquinas. Circa annum 1248 congressus cum Gulielmo Hollandico, opportunitate usus est ut ordinem suum extendendum promoveret in Hollandia, aedesque sacraret Ultrajecti, Neomagi et Trajecti ad Mosam[3]). Ob mirandam eruditionem vocatus est Albertus *Doctor universalis*. Plurima reliquit opera[4]). Quorum praecipua sunt *Summa Theologiae* et *Summa de creaturis*. Magnum ejus meritum in hoc est quod philosophiam Aristotelicam ab erroribus purgavit aptamque reddidit ut theologiae scholasticae esset ministra. Subtilitate, claritate et methodo non aequavit Thomam neque Halensem. Sed ob novam inopinatamque naturae notitiam appellatus est „*Plinius Saeculi XIII*". Obiit anno 1280.

14⁰. Quum primum usurparetur philosophia Graeca et Arabica, ipsa ferebat rerum conditio, ut plurimi doctores hinc inde falsa pro certis haberent. Anno 1269 damnavit archiepiscopus Parisiensis theses aliquot Averroisticas, quae apud Franciscanos irrepserant. Anno 1277 reprobatae sunt nonnullae Thomisticae, etiam fratris Thomae, praesertim propter ejus de principio

---

[1]) Opp. Omnia, Quaracchi, Tom. X (1902), d. 1, p. 3, c. 1, n⁰. 7.

[2]) Optimam operum omnium editionem procuravit *Quaracchi* anno 1882 sq. Cf. *L. de Chérancé*, S. Bonaventure, Paris 1899.

[3]) *Moll*, II, 1, p. 114; II, 2, p. 104 sq.

[4]) Opera omnia ed. Lugduni 1651, fol. 21; Parisiis 1890, Tomi 36. *J. Sichart*, Albertus Magnus etc., Ratisbonae 1857 (trad. fr., Paris 1862). *A. van Weddingen*, Albert le Grand, le maître de S. Thomas d'Aquin, Paris—Bruxelles 1881. *P. de Loe*, De Vita et Scriptis B. Alberti Magni, Analecta Boll., 1900—1902.

individuationis doctrinam. Inde contentio et systematis Thomistici oppugnatio. Anno 1285 editum est *Reprehensorium seu correctorium fratris Thomae*[1]) a Gulielmo de Ware, fratre minore. Cui oppositum est *Correctorium corruptorii*[2]). Haud diu post prodiit celeber **Joannes Duns Scotus** († 1308), *doctor subtilis*, controversiam persequens. Anno circiter 1260 natus in Northumbria, ingressus ordinem Fratrum Minorum, praelegit Oxoniae ad annum 1301, Lutetiae ad annum 1308, quo anno Coloniae defunctus est. Fuit ingenio acutissimo, dijudicandi avido. Inde factum ut de aliis scholasticis sententiam tulerit: de S. Thoma, Henrico Gandavensi, Anselmo, Richardo a S. Victore. Dissensit in multis ab Aristotele. Partium studio nullo agebatur, sola quae vera essent inquirens, ita ut S. Thomam, adversarium suum praecipuum, vix unquam nominaverit. Unde haud parum profuit theologiae studiis, et in ordine suo scholam condidit, ab Halensis et S. Bonaventurae satis diversam. Ejus in scientiis auctoritatem tuitus est Paulus V. Opera ejus praecipua sunt[3]): *Opus Oxoniense*, *Reportata Parisiensia*, quae utraque sunt commentarii in Lombardum; dein *Quaestiones Quodlibetales*. Dicendi modus est nonnumquam minus lucidus. Quod quidem maxime ex eo venit quod pugnaciter et quasi bellatorie scribit[4]).

15⁰. Praeter hos praecipuos doctrinae scholasticae magistros memorari merentur: **Joannes Guallensis** († circa 1300), a coaevis suis vocatus *Arbor Vitae*, qui scripsit *Commentarium in 4 libr. Sententiarum*[5]). **Richardus de Mediavilla** († 1307), cui inter Fratrum Minorum theologos, post Halensem, Bonaventuram et Scotum, quartus locus competit. Vocabatur *Doctor solidus*. Praeter opera alia reliquit *Quaestiones* seu commentarios in Lombardum et *Quodlibeta*, opus lucidum solidumque[6]). **Henricus Gandavensis** († 1293), canonicus et archidiaconus Tornacensis, magistro usus est Alberto Magno, et praelegit imprimis Gandavi, dein Lutetiae Parisiorum. Fuit

---

[1]) *Baluzius*, Miscell. III, 21. Protectorium Thom. Aquin., III, 409.

[2]) *Jean de Paris*, *Poinlasne*, Venetiis 1516. S. Th., Op., ed. Leon., I, 268 sq.

[3]) Op., ed. *Wadding*, Lugd. 1639, Tomi 12. Parisiis 1891—1895, Tomi 26.

[4]) *Seeberg*, Die Theologie des Duns Scotus, Leipzig 1900. *Pluzanski*, Essai sur la philos. de Duns Scot, Paris 1887.

[5]) Lugduni 1511.

[6]) Parisiis 1504, 1512 etc.

ingenio acri et amplissimo. Opera praecipua: *Summa Theologiae* et *Quodlibeta*[1]). Dicebatur *Doctor solemnis*. Servitae eum sibi magistrum sumpserunt, etsi non esset ordinis socius. **Petrus de Tarentasia,** ordinis Praedicatorum, edidit commentarios in Lombardum[2]) et, creatus Papa Innocentius V, mortuus est anno 1276. **Rogerius Bacon** († 1294), ex ordine Fratrum Minorum, appellabatur *doctor mirabilis*, eminuit in scientia naturae, sed nonnumquam somniis astrologicis indulsit. Celebratur ejus *Opus majus ad Clementem IV*[3]). **Vincentius Bellovacensis** († 1264), Ordinis Praedicatorum, erudivit liberos S. Ludovici regis fuitque unus e doctissimis suae aetatis viris. Reliquit celeberrimum *Speculum doctrinale*, *historiale et naturale*, cui *morale* postea est additum[4]). Magis ubertate et cognitione quam ingenii acumine eminuit.

16⁰. Hujus periodi tempoιe non suffecit coluisse theologiam **mysticam;** debuit etiam ad normam scientiae explorari et, in systema continuata, litteris mandari.

Primus in hoc argumento prodiit **S. Bernardus** († 1153), prae omnibus summus suae aetatis vir, qui, etsi in partem vocatus omnium rerum gerendarum magni momenti, plura scripsit opera mystica[5]). Optima sunt: *De diligendo Deo*, *Sermones* (86) *in Canticum*, *De Consideratione*. Cum eo et post eum promovendae theologiae mysticae opeιam dederunt notissimi priores duo S. Victoris: **Hugo** († 1141), qui valde delectat legentem suavitate sermonis. Etiam in operibus ejus contemplativis praevalet theologia mystica. Pulcheιιima sunt: *De arca Noe mystica*, *De arrha animae*, *De vanitate mundi*[6]). Tum **Richardus** (1173), Scotus, qui Lutetiae Parisiorum successit Hugoni prior et magister. Opera ejus praecipua sunt: *De praeparatione ad Contemplationem*, *De statu interioris hominis*, *De Contemplatione*. Non fuit acumine

---

[1]) Quodlibeta, Parisiis 1518; Summa ibid. 1520. Zeitschr. f. kath. Theol., 1890. *De Wulf*, Etudes sur Henri de Gand, Paris 1895.

[2]) *Quétif*, Scrip. O. P., I, 350. *Mothon*, Vie du B. Innocent V, Rome 1896.

[3]) Edit. *Bridges*, Oxford 1897, Tomi 2. Revue des quest. hist., 1884, p. 115 sq. *E. Charles*, Roger Bacon, sa vie, ses ouvrages, sa doctrine, Paris 1861. *Hoffmann*, La synthèse doctrinale de Roger Bacon in Archiv f. Gesch. der Philos., Tom. XX, 1907.

[4]) Ed. Duaci 1624, fol. 4. *Boutaric* in Revue des quest. hist., 1875, p. 1 sq.

[5]) *Migne*, P. L., Tom. 182—185.

[6]) *Migne*, P. L., Tom. 175—177.

ingenii magistro suo par[1]). Mysticam etiam theologiam cum scholastica sociavit Bonaventura. Unctione valde suavia et ad pietatem moventia sunt: *Meditationes vitae Christi*, *Itinerarium mentis ad Deum*, *Incendium amoris*, *Stimulus amoris*. Monasteria prae reliquis Germanica ob opera mystica innotuerunt. **Rupertus Tuitiensis** († 1135) in omni opere suo mystica tractat. Opus praecipuum est: *De Trinitate et operibus ejus*. Ultimi 9 libri e 42 agunt de operatione et donis S. Spiritus[2]). **David ab Augusta Vindelicorum** († 1271), magister novitiorum et lector theologiae in monasterio Fratrum Minorum Ratisbonae, devotissimus fuit scriptor et orator celebratus. Meliora ejus scripta: *De triplici statu religiosorum* et *De septem processibus*, superiore tempore tribuebantur S. Bonaventurae. Pro laicis scripsit Germanice[3]). **Hildegardis Bingiensis** († 1179), cujus revelationes approbavit Eugenius III, in Synodo Trevirensi, anno 1147, edidit *Librum Scivias* (*scire vias Domini*), *Librum divinorum operum* etc.[4]). Amica ejus, **S. Elisabeth Schoenaugiensis** († 1165) utebatur Ekberto fratre suo moderatore, qui etiam scriptis mandavit ejus revelationes: *Visiones*, *Liber viarum*. Quae inscribuntur *Revelationes de sacro exercitu virginum coloniensium*, iis jure merito multi adversati sunt[5]). **S. Mechtildis Magdeburgensis** († circiter 1285) prius beguina, postea ingressa est monasterium Cisterciense Helftae, prope Eisleben. Reliquit librum egregium: *Lumen fluens Divinitatis* et carmina religiosa suavia[6]). **S. Gertrudis**[7]) quoque monialis fuit in eodem Helftae monasterio ibique obiit circa annum 1301; socia ejus fuit **S. Mechtildis Hakebor-**

---

[1]) *Migne*, P. L., Tom. 196.

[2]) *Migne*, P. L., Tom. 167—170. *Rocholl*, Rupert von Deutz, Gütersloh 1886.

[3]) August. Vindel., 1593. *Preger*, Abh. der K. Acad. der Wissensch. z. München, Cl. III, B. XIV, part. II, p. 183—253.

[4]) *Migne*, P. L., Tom. 197. *Schmelzeis*, Leben und Wirken der H. Hildegard, Freiburg 1879. *France*, Sainte Hildegarde, Paris 1903.

[5]) *Migne*, P. L., Tom. 197. *Roth*, Die Visionen der H. Elisabeth und die Schriften der Aebte Ekbert und Emecho von Schönau, Brünn 1884.

[6]) *P. G. Morel*, Das fliessende Licht der Gottheit, Regensb. 1860—69. *Michael*, Gesch. des deutschen Volkes, III, 187—199.

[7]) Saepe haec Sancta permutatur cum Gertrude Hakeborniensi, abbatissa Helftae († 1292), quae soror fuit S. Mechtildis Hakeborniensis. Cf. *Michael*, III, 175. Ejus judicium de revelationibus ibd., p. 203—211.

nensis († 1299). Quae utraque ob revelationes celebrantur [1]).

17⁰. Homines illius aetatis multum lectitasse et frequenti studio versasse **S. Scripturam,** satis patet e praeclaris scholasticorum operibus. Separatim tamen **exegesis** non adeo floruit. Cujus rei causa fuit quum deficiens linguarum notitia, tum etiam quod vigebat studium interpretandi magis ad morum mysticaeque doctrinae rationem quam ad propriam verborum sententiam. Glossa Walafridi Strabonis perrexit celebrari valde, sed sensim ejus loco lectitari coepit *glossa interlinearis* Anselmi Laodunensis (Laon) († 1177) [2]). Fuerunt tamen praeclari exegetae S. Bernardus (*Canticum*), Guibertus Novigentinus († 1124), Hugo et Richardus a S. Victore, Herveus monachus Benedictinus et S. Thomas. De textu Vulgatae, qui in multis deficiens factus erat, optime meruit ordo Praedicatorum et prae ceteris Hugo a S. Caro ejusdem ordinis, qui anno 1237 edidit textum emendatum et cum sociis suis primas confecit *Sacrorum bibliorum concordantias* [3]).

18⁰. Cum hac periodo fere perpetuo contenderent cum Ecclesia civitates civiles, et nonnumquam acriter litigarent, Ecclesia in hoc incubuit ut quae in usu erant jura accurate examinarentur et definirentur. Quae una e causis fuit cur **jus canonicum** sollicite excoleretur. Numerosae prodierant collectiones *Canonum* [4]), quae, nullo ordine compositae, saepe contraria continebant. **Gratianus,** Benedictinus, ea conatus est ad unitatis rationem colligere, ediditque celeberrimum *Decretum Gratiani*, quod ipse inscripserat *Concordantia discordantium canonum* [5]). Coram ingenti audientium frequentia hunc librum *Gratianus* ipse interpretatus est Bononiae, quae tum temporis princeps erat juris sedes. Atque ita ubique innotuit *Decretum* et brevi post tempore non solum in reliquis universitatibus et scholis sed etiam in

---

[1]) Revelationes Gertrudianae et Mechtildianae. Solesm. O. S. B. Monach. cura et opera, Par., 1875—1877, Tomi 2.

[2]) Antverp. 1634.

[3]) S. Biblia recognita et emendata. Opp. Omnia, Venetiis 1754, Tomi 8. *Denifle,* Die Handschriften der Bibelcorrectorien der 13 Jahrh. (Archiv f. Litt. u. Kirchengesch., 1888, p. 263).

[4]) Cf. supra § 67, No. 2.

[5]) Ed. *A. Friedberg,* Leipzig 1879, Tom. I.

judiciis usurpari cepit. E multis *Decreti* commentariis frequenti praesertim usu celebrabatur Joannis Teutonici († 1240) *glossa ordinaria.* Recentius interea latas Summorum Pontificum definitiones canonicas ad unum aliquod systema redigendas curavit Gregorius IX per **Raymundum de Pennaforte** [1]), qui opus illud anno 1234 complevit. Hos *decretales Gregorii IX* Papa pro authentica collectione misit Bononiam et Lutetiam Parisiorum. Etiam his suae glossae additae sunt, quarum praestantissima erat Bernardi Parmensis († 1266) *glossa ordinaria.* Anno dein 1298 prodiit Bonifatii VIII *liber sextus*, continens decreta posteriora Gregorio IX; anno 1317 *Clementinae* [2]) subsecutae sunt. Quibus editis collectionibus Pontificiis, non potuit jus canonicum cultu perfectiore carere. Sicuti in praelectionibus theologicis *Libri sententiarum*, ita in juridicis hae collectiones interpretando usurpabantur. Simul plura prodierunt opera majora, universum decretalium argumentum, ad systematis rationem redactum, complectentia. Ita paruerunt sensim variae *Summae* de *re morali*, quae etiam *poenitentialia* seu *Confessionalia* inscribebantur. Prae ceteris nota fuit *Summa* S. Raymundi de Pennaforte, quae, edita anno 1235, libris quatuor *de poenitentia et matrimonio* [3]) absolvebatur; dein *Summa Monaldina*, a Monaldo († circa 1284), fratre minore confecta et inscripta *Summa juris canonici*, quam vulgo *Summam auream* celebrabant [4]).

---

[1]) *Balme et Paran,* Raymundiana, seu documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforte vitam et scripta, 1898—1901. Analecta O. P. (1899). Histoire de Raymond.

[2]) Omnes hae collectiones saepe editae sunt. Recentior editio. *Friedberg*, Leipzig 1879, Tomus II.

[3]) Moguntiae, 1618 etc.

[4]) Lugduni 1516.

§ 116. Artes ecclesiasticae.

F. X. Kraus, Geschichte der christlichen Kunst, II, 1, Freiburg 1897. *Dr. A. Fäh*, Geschichte der bildenden Künste, Freiburg 1897. *Anton Springer*, Geschiedenis der beeldende kunst. Voor Nederland bewerkt door A. W. Weissman, I Deel, Leiden (zonder jaar), *Jacob*, Die Kunst im Dienste der Kirche, 5 Aufl., Landshut 1901. *Barbier de Montault*, Oeuvres complètes, 11 vol., Paris 1899 sq. *Gleeson White* and *T. F. Strange*, Bells Cathedral series, 20 vol., London 1899 sq. *Reusens*, Archéologie chrétienne, 2e ed., 2 vol., Louvain 1885—1886. *E. Frantz*, Geschichte der christlichen Malerei, Freiburg 1887—1888. *J. A. Alberdingk Thijm*, De H. Linie. Proeven over de oostwaartsche richting van Kerk en autaar als hoofdbeginsel der kerkelijke bouwkunst. Amsterdam 1858. Idem, De gothiek (Volksalmanak, Amsterdam 1890; Dietsche Warande, IV Deel). *A. Pératé*, L'art chrétien au moyen-âge in La France chrétienne dans l'histoire, Paris 1896, p. 281—295. *E. Mâle*, L'art religieux du XIII siècle en France, Paris 1901.

1°. Hac aetate, dum praeclarissimi regnabant Pontifices, imperatores Germaniae summa sua potestate gaudebant, crucigerorum expeditiones omnium animos ad pietatis fervorem excitabant et scientia scholastica recenti florebat juventa, vix fieri potuit ut **architectura** quoque ad novum perfectionis gradum non ascenderet. Superioris periodi arti Romanae successit, hac periodo, ars *Gothica*. Differt a Romana eo quod arcui orbiculato substitutus est arcus *acuminatus*, et quod fornices distinguuntur *costis*, in unam conclusuram seu saxum medium convenientibus et fornicis *putamina* sustinentibus. Qua structura totum fornicis pondus defertur in angulos, qui propterea addito anteridum munimine firmantur. Navium lateralium anterides, altius eminentes supra extremos earum muros, fulciunt muros navis mediae ope dimidiatorum arcuum acuminatorum, qui *arcus aerii* vocantur. *Columnarum* gothicarum medullas teretes circumdat *scaporum* copia, qui non arcus solum sed etiam fornicis costas sustentant et basi multangulae innituntur. Columnarum *capitula*, utut varia valde, tamen formam calicis prae se ferre solent, distincta inferius *astragalo* et superius *tegula*, multifariam sulcata, ad formam arcuum costarumque fornicis. Columnae, anterides, arcus aerii, costaeque fornicis efformant corpus et quasi ossa aedium gothicarum. Quare muri ad ipsam structuram non pertinent. Sunt tantum supplementa, quibus, si commodum visum fuerit, substitui fenestrae possunt. Fenestrae, multo grandiores quam in structura Romana, dividuntur columnis, quae in

arcus minores acuminatos exeunt. Earum apices instruebantur fere usque ad annum 1300 circulis, saeculo XIV circulorum segmentis et postea figuris flammiferis. In fronte occidentali et in lateralibus occurrunt fenestrae, rotae seu rosae similes. Loco porticorum (galerie) supra naves laterales *triforia* construebantur. Anterides et arcus aerii splendide ornata spectantur; illae exeunt in turriculas graciles (pinacles), quorum apices terminantur flore quadrifido (fleuron), hi vero cumulis exiguis (crochets). Usitatissimae sunt in structura gothica figurae foliaceae. Saeculo XIII prae ceteris imitabantur folia plantarum aquatilium et silvestrium, saeculo XIV arborum et arbustarum, saeculo XV crambium et carduorum. Frons praesertim quae ad occidentem spectat uberrimis praebet spatium ornamentis: imprimis *porticus* tres cum aediculis statuisque; tympanum deinde quod supra postium jugum arcubus acuminatis terminatur et ectypis variis distinguitur; fornicem porticus quoque statuae inclinatae ornant. Pulcherrimum vulgo offerunt ornatum turres. Quadrum inferius supra convertitur in octogonum, concinnatur turriculis angularibus, fulcitque pyramidem saxeam excelsam, sulcatis costis lineamentisque distinctam, cui flos quadrifidus tanquam fastigium impositus est; nonnunquam in media cruce turris habetur. Generatim templa basilicae formam retinuerunt, cryptas omiserunt, apsidem curvatam verterunt in multangulam, saepe tantundem sacellis instructam. Insuper aedes gothicae vulgo excelsiores magisque proceres. Sublime exstructi muri, paulatim in arctius coactae anterides cum arcubus aereis mirum est quantam ponderosissima aedificia spectanti praebeant levitatis gracilitatisque speciem. Structura gothica novit commoda sociare pulchris, aedificiorum firmitatem cum symbolismi pietate conjungere.

2°. Ortum habuit structura gothica in partibus Galliae septentrionem spectantibus, e structura romana paulatim educta. Jam exeunte saeculo XI occurrunt fornicis costae ad formam crucis confectae. Quae frequentiores factae sunt initio saeculi XII. Dein apparuit structura, transitum seu medium quendam locum obtinens, quae breve post tempus in propriam structuram gothicam desiit. Jam antequam apsis *S^i Dyonisii* confecta est videntur *S^i Ludovici* Pinciani (Poissy) aliaque templa aedificata. P h i l i p p o A u g u s t o regnante (1180—1223), prodierunt celeberrimae cathedrales Carnotae, Lutetiae Parisiorum, Suessione, Laoduni

(Laon) et Rhemis. Saeculo XIII haec novata structura in alias regiones transiit. *S. Gudulae* Bruxellis inchoata est anno 1226, *B. Mariae Virginis* Treviris anno 1227, ac pauco post tempore in omnibus Europae partibus plurimae aedes gothicae exstructae sunt.

3°. Hanc autem structuram gothicam non, quasi ex abrupto natam, immotam jacuisse, sed paulatim eductam sensim pubuisse, facile patet. Nec tamen minus constat eam non in omni loco aeque velociter adolevisse neque ubique se in eundem sensum extulisse. Quare ejus tria distinguuntur tempora. **Gothica anterior** in Gallia fere usque ad annum 1200, in Germania et alibi ad annum 1250 duravit. Haec nondum remissioribus utitur formis. Apsis saepe quadrata, arcus aerii plerumque desunt, vel, si adsunt, carent ea levitate qua postea splenduerunt. Adhuc occurrunt pilae quadratae et nonnunquam, in turribus et porticibus, arcus orbiculati. Jucunda tamen est, vigens sobrietate et robuste ductis lineamentis. Praeter templa jam memorata hujus structurae arte pollent: cathedralis Lausannae in Helvetia (1235) et Magdeburgensis (1208), ecclesia S. Elisabeth Marburgi (1243). **Gothica media,** seu perfectior, viguit in Gallia ad annum 1250, in aliis regionibus usque ad saeculum XIV jam diu currens. Fornices splendidius ornatae, anterides exeuntes in turriculas, arcus aerii ad summam pulchritudinem conformati, delineamenta, per circulos et circulorum segmenta concinna venustate elegantia, columnarum medullae teretes scaporum copia abditae, porticus crebris columnis fultae et copioso ornatu insignes, turres magnificae, haec omnia, huic structurae propria, mentem usumque exhibent medii aevi hominum, quos scientia scholastica informarat et crucigerorum expeditiones ad ardens religionis studium accenderant. Praecipua hoc stilo exstructa templa sunt: *Sacellum Sanctum* Lutetiae Parisiorum (1243), cathedrales Argentorati (altera dimidia parte saeculi XIII), Coloniae Agrippinae (1248), Metis, Friburgi, Ratisbonae, Halberstadii et Misniae. **Gothica posterior** (saeculis XIV, XV, XVI) prae se fert formas praeacutas et arbitrarias; lineamenta figuram flammae (vesicae piscium), dorsi asinorum imitantia; fornices per modum retium aut stellarum callidissimo, nonnumquam quaesito, artificio fabricatas; ornamenta temere adjecta; frondes immoderate effictas. Attamen haec quoque aetas templa magnifica protulit. Quorum pulchriora sunt: cathedralis Antverpiae (1352), Erfurti (1349), *S. Stephani*

Vindobonae (1359), Pragae (1344), *B. M. V.* Nurembergae (1355), monasterii Ulmensis (1377); etiam ecclesiae latericeae in Germania septentrionali aedificatae Lubecae, Brenoburgi, Dantisci etc.

4⁰. Jam pridem structura Gothica e Gallia in **Hollandiam** penetravit. *S. Martini* Ultrajecti jam anno 1254[1]) et *S. Joannis* Silvae Ducis pauco tempore post primus lapis fuit positus. Goes et Meerssen suas hoc quoque stilo ecclesias acceperunt. Occurrunt etiam non raro ecclesiae, quarum naves tres aut quinque ad aequalem altitudinem elatae sunt (Hallenkirche). Quarum pulchriores, *S. Michaelis* Zwollae, ecclesia Enkhusiana, et *S. Walburgis* Zutphenii, quae ob hanc structuram proceres valde sunt et leves. Turres autem Gothicae venustiores in Hollandia inveniuntur Bredae, Amersfortii, Rhenani, et Trajecti ad Mosam turris *S. Joannis*. Altitudine reliquos superat turris Ultrajectina. Praeter jam relatas memorandae sunt *S. Bavonis* Harlemii, *S. Pancratii* Lugduni Batavorum, *B. Mariae V.* Dordraci, ecclesiae duae Campis, vetus et nova ecclesia Amstelodami et Delfis, *S. Stephani* Neomagi. Quas omnes tamen longe superat *S. Joannis* Silvae Ducis, opus ad normam cathedralium Gallicarum singulari artificio perfectum, quod tum ob magnifice conceptam descriptionem, tum ob copiosam exaedificandi ubertatem cum optimo quoque aliarum regionum opificio comparari potest[2]).

5⁰. Floruit simul cum architectura Gothica etiam **sculptura.** In splendidis ecclesiarum frontibus, in numerosis aediculis, in columnarum lateribus, immo vero etiam non raro in summis anteribus multus fuit huic artificio locus. In locum altarium depressorum ponebantur alta Gothica. Reliquiarum quoque scrinia, cancelli, baptisteria[3]), et monumenta sepulchralia multo

---

[1]) *Weismann*, Oud-Holland, XXIV jaarg. p. 189 sq.

[2]) *J. C. A. Hezenmans*, De St.-Janskerk te 's Hertogenbosch en haar geschiedenis, 's Hertogenbosch 1866. De St.-Janskerk te 's Hertogenbosch (39 kopergravuren van P. J. Arendsen, met inleiding van J. C. A. Hezenmans) uitgegeven door het Prov. Gen. van kunsten en wetenschappen in Noord-Brabant ('s Hertogenbosch) 1895, fol. C. F. X. Smits, De kathedraal van 's Hertogenbosch, Brussel—Amsterdam 1907.

[3]) A. Everardus Trajectensis confecit cancellos in cathedrali Xanten et baptisterium Silvae-ducense. Memorentur etiam scrinium reliquiarum (noodkist) et alia artificiosa in thesauro Trajectensi. In finibus Legiae ars quoque floruit. Cf. *Bock en Willemsen*, Antiquités sacrées, conservées dans les anciennes collégiales de S. Servais et de Notre-Dame à Maestricht, Maestricht 1873. Exposition de l'art ancien au pays de Liège. Catalogue général, Liège 1905.

saepe artificio conficiebantur. Erecta sunt pulcherrima alteque educta sacramentaria (Sacramentshäuschen), omnia vel mediae vel posterioris structurae gothicae aetate nata. Praestantiora sunt *S. Severini* Coloniae (1378) *S. Laurentii* Nurembergae (circa 1500). Prae ceteris excelsum habetur Ulmae (1469). Etiam quod invenitur Meerssen pulcherrimum sacramentarium posterioris Gothicae artis tempore structum est[1]). Ponebantur affabre sculpta pulpita, quorum praecellentiora visuntur, saeculo XV confecta, *S. Stephani* Vindobonae (1430), Friburgi (1470), Argentorati (1486) aliaque. Argumenta mutuabantur quum e Veteri tum e Novo Testamento. Effingebatur historia redemptionis cum prototypis universa, terrarum deinde, ecclesiarum, ordinum, corporum, et hominum individuorum patroni sancti. In monumentis sepulchralibus vel ipsa mortui effigies occurrit. Gothicae anterioris sculptilia hoc vulgo conspicuum habent quod formae sunt astrictae et rigidae, corpora macie procera, ad alterum latus inclinata; facies efferunt gravitatem et pacem, labia suaviter subridentia beatitudinem exprimunt. Mediae autem et posterioris Gothicae artis tempore gestus magis rerum naturae conformis, corpora minus inclinata, vestitus oblongus et amplus, non quidem prorsus ad verae vestis exemplar complicatus, varius tamen et venustus. Capita, quae superiore tempore vulgo grandiora sunt, hac aetate ad rectam temperationem redacta et saepe pulcherrime sculpta inveniuntur.

6°. Nec minor fuit locus **picturae.** Opera tectoria, altarium tabulae, organa picta, et posterius praesertim creberrimae picturae separatae ornabant ecclesias. Quae omnia cum ecclesiae Gothicae requirerent, ortae sunt ubique et floruerunt scholae pictorum. In Italia, Byzantinismi forma hieratica conventionalis cessit formae quae rerum naturae consentanea erat. Quare celebratur Cimabue (1240—1303) Florentiae, Guido Siennensis (1271), Giotto († 1337), qui sibi propriam artis viam aperuit[2]). E schola Westphalica superest *antipendium* Soestense (circa 1200), *retablum S. Mariae* Soestensis et *cruci suffictio* (Saeculi XIII) Scholae Flandrica et Hollandica, postea tantopere celebratae, saeculo quoque XII suis magistris non caruerunt[3]). Tra-

---

[1]) *J. Hertkens.* Die mittelalterlichen Sacramentshäuschen, Frankfurt 1908.

[2]) *Filippini*, Le scoltare nel trecento in Roma, Torino 1908. *Testi-Rodolico*, Le arti figurative nella storia d'Italia: il medio evo, Firenze 1907.

[3]) *J. Kalf*, Onderzoekingen naar dertiend'eeuwsche schilderkunst in Nederland. (Tweemaandelijksch Tijdschrift 1897).

jectum ad Mosam, teste Wolframmo ab Eschenbach[1]), saeculo XIII aemulabatur Coloniam Agrippinam.

7°. Tempore mediae structurae Gothicae, ars pingendi specularia **vitrea** ad magnam fuit perfectionem evecta. Saeculo XIII pingebantur figurae parvae, bullarum specie (Bituricis, Carnotae, sacellum sacrum Lutetiae). Colore utebantur prae ceteris caeruleo, rubro et viridi. Effigies vividas fingebant. Paulatim pingebantur imagines grandiores, nonnumquam valde grandes, praesertim in fenestris principalioribus apsidis. Describebantur etiam lineis confectae figurae in vitro subviridi (grisaille). Saeculo XIV delineandi arte processerunt artifices. Prae ceteris utebantur colore caeruleo, rubro et flavo. Quod tamen huic arti fuit proprium pedetentim disparuit, ita ut pro fenestris eaedem figurae adhiberentur quae pro tabulis. Supersunt ex aurea hujus artis aetate praeclarissima opificia Bellovaci, Eburovici, Lemovici, Narbone, Carcasone, Argentorati et Coloniae.

8°. **Pusilla** (miniatures) quoque pingendi ars hac periodo multum culta et ad altum perfectionis gradum elata est. In Germania (Treviris et Argentorati), sed praesertim in Gallia (Lutetiae) et in Belgio (Brugis et alibi), fuerunt qui hanc artem docerent magistri. Monasteria quoque eximie eam exercuerunt, praecipue quum, altera dimidia parte saeculi XIV, libri imaginibus distincti invalescerent apud nobiles. Prae ceteris laudantur *psalterium* Ludovici IX, Ducis de Berry *horae majores* (Grandes Heures) (1409) et postea *Breviarium Grimani*, probabiliter oriundum ab artificibus Flandricis[2]). Quae autem multa in bibliothecis servantur, ostendunt ad quem perfectionis apicem haec ars effloruerit[3]).

---

[1]) Parcival (inito saeculo XIII) „Von Kölne noch von Mästricht kein schiltaere entwürfe in baz, denne alser ufem orse sass."

[2]) Bréviaire Grimani de la bibliothèque de S. Marco à Venise. Reproduction photographique complète éditée par Scato de Vries, Leyde 1904 sq. Cf. Onze Eeuw, 1904 (X Afl.) p. 103 sq. : Over Middeleeuwsche Vlaamsche miniaturen door *Dr. G. J. Boekenoogen.*

[3]) Scribit hoc loco *R. Hedde* Manuel etc. I, 605 : „Ainsi tous les arts, comme d'ailleurs les autres manifestations de l'activité humaine, étaient alors éveillés, commandés, guidés par l'idée religieuse ; c'est cette idée s'imposant à l'initiative privée comme à l'idéal collectif des peuples, qui forme la caractéristique du moyen-âge et constitue son cachet d'unité : de là aussi son indéniable grandeur."

PERIODUS TERTIA.

A Bonifatio VIII ad reformationem.

1303—1517.

CAPUT PRIMUM.

Summi Pontifices.

§ 117—§ 122.

§ 117. Initium captivitatis Babylonicae. Synodus oecumenica XV (1311). Dissolutio Templariorum.

Baluzius, Vitae Paparum Avenionensium, Tomi 2, Parisiis 1693. *André*, Histoire de la papauté à Avignon, 1888 (2e éd.). *Pastor*, Geschichte der Päpste, I (4e Aufl.), p. 67 sq. *Hefele-Knöpfler*, Conciliengeschichte, VI. *Schottmüller*, Untergang des Templerordens, Berlin 1887. *Lavocat*, Procès des frères et de l'ordre du Temple, Paris 1888. *Gmelin*, Schuld oder Unschuld des Templerordens, Stuttgart 1893. *Knöpfler*, Hist. Jahrbuch der Görresges., 1887, p. 666 sq.; 1888, p. 496 sq. *Ch. Langlois*, Le procès des Templiers d'après des documents nouveaux, Revue des Deux Mondes, Vol. 53 (1891). *Finke*, Papsttum und Untergang des Templerordens, Reformationsgeschichtliche Forschungen, Bd. IV—V, Münster 1907.

Notatur haec periodus potestate pontificia minuta, captivitate Babylonica, schismate magno occidentali, pseudo-synodis, disciplina ecclesiastica languescente, identidem repetitis instaurandi irritis consiliis. Accessit recessus studiorum scholasticorum, nata theoria conciliaria et, pagana instauratione (renaissance) invecta, morum depravatio.

1°. Defuncto Bonifatio VIII successit, ex ordine Praedicatorum, papa **Benedictus XI** (1303—1304) [1]. Mitiore agendi modo conatus est cum Gallia pacem componere. Nominatim excommunicatis sacrilegii Anagniensis auctoribus, Nogareto et Sciarra Colonna, Philippum regem, Jacobum et Petrum Colonna, cardinales, excommunicatione solvit, bullam *Clericis laicos* mitigavit constitutione *Quod olim*, sed fortiter

[1]) *Funke*, Benedict XI, (Kirchengeschichtl. Studien, B. 1. p. 1—151) Münster 1891. *Grandjean*, Les registres de Benoît XI, Paris 1883 sq. *Mortier*, Hist. des Maîtres Généraux O. P., tom. II, Paris 1905, p. 319—353; 422—436.

renuit tanquam haereticum et *intrusum* damnare Bonifatium VIII. Nec diu post obiit Benedictus, 7 Julio 1304; in numerum beatorum relatus est [1].

2⁰. Habito 11 mensium conclavi, electus est Bertrandus de Got, archiepiscopus Burdigalensis, qui sibi **Clementis V** (1305—1314) nomen imposuit [2]. Philippum Pulchrum, antea cum eo congressum, electionis conditiones statuisse, commentum est [3]. Invitantibus cardinalibus ut Romam veniret non obsecundavit Clemens, sed postquam tres annos circumierat (Burdigalam, Pictavium, Tolosam), sedem anno 1309 fixit Avenione. Quae causa fuerit cur nefastum adeo inierit consilium, in comperto non est. Censent auctores, turbas in Italia et praesertim Philippi studia in causa fuisse. Certum tamen est, inde populorum in Papam fiduciam sensim labefactatam, communemque apud omnes Papae auctoritatem esse deminutam, eo quod, dominante potentia regum Galliae et aucto immodice numero cardinalium Gallicorum, regimen Ecclesiae fere Gallicum videretur. Etsi enim Philippi et, qui ei successerunt, regum influxus haud parum narrando est exaggeratus, Paparumque Avenionensium merita saepius non pro dignitate sunt aestimata, **captivitas Babylonica** (1309—1377) tamen pro saeculis insequentibus funestissimas peperit calamitates: indignam humilitatem papatus et magnum schisma occidentale.

Anno 1306, 1 Februario, edidit Clemens bullam *Meruit* [4], qua Philippo plane constitit, per constitutionem *Unam Sanctam* nec suam nec regni sui libertatem ullo puncto esse minutam. Aliquot etiam Bonifatii VIII bullas, prae ceteris *Ausculta fili*, immutavit Clemens, immo vero abrogavit *Clericis laicos* [5]. Causam quoque agi contra Bonifatium VIII eatenus permisit, ut jam anno 1307 inquisitionem institui et post tres annos testes audiri jusserit. Demum sibi sententiam dicendam reservans declaravit, regem bona fide contra Bonifatium egisse.

---

[1]) Quod non fuit veneno absumptus, vide *Hauréau*, Bernard Délicieux et l'inquisition albigeoise, Paris 1877.

[2]) Clementis V Regestum, ed. cura et studio mon. ord. S. Bened. Tomi 9 et append. tomi 2, Romae 1885—1892. *Berchon*, Hist. du pape Clément V, Bordeaux 1898.

[3]) *Boutaric*, Revue des quest. hist., X, 301 sq.

[4]) Cap. 2 de privil. V, 7 in X vagg. Comm.

[5]) Cap. un. de immun. Ecc. in Clem. III, 17.

Gulielmus quoque Nogaretus excommunicatione est solutus.

3°. Inter res gestas autem regni Clementis V maxima est **dissolutio Templariorum,** quorum opes Philippum ad cupiditatem videntur commovisse. Re quidem vera ingentes eorum reditus, qui in sola Gallia, ad hodiernum auri pretium, ad francorum quinquies et dimidium decies centena millia aestimandi fuerunt, regis pecuniae angustias levare poterant. Dein debuit ordinis dissolutio desideratissime accidere Philippo, quod quindecim illa millia equitum, tanta opulentia validi, impedimento ipsi erant, quominus cupiditati absolute imperitandi satisfieret. Quas sane veras agendi causas dissimulans, publice speciem protectoris rectae fidei et virtutis prae se tulit et ordinem graviter criminatus est. Quod quidem eo commodius facere potuit, quod pridem Templarii de multis accusati erant. Ne quid dicatur de episcopis, qui ordinem esse exemptum aegre ferebant, jam Innocentius III, anno 1207, gravi sermone equites reprehenderat de pravo, quod dabant, exemplo eamque monitionem, anno 1213, iteraverat[1]). Clemens IV, anno 1265, poenas graves comminatus erat[2]). Nicolaus IV animo versaverat consilium, ordinem Templariorum cum S. Joannis ad unum redigendi, quod idem Clemens V meditari iterum cepit. Non tamen fidem adhibuit Papa criminibus horrendis, quibus onerabat equites Philippus. Opportunitatem nactus quod serio de expeditione sacra ageretur, rex cum Papa congressus est, Aprili 1307, Pictavii, ibique iterato accusavit Templarios de libidine turpissima, de infidelitate, de Christi crucisque contemptu, de ludibrio in sacramenta, de superstitione etc. Jacobus de Molay magister generalis, qui erat Pictavii, noluit ordinem suum tanta suspicione premi, petiitque a Papa, ut inquireretur[3]). Annuit Clemens statuitque diem, exeunte Augusto. Tum, valde accelerans rem, Philippus praevenit inquisitionem a Papa faciendam omnesque equites cum magistro generali comprehendit bonaque eorum omnia occupavit. Reprehendit regem Papa (7 Oct.) suspenditque inquisitores (1 Dec.). Quum peteretur pro episcopis et inquisitoribus *jurisdictio* in Templarios, ordinis-

---

[1]) *Migne* P. L., Tom. 215, p. 1217. Cf. *Potthast*, n. 3175 et 8996.

[2]) *Raynald*, ad an. 1265, n. 75—76.

[3]) *Boutaric*, Revue des quest. hist., 1871, p. 323 sq.

que dissolutio *via provisionis apostolicae*, denegavit Clemens. At jam pridem, a 19 Octobri ad 24 Novembrem, inquisitores Templarios 140, Lutetiae Parisiorum, tormentis adhibitis probarant. Quorum autem quum 137 confessi essent, se repudiasse Christum et conspuisse crucem, dubitare coepit Clemens V mandavitque (1307) principibus christianis ut Templarios comprehenderent. Funestus fuit ordini annus proxime sequens (1308). Die 5 Julio jurisdictionem iterum acceperunt Praedicatores; eodem mense destitit Papa de consilio, ut magister generalis a se solo interrogaretur; die 12 Augusti excommunicationis poena proposita est iis, qui Templarios domo susciperent et 30 Decembri eadem poena intentata iis, qui equitibus opera aut consilio auxiliarentur. Anno 1309 delectos viros constituit Clemens, qui Templarios audirent. Multi confessi sunt [1]). Exitialis autem ordini fuit electio Marigny in archiepiscopum Senonensem. Crudelitate enim sua Templarios ad desperationem adduxit [2]) et 54, qui in tormentis confessa revocaverant, exurendos curavit. Die 18 Martio et 25 Augusto 1311 jussit Clemens ut in aliis etiam regionibus tormenta adhiberentur. In universum dici potest, de culpa ordinis in Gallia non plane constare, in reliquis vero regionibus eum insontem fuisse.

4⁰. Summa hujus inquisitionis universae missa est ad **synodum oecumenicam Viennensem** (1311—1312). Terrarum omnium episcopi et allegati convenerant. Prima sessio habita est 16 Oct. 1311. Delecti sunt viri qui inquirerent de causa Templariorum. Sessione altera, 12 Aprili 1312, res est definita. Ante omnia decreverunt, fas non esse, ordinem ob factas confessiones judicis sententia dissolvi. Pro certo tamen habuerunt, ordinis *socios* sat magno numero errorum et scelerum fuisse reos, *ordinem universum*, ob factam per varias terras inquisitionem, bonam suam famam perdidisse atque adeo ad persequendum finem suum inhabilem esse factum. Considerarunt insuper, si sententia differretur, bona cuncta ordinis raptum iri. Quare Papa ordinem Templariorum dissolvit „*non per modum definitivae sen-*

---

[1]) Indicem vide in Zeitschr. f. k. Theol., 1879, p. 424. Cf. *Jungmann*, Dissert. XXXI et Zeitschr., p. 621.

[2]) „Il convoqua brusquement un concile de sa province et fit condamner comme relaps cinquante-quatre chevaliers, qui avaient révoqué leurs aveux devant la commission pontificale; ils furent brûlés publiquement le 12 Mai 1310." *R. Hedde*, Manuel, II, 7.

tentiae, sed per modum provisionis seu ordinationis apostolicae"[1]). Per bullam *Ad providam*, 2 Majo 1312, bona ordinis data sunt fratribus ordinis S. Joannis.

Nisi Philippus agitasset, probabile est, ordinem non fuisse exstinctum. At Papam caruisse causis sat gravibus, cur ordinem *per viam provisionis seu ordinationis apostolicae* dissolveret, nemo sane dixerit. Metuisse synodum vel Papam adventum exercitus regii, indicatum nullibi est[2]). Magistrum generalem et praeceptorem Normanniae (Godofredum de Charnay), Martio 1314, Philippus exussit. Priusquam morerentur, uterque confessa revocavit. Magistrum autem contionem habuisse et Papam intra annum, regem intra quadraginta dies, in judicium Dei vocasse, constat fabellam esse[3]).

Synodus dein decrevit expeditionem sacram futuram, quae tamen suscepta non est. Contra Philippum, urgentem ut cadaver Bonifatii VIII, tanquam viri haeretici, exureretur, stetit synodus sententiae, eum a recta fide non aberrasse; declaravit tamen regem bona fide egisse.

Demum synodus damnavit doctrinam, *quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter*[4]). Obiit Clemens V die 20 Aprili 1314.

---

§ 118. Papae Galli. Lucta cum Ludovico Bavarico.

E. Müller, Der Kampf Ludwigs des Baiern mit der röm. Kurie, Tübingen 1879. *Verlaque*, Jean XXII, sa vie et ses oeuvres, Paris 1883. *Pflug-Harttung*, Anhang, Gegner und Hilfsmittel Ludwigs des Baiern in seinem Kampf mit der Kurie (Zeitschr. f. Kirchengesch., 1901, p. 463 sq.). *Coulon*, Lettres secrètes et curiales du Pape Jean XXII relatives à la France, Paris 1900. *Mollat*, Lettres communes du Pape Jean XXII, Paris 1901 ss. *E. Albe*, Autour de Jean XXII. Hugues Géraud, évêque de Cahors, Toulouse 1905. Autour de Jean XII. Le cardinal de Montfavès de Castelnaude Montratier, Cahors 1905.

---

[1]) Bulla *Vox in excelso*, Civ. Catt., 1866, fasc. August—Sept. Tüb. Quart., 1866 p. 56—84.

[2]) *D'Achery*, Spicil., III, 65: sermo non est de exercitu regio, sed refertur „decens ac potens comitiva praelatorum, nobilium et magnatum."

[3]) Zeitschrift f. kath. Theol., 1881, p. 600 sq. Cf. insuper de his omnibus *Ignatius van Os*, De abolitione ordinis templariorum (Diss. inaug.) Herbipoli 1874. *H. Finke*, Papsttum und Untergang des Templerordens. Reformationsgeschichtliche Forschungen, B. IV—V, Münster 1907.

[4]) *Denzinger*, Ench., ed. 10, p. 208—210.

1⁰. Vacavit Sedes Romana annos duos, propterea quod pars altera cardinalium desiderabat Papam Romae sedentem, altera manentem in Gallia. Altera haec pars demum praevaluit. Electus est cardinalis Jacobus de Osa, **Joannes XII** (1316—1334), qui sedem fixit Avenione. Natus Cadurci, laudabatur vir usu rerum, scientia et virtute praestans. Sed infeliciter accidit ut sedem Avenione firmaverit, creando cardinales Gallos septem. Praecipuas molestias sustinuit a Ludovico Bavarico et a *Spiritualibus*.

2⁰. Henricus VII, jussu Clementis V Romae ab uno cardinalium coronatus imperator (1312), a Dante poeta laudatur redemptor libertatis Italiae, sed re vera dux fuit Ghibellinorum. Quo mature defuncto (1313), electio anceps imperium divisit. Ludovicus Bavaricus Aquisgrani, Fredericus Austriacus Bonnae, dignitatem regiam acceperunt. Uterque rem retulit ad Joannem XXII, qui interea Clementi V successerat. Licet, dum non esset imperator, Italiam Papa ipse gubernaret jure antiquo, contra Ludovicus vicarium suum in Italiam misit favitque causae Galeazzo Visconti, qui maxime Papae inimicus erat. Interea, facto proelio ad Muhldorf (1322), Ludovicus adversarium suum Fredericum devicit. Tum Papa, etsi fuit animo propensus ut eum imperatorem acciperet, postulavit tamen ut Ludovicus imperio abstineret, cum fieret inquisitio de ejus electione, utque intra menses tres rationem redderet de hostilibus in Papam gestis [1]). Restitit Ludovicus, Papae jussa dixit esse invalida, criminatus eum est et provocavit ad synodum generalem. Joannes excommunicavit eum, 23 Martio 1324. Quo facto Ludovicus, instigantibus Spiritualibus-Franciscanis, promulgavit *appellationem Sachsenhausianam*, et Papam haeresis crimine accusavit [2]). Annis autem 1325 et 1326, exagitatus a Leopoldo Austriaco, tractabilis factus est Ludovicus. At mortuo Leopoldo ingressus Italiam anno 1327, et a Sciarra Colonna coronatus, Petrum Rainalducci, Franciscanum, antipapam constituit. Is, aula regia

---

[1]) *Muratori*, Script., XII, 989 sq. *Gualvaneus de la Flamma*, De reb. gest. a vicecomitibus.

[2]) *Erhle*, Archiv f. Litt.-u-Kirchengesch., 1897, p. 540 sq. Zeitschr. f. Kirchengesch., 1897, p. 72 sq.

sua cum luxu instructa, Ludovicum iterum coronavit. At in Italia plurimi, paulatim deficientes a Ludovico, partibus Joannis XXII se adjunxerunt, ita ut tandem ille exierit ex Italia et antipapa se Joanni XXII subjecerit (1330). Hoc anno, mense Januario, Frederico Austriaco defuncto, Ludovicus agere cum Papa coepit, sed non nisi post annos tres paratum se praebuit ad deponendam dignitatem imperii, contra jus legesque acceptam Dum res agebantur, Joannes XXII obiit nonagenarius (4 Dec. 1334).

3°. In hac lucta cum Ecclesia et Pontifice Ludovicus auxilio usus est hominum fanaticorum, qui **Spirituales** appellabantur. Odio acti in Papam, qui doctrinam eorum malesanam de paupertate refutarat et condemnarat [1]), adversario ejus se adjunxerant. Eos huic negotio affines fuisse, patet praesertim ex *appellatione Sachsenhausiana*, in qua omni modo Papa accusatur, criminantes, eum agere contrarium Christo, Apostolis et Evangelio, in describenda paupertate fuisse haereticum protervum, imo vero sacrilegum et blasphemum [2]). Hisce Papae adversariis opitulabantur magistri duo universitatis Parisiensis: **Marsilius Patavinus** et Joannes Jandunus, qui anno 1326 Neurenbergi apud aulam degebant. Communi labore confecerant librum, cui inscriptio *Defensor Pacis* [3]), sententias audacissimas continentem: Ecclesiae jus ferendi leges et sententias dicendi penes populum est, cujus primus praecipuusque vicarius est imperator. A populo derivatur potestas in clerum. Visibile caput Ecclesiae a Christo institutum non est. Papa sede dejici potest ab imperatore, imperator a sola synodo oecumenica. Bona omnia ecclesiastica imperatoris sunt. Libellus anno 1327 damnatus est [4]). Praeter alios, imperatorem scribendo defenderunt Henricus de Chalhelm, fratrum minorum provincialis, Engelbertus, abbas monasterii Admontensis, et praesertim Gulielmus Occam, qui postquam Spirituales eorumque paupertatem acriter defendit, metu Joannis XXII, ad Ludovicum Bavaricum aufugit (1333). Qui ipse quoque imperatori potestatem

---

[1]) I de verb. signif. Extravag. Joan. XXII, tit. XIV. Constitutio „Cum inter nonnullos", *Denzinger*, ed. 9, p. 139 sq., ed. 10, n. 484—490.

[2]) *Baluzius*, vitae papar. Avenion., II, 478 sq. praesertim 494, 500, 502.

[3]) *Ed. Goldast*, Monarchia s. Imper. Rom., II, 154 sq. Frankf. 1668.

[4]) *Denzinger*, ed. 9, p. 141, ed. 10, n. 495—500. *N. Valois*, Jean de Jandun et Marsile de Padoue, auteurs du Defensor pacis, Paris 1906 (Hist. lit. Tom. 33).

fere infinitam attribuit, Papae auctoritatem minuit. Dicit enim, Papae jus non esse coronandi imperatorem neque eum esse, vel cum synodo oecumenica, infallibilem[1]).

Fuerunt tamen etiam qui potestatem Pontificiam defenderent, imprimis Alvarus Pelayus († post annum 1340) e fratribus minoribus[2]), Augustinus Triumphus († 1334)[3]) aliique, qui negabant, imperatorem esse a Papa independentem, auctoritatem Pontificiam defendebant et nonnumquam in extrema opposita impegerunt. Adeo ut luctamen hoc aeque Pontifici atque imperatori perniciosum fuerit, eo quod ea omnia scripta utriusque auctoritatem et apud populos dignitatem minuerent[4]).

4⁰. Etiam ob privatam suam *de visione beatifica* sententiam molestias passus est Joannes XXII. Contra fere communem Ecclesiae mentem animas, omnimoda purgatione perfecta, confestim frui visione Dei, putarant nonnulli hanc visionem differri ad judicium extremum. Eam quorundam sententiam Joannes XXII, nondum electus Papa, libro scripto defenderat, eamque, etiam Papa factus, e suggestu, populo proposuit. Quum autem Parisiis et alibi fortiter opinio impugnaretur, declaravit Joannes, Jacobum de Osa, non Papam, haec proposuisse. Moriturus Joannes professus est communem Ecclesiae doctrinam. *Spirituales* nihilominus et Ludovicus Bavaricus postularunt ut in synodo universali damnaretur[5]).

5⁰. **Benedictus XII** (1334—1342) serio cogitavit Romam redire, sed ob concitatas ibidem perpetuo turbas consilium mutavit. Tum cogitare coepit de exstruenda digniore Summi Pontificis aede et inchoavit aedificare celebre illud castellum Pontificium Avenionense[6]). Studiose hic Papa laboravit ut abusus

---

[1]) Decisiones octo qq. super potestate Sum. Pontificis, Lugd. 1468. De jurisdictione Imperatoris in causis matrimonialibus. Dialogorum libri 7, Parisiis 1476

[2]) De planctu Ecclesiae libri III, Venetiis 1560.

[3]) Summa de ecclesiastica potestate, Romae 1582.

[4]) *Riezler*, Die literar. Widersacher der Päpste zur Zeit Ludwigs des Baiern, Leipzig 1874.

[5]) De thesauro Joannis XXII vide *Ehrle*, Archiv f. Lit. u. Kirchengesch., V (1889) p. 159. Hic summa est $^3/_4$ millionis aureorum, dum *Villani* computat 18 milliones et milliones 7 rerum pretiosarum. Cf. *Sägmüller*, Hist. Jahrb. der Görresges., 1897 p. 37 sq.

[6]) Vide descriptum apud *Viollet-le-Duc*, Dictionnaire de l'architecture, Tom. VIII, p. 26—35.

ecclesiastici exstirparentur, episcopos et praelatos ad ecclesias suas remisit, opemque magnam contulit ad reformandos monachos [1]). Per bullam *Benedictus Deus* finem imposuit controversiae *de visione beatifica*, definivitque communem Ecclesiae doctrinam [2]). Quamquam animo lenissimo et quietis amans, Benedictus tamen pacem habere cum Ludovico Bavarico non potuit, quo machinante totum ejus regni spatium fuit molestiarum plenum. Vectigalia extraordinaria (Annatae, Reservationes), quae Joannes XXII imposuerat ut inopiae suae mederetur, magnam partem abrogavit Benedictus. Obiit 25 Aprili 1342.

6°. In proxime habito conclavi iterum vir Gallus electus est Papa, **Clemens VI** (1342—1352). Is fortiter egit contra Ludovicum Bavaricum eumque tandem subegit [3]). Quo facto, principes Germaniae non solum abnuerunt quas leges Papa Ludovico imposuerat, sed ipsum Ludovicum rejecerunt ejusque loco elegerunt regem **Carolum IV,** Henrici VII nepotem (1346). Ludovicus Bavaricus anno proxime sequenti obiit (1337). Haud diu post *Spirituales* sese subjecerunt. Occam quoque videtur excommunicatione levatus obiisse. Clemente VI regnante, Romae exarsit seditio Coladi Rienzi [4]). Studuit Italiam ad unitatem redigere sub imperatore Italico, quod populo placuit ob magnificae antiquitatis memoriam. Tribunicia auctoritate regnavit, donec anno 1347 a baronibus fugatus est. Isto tempore grassabatur per Europam pestis nigra [5]), processionesque flagellantium fanaticorum turbabant quietem multitudinis. Clemens VI autem in istis omnibus aerumnis fortitudinem animi non minus quam sollicitudinem paternam prae se tulit. Eximius fuit Papa, sed regni sui gloriam tenebris obduxit dissipationis suae et auctorum vectigalium ecclesiasticorum. Empta terra Avenionensi, Papatum arctius Galliae sociavit. Obiit anno 1352.

7°. Aliam viam ingressus est **Innocentius VI** (1352—1362).

---

[1]) *Denifle*, Chartul. Univ. Paris., II, n. 902, 1002, 1006, 1015, 1019, 1053, 1058.

[2]) *Mansi*, XXV, 985 et *Raynald*, ad an. 1334, n. 8 sq.

[3]) Constitutio *Prolixa retro*, *Raynald*, ad an. 1343, n. 42 sq.

[4]) *Filippini*, Cola di Rienzi e la curia Avignonese. Studi stor., 1901 (X). Cf. *Rodocanachi*, Les institutions communales de Rome sous la Papauté, Paris 1901.

[5]) *Höniger*, Der schwarze Tod in Deutschland, Berlin 1882. Pro Hollandia cf. *Moll*, II, 3, p. 75, 77.

Abrogavit commendas multas opposuitque sese fortiter *cumulo beneficiorum*. Noluit clericos frui plus uno beneficio. Ut autem Romae et finibus pontificiis quies redderetur, Albornoz[1]), cardinalem celeberrimum, Romam cum exercitu misit, qui Cola di Rienzi, quondam tribunum, dignitate senatoria ornavit. Hic tamen quum Romanos opprimeret atque ideo esset occisus, Albornoz alterum senatorem constituit. Carolum IV Romae accepit et a cardinali Ostiensi, die 5 Aprili 1355, diademate imperii insigniri curavit. Brevi dein spatio Sedi Pontificiae recuperavit Campaniam, Spoletum, *Patrimonium*, Ravennam, Anconam et Romaniam atque ita redituro Papae viam aperuit. In litem autem incidit Innocentius cum Carolo IV, quum is *bulla aurea*[2]) sua declarasset, electionem regis Romanorum validam futuram, si numero suffragiorum vicisset. Diuturna tamen discordia non fuit. Avenione 12 Sept. 1362 obiit Innocentius VI, prae Papis Avenioniensibus omnibus eximius.

8⁰. Successit vir praecellens, **Urbanus V** (1362—1370). Cujus nomen memoriam evocat fortunatissimi illius eventus, post annos 60 Romam iterum portas suas aperire potuisse ingredienti Christi Vicario (16 Oct. 1367). Identidem commune omnium desiderium significarant Petrarca et S. Brigitta[3]). Carolus IV quoque instabat apud Pontificem ut reverteretur ideoque cum comitatu magnifico, anno 1365, Avenionem adiit. Quam exsilii urbem 30 Aprili 1367 egressus Papa, die 16 Oct. Romae cum ingenti gaudio receptus est. Civitati vita rediit. Carolus IV, Joanna Neapolitana, rex Cypri et Joannes Paleologus venerunt ut Papam viserent. Joannes ejuravit schisma opemque frustra petiit contra Osmanos. At turbae per Italiam grassantes, Perusia, quae erat seditione commota, et modus agendi Barnabae Vicecomitis animum Urbano ademerunt. Patriae desiderium et cardinales Galli stimulabant ut Avenionem rediret. Praematuram ibi mortem instare, praedixit S. Brigitta. Incassum: die 24 Sept. 1370 advenit Ur-

---

[1]) *Wurm*, Der Kardinal Albornoz, Paderborn 1892.

[2]) *O. Harnack*, Das Kurfürstencollegium bis zur Mitte des XIV Jahrhunderts, Giessen 1883.

[3]) Acta SS. Boll., Tom. IV Oct., p. 368 sq. *Krogh-Tonning*, Die H. Brigitta von Schweden, Kempten 1907.

banus Avenionem et jam 19 Dec. obiit. Cum sanctitatis fama defunctus, inter beatos honoratur. Causam Terrae Sanctae fortiter promovens, non minus ardenter impugnavit mores corruptos, simoniam, synodorum neglectum et curiae abusus [1]).

8⁰. Cardinales Galli, numero longe plurimi, iterum virum Gallum elegerunt, **Gregorium XI** (1370—1378). In Italia res angustae erant. Mediolanum et Florentia ad seditionem concitabant terras ditionis papalis, ubi jam pridem incolae moleste ferebant Gallicum regimen. Anno 1376 Florentiam Gregorius interdicto perculit, et copias in Italiam misit. Tum, a Florentinis allegata, Avenionem petiit celeberrima **S. Catharina Senensis** [2]). Quae a negotio capessendo non recessit, donec pace composita Papam reducem Romam introduceret. Observanter Avenione excepta, tanta sagacitate, libertate et persuasione Papam ejusque comites allocuta est ut nullus ei restiterit. Galliae junctus Papa tenebatur metu, aegritudine virium, familiarium amore, cardinalium regisque desiderio. At voce S. Catharinae egressus, Romam 17 Januario 1377 intravit. Captivitas Babylonica tum finita est. Tamen mansit Roma turbida, Florentia animo aliena, tota fere Italia aperte et publice Papae adversa. Congressus, ad pacem instaurandam Sarzanam coactus, interrumpi debuit morte Gregorii, 27 Martio 1378.

---

1) *Magnan*, Histoire d'Urbain V et son siècle, 2e éd., Paris 1863.

2) *Capecelatro*, Storia di S. Caterina da Siena e del papato del suo tempo, Firenze 1858. Vie de sainte Catherine de Sienne par le B. Raymond de Capoue, éd. *E. Cartier*, Paris 1853. C[tesse] *de Flavigny*, Sainte Catherine de Sienne, Paris 1895. Cf. *A. v. Reumont*, Briefe heiliger und Gottesfürchtiger Italiener, Freiburg 1877.

§ 119. Magnum schisma occidentale.

Souchon, Die Papstwahlen in der Zeit des grossen Schismas, 2 Bde. Braunschweig 1898—1899. *Salembier*, Le grand schisme d'Occident, Paris 1900. *Valois*, La France et le grand schisme d'Occident 4 vol., Paris 1896—1902. *Valois*, Le grand schisme en Allemagne de 1378—1380 (Röm. Quartalschr., 1893, p. 107 sq.). *Pastor*, Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters, I, 4 Aufl. Freiburg 1901, p. 115—205. *Hefele-Knöpfler*, Conc. VI, p. 727 sq. VII. *Hefele*, Beiträge zur Kirchengeschichte, Archeologie und Liturgik, Tübingen 1864, I, p. 326 sq. *W. Mulder S. J.*, Dietrich von Nieheim, zijn opvatting van het concilie en zijn Kroniek (Academisch proefschrift van Leiden), Amsterdam—Leuven 1907. *Dr. G. Brom*, De tegenpaus Clemens VII en het bisdom Utrecht. Bijdragen en Mededeelingen v. h. Hist. Genootsch., Amsterdam 1907, p. 1—102.

1⁰. Paucis ante mortem diebus constitutionem edixerat Gregorius XI, ut maturaretur futura **Papae electio.** E cardinalibus 23, aderant Romae 16. Hi, die 7 Aprili 1378, intraverunt in conclave. Erant tripartito divisi. At jam ante inchoatum conclave Italici et Francici gratiam inter se reconciliarant. Imo e Lemovicensibus etiam unus vel alter sese iis adjunxerant, ita ut jam tum, e cardinalibus 16, novem vel decem suffragarentur Bartholomaeo Prignano, archiepiscopo Barensi. Die 7 Aprili senator et regionum urbanarum praefecti petierunt ut eligeretur Romanus vel Italicus; quibus cardinales responderunt, se secundum religionem et fidem electuros. Postero autem die, tumultu excitato, episcopus Massiliensis ad intra conclave: „properate, clamavit, eligite Romanum vel Italicum; nam hic foris nos melius novimus quantum periculum immineat". Quo facto, quum e candidatis unus aut plures Italici essent, cardinales, qui oppositae sententiae favebant, consilium inierunt cedendi. Unus aut alter reluctanter. Ita omnes elegerunt Prignano. In comperto est, eos omnes, paucis tantum exceptis, *voluisse* hunc eligere. At prius ediscere voluerunt, utrum Bartholomaeus munus demandatum acciperet. Unde patet mentem eorum fuisse, factam electionem esse certam et stabilem. Interea bona sua tutarunt ne, sicut mos erat, raperentur. Facta coena, omnes iterum in sacello factam electionem confirmarunt. Interim populus aedem Vaticanam invadit et per implicatissimam perturbationem inthronizatur vir Romanus valde senex, Tibaldeschi cardinalis, qui ipse quantum potuit restitit, „*non sum ego Papa*, clamans, *nolo ego*

esse Papa, episcopus Barensis electus est". Die autem 9 Aprili, cardinales 12 congressi sunt in sacellum, nemine cogitante novam electionem futuram. Mox accitus Bartholomaeus Prignano, certior factus de habita electione, eamque probans, inthronizatur ejusque electio more solito proclamatur populo. Die 10 Aprili posterisque diebus facta sunt, quae solebant post electionem fieri, solemnia, indulgentiae, excommunicationes, et festo Paschatis coronatio. Plurium mensium insequentium spatio cardinales omnes, etiam Lemovicenses, reverentes et obsecundantes sese praebuerunt. Dum praecipua et unica eorum cura esse debuit, Ecclesiae legitime electum Papam praeficere, tamen ne verbum quidem ex ore eorum auditum est, quo testificaretur, eos esse de facta electione inquietos, aut consilia eos contulisse, aut metuisse de Ecclesiae conditione futura[1]).

2°. Novus Papa nomen sibi dedit **Urbanum VI** (1378—1389). Mente et animo ceteroquin praestantissimus, unum habebat defectum maxime exitiosum: fuit nempe animo vehemens, intemperato magis impetu quam consilio agens, ita ut saepe prudentiae fines transiret. Tempori sane opus fuit seria reformatione in dignitatis praesertim gradibus altioribus, ad quam procurandam Catharina Senensis[2]) Papam incitabat, suadens tamen identidem indulgentiam. At Urbanus animi fortitudinem prae se tulit, non eam, qua tempora egebant, moderationem. Cardinales dicebat „perjuros" et „stultos", et Orsini cardinalem „hominem stolidum". Unde gravior in dies facta est animorum aegritudo. Prorupit dissidium, quum numerum cardinalium Italicorum augere minitatus est Urbanus. Die 9 Augusto 1378, cardinales 13, pronuntiatione insolenti, Anagnii negarunt electionem legitime factam[3]) et, animum addente Carolo V, rege Franciae, die 20 Sept. Fondii Papam elegerunt Robertum Gebennensem, **Clementem VII** (1378—1394). De quo eventu nefasto cardinales in culpa fuerunt, iram suam et utilitates prae Ecclesiae incolumitate sequentes. Per imprudentiam autem suam, quum erga cardinales tum erga principes, ansam dederat Urbanus.

---

[1]) *Gayet*, Le grand Schisme d'Occident. Les origines 2 vol., Florence—Berlin—Paris 1889.

[2]) Lettere di S. Caterina da Siena, ed. *Nic. Tommaseo*, IV, p. 62 sq.

[3]) *Baluze*, Vitae, I, p. 487.

3⁰. Inchoatum tum **schisma** est et luctamen furibundum, annos 39 (1378—1417) duraturum. Frustra Romam aggressus, Clemens VII sedem fixit Avenione. Mox accidit ut universus christianorum orbis in partes duas discesserit, fere pro uniuscujusque in Franciam aut studio aut odio. Pro Clemente stabat *Francia*, *Italia inferior*, *Scotia* et *Hispania;* pro Urbano *Anglia*, *Germaniae major pars*, *Hungaria* cum *Polonia*, *Dania*, *Suecia* cum *Norwegia*, *Italia media et superior.* Non solum gentes in partes abibant verum etiam dioeceses, religiosorum ordines et monasteria. Ab utraque parte fuerunt, qui ex animi sui sententia suam causam defenderent. Ab utraque parte steterunt quoque homines eximie sancti: pro Urbano S. Catharina Senensis, Catharina Sueciae, Petrus Arragonius et Gerardus Magnus (De Groote); pro Clemente Vincentius Ferrerius, Petrus Luxemburgensis et Coleta. Tum Avenioni tum Romae suum fuit cardinalium collegium. Urbanus, ab omnibus destitutus, uno tempore creavit ex omnibus nationibus cardinales 29. Clemens auctoribus schismatis addidit cardinales 9. Non minus quam cardinales etiam theologi causam utriusque Papae defenderunt. Libelli multi ab utraque parte editi sunt. Quorum scriptores praecipui fuerunt Henricus Langenstein, Conradus a Gelnhausen, Petrus ab Alliaco, Philippus de Maizières, Theodoricus a Niem aliique. Praeterea ab utraque parte synodi cogebantur, atque ea omnia fiebant ut ad unitatem omnia revocarentur. Die 15 Oct. 1389 obiit Urbanus, cui successit **Bonifatius IX** (1389—1404). Ejus indoles prorsus alia atque Urbani. Sicuti Urbanum fere omnes, vel ipsi sui cardinales, oderant, sic Bonifatium breve post tempus omnes diligebant. Urbanus saevus [1]) et moribus asper fuit, Bonifatius contra comitate omnes sibi conciliabat, ut mox, quaecumque perdiderat Urbanus, sponte sua recuperarit Bonifatius.

4⁰. His omnibus mentes hominum perturbantibus, obortum est **systema conciliarium,** cujus pater probabilissime fuit Occam[2]).

---

[1]) De seditione cardinalium eorumque sorte vide *Erler*, Dietrich von Nieheim, Leipzig 1887, p. 65 sq.

[2]) *Dr. August Kneer* (Die Entstehung der Conciliairen Theorie, etc., Röm. Quartalschr., Suppl. I, 1893, p. 1—45) Conradum a Gelnhausen auctorem systematis et praecipuum fautorem appellat.

Inquirebant imprimis, an opus esset esse Papam. Num re vera Christus Ecclesiam fundavit super Petrum? Numquid non nimis labile istud fundamentum? A Christo, non a Papa, episcopi accipiunt jurisdictionem. Nuncupatur Pontifex Romanus Caput Ecclesiae, eo quod ejus est primus minister. Ecclesiam Papae subjici, ex casu fortuito factum est. Nam sola Ecclesia universalis infallibilis est, non Papa, quem saepe atque iterum res fefellerunt. Propterea in negotiis fidei Papa subjicitur synodo oecumenicae, quae in vicem Ecclesiae universae sufficitur. E sententia Alliacensis, episcopi vices Ecclesiae universae agunt; etiam sacerdotibus Gerson dat jus suffragii in synodo. Hanc posteriorem sententiam synodus Constantiensis secuta est. Synodus Basileensis multique theologi neque hoc fuerunt contenti, liberiora postulantes. Princeps tamen dogma, hoc perturbationum et schismatis tempore, mansit *systema conciliarium*, Papam subjici synodo oecumenicae. Nimirum hac erronea mente conabantur exstirpare Schisma [1]).

5°. Defunctus est Clemens VII Septembri 1394. Invito rege et universitate Parisiensi, confestim cardinales elegerunt, qui ei succederet, Petrum de Luna, qui sibi nomen dedit **Benedictum XIII** (1394—1417). Sicut cardinales omnes, ita ipse quoque ante electionem promiserat, se quaecumque posset facturum, imo vero etiam dignitatem papalem depositurum, ut unitas Ecclesiae redderetur. Electus autem, nihil hujusmodi egit, ita ut annis insequentibus dissidium grave inter Parisienses et Avenionenses sit obortum, unde **regressus** Franciae, Castellae et Navarrae consecutus est. Etenim, regni Benedicti XIII anno secundo, Carolus VI, Galliae rex, cum universitate Parisiensi consilium iniit ut utrumque Papam ad deponendam dignitatem adducerent. Angliae et Castellae reges et brevi postea Wenzeslaus quoque, rex Romanorum, ad idem contendendum accesserunt. Dum in Bonifatium IX agerent Richardus II et Wenzeslaus, Benedictum XIII rex Franciae exhortaturus aut, si opus esset, coacturus erat. At Bonifatius stetit juri suo, nec molestias passus est, eo quod Wenzeslaus et Richardus regno destituti sunt. Benedictus XIII vero, in

[1]) Hic tantum theoretice loquimur; practice per concilium schisma exstirpatum est.

civitate sua obsidione oppressus, anno 1399 promittere debuit se cessurum, si adversarius idem faceret. Anno 1403 ejus obedientia iterum erat integra. Bonifatio IX, anno 1404 defuncto, suffectus est **Innocentius VII** (1404—1406), qui aerumnas multas sustinuit a Romanis, turbas moventibus, et a schismate de imperio in Germania. Innocentio VII successit **Gregorius XII** (1406—1417). Is in conclavi promisit, se unionem promoturum, vel deponendo, si opus esset, dignitatem. Tum Benedictus XIII conditionem tulit, ut alter cum altero, anno 1407, congrederetur. Non tamen inter eos convenit de loco, et licet annos duos res tractaretur, congressus tamen non intervenit[1]). Uterque, etiam Gregorius XII, caruit seria voluntate. Hujus praesertim mobilitatem animi cardinales sui aegre ferebant. Quum autem Gregorius contra promissa sua S. Collegium, novis creatis cardinalibus, amplificasset, e prioribus 7 ab ejus obedientia recesserunt. Eodem quoque tempore, tum principum tum cardinalium animi a Papa Avenionensi aversi sunt. Quare cardinales Francici, cum iis septem qui a Gregorio recesserant, in Portu Liburnico convenerunt, consilia collaturi ad unitatem Ecclesiae redintegrandam.

---

§ 120. Synodi Pisana et Constantiensis.

Hefele, Conciliengeschichte, VI (2e Aufl.) p. 922 sq.; VIII Bd. *Schmitz*, Zur Geschichte des Concils von Pisa 1409 (Röm. Quartalschr., 1895, p. 351 sq.). *Stuhr*, Die Organisation und Geschäftsordnung des Pisaner und Constanzer Concils, Schwerin 1891. *Finke*, Zur Beurtheilung der Akten des Constanzer Concils (Forsch. z. Deutschen Gesch., 1884, p. 501 sq.); Gregor XII und Kaiser Sigismund im Jahre 1414 (Röm. Quartalschr., 1887, p. 354 sq.). *Funk*, Martin V und das Concil von Constanz (Kirchengesch. Abh. I) Paderborn 1897, p. 489 sq. *Fromme*, Die Wahl Martins V Röm. Quart., 1896, p. 131 sq. *Salembier*, Le grand schisme d'Occident, Paris 1902, p. 251 sq. *Valois*, La France et le grand schisme d'Occident, Tom. IV, Paris 1902. *Mulder S. J.* Dietrich von Nieheim etc.

---

[1]) *Meister*, Hist. Jahrb. d. Görresges., 1893, p. 320 sq. Röm. Quart., 1894, p. 217 sq. *Ehrle*, Zeitschr. f. Kath. Theol., 1889, p. 387 sq.

1⁰. Jam anno 1381 Petrus de Alliaco **triplicem viam** ostenderat, quae duceret ad unionem: *viam compromissi*, *viam cessionis* et *viam synodi generalis*. Primam non tentaverant; alteram ingressi, exitum non invenerunt (1394—1409). Quo facto tertiam, jam pridem ante alias designatam (1380—1394), inierunt. In Portu Liburnico cardinales congressi, consilium ceperunt, die 25 Martio 1409 inchoandi Pisis synodum generalem. Quamquam solius Papae est synodum generalem cogere, nec potest Papa dignitate sua dejici nisi ob haeresin, tamen proposita perfecerunt. Theologi Parisienses ea quae contra leges incoepta erant defenderunt[1]), alii, praesertim religiosi, reprobarunt[2]).

2⁰. Die statuto (1409) **synodus Pisana** inchoata est. Quibus diebus maximo aderant numero, fuerunt cardinales 24 (Gregorii XII 14, Benedicti XIII 10) episcopi 80, procuratores episcoporum absentium 102, theologi doctores 300. Praesedit cardinalis aetate maximus (qui diutissime cardinalis) Guido de Maillesec. Multis altercationibus factis, sessione VIII et IX legitime se constitutam declaravit synodus. Sessionibus sequentibus quinque inquisitum est de criminibus Paparum, qui, *schismatici* et *haeretici* declarati, *sedibus dejecti* sunt sessione XV. Sessione XVI promissa sunt quae conducerent ad *reformationem capitis et membrorum*. Sessione XVII statutum est, ut cardinales, tum quidem, „*ex mandato synodi generalis*" Papam eligerent. Habita sessione XIX, inchoatum conclave est, e quo archiepiscopus Mediolanensis, Petrus Philargi, **Alexander V** (1409—1410) prodiit. Is praeses fuit sessionibus XX—XXIII, multaque edixit decreta, imprimis ad sarcienda quae contra leges in eligendo essent facta, dein ad exstirpandos abusus, demum ad promittendam ulteriorem reformationem, quae fieret per synodum, post triennium cogendam[3]).

3⁰. Patet, hac **synodo illegitima** neque unioni neque reformationi fuisse consultum. Regnabant jam Papae tres in Ecclesia Dei. Quum Gregorius XII, tum Benedictus XIII, isti *conciabulo* Pisano reclamantes[4]), etiam ipsi synodos coegerunt, alteram Aquilejae, alteram Perpeniani, suasque sibi regiones sub-

---

[1]) *Gerson*, De unitate Ecclesiae. *Petrus de Alliaco*, Comment. Script. Sacr. etc.

[2]) *Raynald*, ad an. 1395, n. 12; 1409, praesertim n. 74—79.

[3]) *Mansi*, XXVI—XXVII.

[4]) *Raynald*, ad an. 1409, n. 14 sq.

jectas retinuerunt: Benedictus Hispaniam, Scotiam, Corsicam, Sardiniam etc.; Gregorius Italiam, Germaniam, Norwegiam, Sueciam etc. Major tamen christianorum pars causae Alexandri V favebat. Qui quum speraret futurum ut mox adversarios everteret, tamen undique paulatim oborta dubia sunt, num synodus fuisset legitima et Alexandri electio valida. Ipsi magistri Parisienses Petrus de Alliaco, Nicolaus de Clemangis et Theodoricus Vrie synodi adversarii erant. Quae Gerson ad defendendum attulerat, mystica potius quam ad faciendam fidem apta erant. Dein rectissime noverant, Gregorium XII aut esse vere Papam aut non esse: si prius, concilium, capite suo carens, eum sede dejicere non potuisse; sin alterum, neque cardinales legitime esse creatos atque adeo jure eligendi Papam caruisse. Gregorium XII autem haeresis crimine reum dicere et ideo sede sua dejicere, certe contra jus et leges fuit.

4⁰. Dum, Venetiarum copias metuens, Gaetam aufugeret Gregorius XII, Ludovicus II Andegavensis viam stravit Alexandro V Romam, qui ibidem proclamatus Papa est, sed jam 3 Majo 1410 defunctus. In ejus locum, die 17 ejusdem mensis, in conclavi electus Cossa cardinalis sibi nomen dedit **Joanni XXIII** (1410—1415). Is fuit animo rebus terrestribus dedito. Eum, quo tempore jam erat cardinalis, Gregorius XII appellavit „filium perditionis et iniquitatis discipulum". Novit gratiam sibi conciliare Ladislai regis Neapolitani, prius ei infensissimi. A quo Gregorius XII derelictus, navibus Venetis Gaeta in Dalmatiam aufugit, inde Cesenam, tandem Ariminum, ubi praesidium nactus est apud Carolum Malatestam, amicum suum (1412). Synodus, quam in congressu Pisano praelati promiserant, jam die 1 Aprili 1412 convenerat. Sed, propter Ladislai tum temporis animum, tam pauci advenerant ut debuerit differri. Nec, mutata postea regis voluntate, crebri aderant, ita ut, damnatis nonnullis Wicleffi scriptis, iterum sit interposita mora. Interea, causam Joannis XXIII deserens, in urbem Romam signa movit Ladislaus. Aufugit Joannes in Italiam superiorem, ubi praesidium invenit apud regem Romanum. Persuaserat sibi Sigismundus (1410—1437), sola synodo oecumenica res ad unitatem revocari posse; quare, agens cum Joanne XXIII a mense Octobri ad Decembrem 1413, perfecit ut ad diem 1 Novembrem 1414 Constan-

tiam cogeretur concilium. Ferunt, Joannem mox poenituisse synodum esse convocatam. Animo invito paravit iter.

5⁰. **Synodus oecumenica XVI Constantiensis** (1414—1418), quae tam ardenter desideratam unitatem reddidit Ecclesiae, fuit, tum quum frequentissimi aderant, cardinalium 33, episcoporum fere 200, clericorum valde magno numero et doctorum 300. Interfuerunt etiam Sigismundus rex et principes Germani haud pauci. Die 14 Octobri ingressus est Johannes XXIII. Prima sessio facta 16 Novembri. Tria praecipue spectabat synodus: reformare Ecclesiam *in capite et in membris*, damnare errores Hussitarum, et prae reliquis omnibus unitatem reddere Ecclesiae.

6⁰. Principio putabant, probabiliter suadente Joanne XXIII, fore ut **schisma tolleretur** dejiciendo Gregorio XII et Benedicto XIII. At mox spes Joannem fefellit. Aliam enim viam carpens synodus, jam Januario 1415 cogitavit de semovendis Papis tribus. Sperabat Joannes futurum, ut praegrandis numerus suorum ex Italia episcoporum et praelatorum synodum in suam sententiam traheret. Etiam haec exspectatio eum decepit. Etenim, qui aderant e Germania, perfecerunt ut jus suffragii daretur non solis episcopis praesentibus, sed etiam absentium procuratoribus, abbatibus, capitulis, universitatibus, doctoribus et vel principum legatis. Quo decreto jam fracta Joannis XXIII in synodum auctoritas, eo magis recessit, quod statutum est, ut suffragia ferrent non *viritim* exquisitis sententiis sed gregatim *per nationes*. Nationes Germanica, Gallica, Italica, Anglica et posterius etiam Hispanica separatim singulae prius conveniebant, ut statuerent singulae cui sententiae suffragarentur. Nam decretum erat, ut singula ferrent nationes singulae suffragia, et major pars vinceret. Primus Gregorius XII per legatum suum, Joannem Dominici, die 22 Januario, declaravit velle se dignitatem deponere ea lege, ut Petrus de Luna et Balthasar Cossa idem facerent, neque hic interesset sessioni, qua sua dimisio promulgaretur. Defuit autem Joanni XXIII animus, ut generose idem facere auderet. At quum litteris, sine nomine scriptis, accusaretur Joannes apud synodum de moribus minus rectis, metu actus declaravit, etiam se velle recedere, si adversarii duo idem facerent. Nec tamen hoc facto sibi videbatur tutus. Paucis post diebus Sigismundum, qui portas civitatis custodiri jusserat,

decepit et stabularii habitu aufugit in civitatem Schaffhausen, inde Avenionem transiturus. Quo facto omnem sibi fidem ipse ademit; nec potuit prohibere ne synodus proposita exsequeretur. Mox enim e repentino pavore recreata, fundamentum dogmaticum operi suo datura, et praeversura quae Joannes XXIII forsitan moliretur, auctoribus Zabarella, Petro de Alliaco et Gersone, sessionibus IV et V *decreta Constantiensia* illa tulit, quorum summa haec fuit: synodus Constantiensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, oecumenica est, Ecclesiam militantem repraesentans; auctoritatem suam immediate a Deo accepit; omnes, etiam ipse Papa, obedientiam ei debent in rebus spectantibus fidem, schismatis exitum, et reformationem in capite et in membris; nequit Papa synodum, ipsa non consentiente, nec mittere, nec differre nec alio transferre [1]). Haec decreta reprobarunt cardinales, declararuntque Ecclesiam Romanam caput esse Ecclesiae universae adeoque etiam synodi oecumenicae. Johannes XXIII interea comprehensus est. Sessione IX—XII inquisitum est de capitibus 72, quibus accusabatur, et ipse demum ob notam simoniam et mores dissolutos est dejectus. Quatuor annos continuos mansit in vinculis Joannes, donec, pretio aureorum 30.000 liberatus, Florentiae occubuit cardinalis (1419).

7⁰. In sessione XIV (4 Julio 1415) legitimus Papa Gregorius XII, per legatos suos Carolum Malatesta et Johannem Dominici, cardinalem, nuntiavit se dignitatem deponere; simul autem declaravit se synodum, hucusque non legitimam, sed a solo Sigusmundo coactam, jam agnoscere; se quoque ei in futurum concedere jura synodi oecumenicae. Synodus ipsa tum probavit omnia, quae Gregorius e legibus ecclesiasticis in sua obedientia definierat eumque in cardinalium collegium accepit († 1417). Remanebat Benedictus XIII (Petrus de Luna). Licet Sigismundus ipse cum eo congressus sit Perpeniani et legati ad eum missi suaderent ut cederet, obstinate renuere perrexit. Auctore Sigismundo tum Castella, Arragonia, Navarra et Scotia ab ejus obedientia recesserunt [2]), ita ut solum suum castellum montanum Peniscolam

---

[1]) *V. de Hardt*, Magnum oecumenicum Constantiense concilium, Tomi 6. Francoford. et Lips. 1692—1700, Tom. II, p. 288 sq. *Mansi*, XXVII, 31.

[2]) Hoc facto, etiam natio Hispanica introivit in synodum.

ei restarit reliquum. Tamen ipse Ecclesiam Dei in castello Peniscola esse dicebat, sicut antea genus humanum in arca Noe. Tum, sessione XXXVII Constantiensi, ob perjurium et notoriam, cui pertinaciter afficiebatur, haeresin dejectus est. Sic via aperta ad eligendum unum Papam legitimum. Campanarum sonus et cantatum *Te Deum* patefecerunt, quanto gaudio hic nuntius reciperetur. Peracta sessione XL, cardinales ingressi sunt conclave cum nationum legatis 30, et jam die tertio (11 Novembri 1417) Ottonem Colonna cardinalem unanimo consensu Papam elegerunt, qui e sancto, cujus festum agebatur, sibi nomen dedit **Martino V**[1]) (1417—1431). Fuit „*tanta omnium laetitia, ut prae gaudio loqui vix homines possent.*"[2])

8⁰. Quoad tam diu exspectatam **reformationem in capite et in membris,** sessione sua XLIII (21 Martio 1418) synodus decreta universalia 7 edixit et Papa concordata tulit cum singulis nationibus variis. Per decreta aboliebantur exemptiones tempore schismatis concessae, cessit Papa reditibus beneficiorum vacantium, reiteratae sunt poenae antea simoniacis propositae, obligati ad suscipiendos ordines et servandam residentiae legem ii qui beneficia jam habebant, restrictum jus exigendi decimas, mandatum denique clericis ut vestitu clericali uterentur. Per concordata, quae rata esse jubebantur tantum usque in annum quintum, id est usque ad proximam cogendam synodum universalem, modus est impositus concedendis indulgentiis, exaequatae ad regulam annatae, reservationes, commendae et alia hujus modi; demum constitutum est, ut cardinales essent numero 24. Martinus V tamen juribus suis defendendis non defuit[3]).

Damnavit synodus **haereses** Wicleffii et Hussii[4]). Doctrina autem Joannis Petit, fratris franciscani, et Johannis a Falkenberg, dominicani, de regicidio[5]) reprobata est in congressu propter infrequentiam non legitimo.

9⁰. Inde a sessione XLII ad XLV, quum praesideret

---

[1]) *Fromme*, Die Wahl Martins V. Röm. Quartalschrift, 1896.

[2]) *V. de Hardt*, IV, 1483.

[3]) *Miltenberger*, Neuordnung der päpstlichen Kammer, Röm. Quart., 1894.

[4]) Cf. infra, § 123 et *Denzinger*, ed. 9a, p. 147—153, ed. 10a, n. 581—625 et 627—656.

[5]) *Denzinger*, ed. 10a, n. 690.

Martinus V, synodus Constantiensis est **oecumenica XVI**. Decreta, prioribus sessionibus lata, non fuerunt approbata nec generatim nec singillatim. Declaravit Papa in sessione ultima (XLV), se omnia probare quae synodus decreverat *in materiis fidei conciliariter... et non aliter nec alio ullo modo*. Sed haec verba spectabant ad Polonorum postulata, qui Joannem a Falkenberg damnatum volebant, cujus quidem causa non *conciliariter*, sed a solis nationibus Germana et Gallica acta fuerat. Quod in bulla contra Hussitas Papa exigit, ut, qui habeantur haeresis suspecti, cum juramento profiteantur ea quae synodus *in favorem fidei et salutem animarum decrevit*[1]) ab omnibus fidelibus esse tenenda, hujus verbi alia vis non est nisi quod Papa approbat damnationem doctrinae Hussii et Wicleffii. Eugenius IV die 22 Julio 1446 synodum Constantiensem vocavit oecumenicam XVI „*absque tamen praejudicio juris, dignitatis et praeeminentiae sedis Apostolicae.*

---

§ 121. Synodus oecumenica XVII Basileensis-Ferrariensis-Florentina. Schisma Felicis V.

Pastor, Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters, I—IV, 4e Aufl., 1899—1906. *Hefele*, Conciliengeschichte, VII—VIII. *Vanutelli*, Il Concilio di Firenze, Roma 1899. *Abert*, Papst Eugen IV. Ein Lebensbild aus der Geschichte des 15 Jahrhunderts, Mainz 1885. *Birk*, Nicolaus von Cusa in Basel (Hist. Jahrb. der Görresges., 1892, p. 770 sq.). *Haller*, Beiträge zur Geschichte des Konzils von Basel (Zeitschr. f. d. Gesch. des Oberrheins, 1901, p. 9). Concilium Basileense, Studien und Quellen zur Gesch. des Concils von Basel, Bd. I—IV, Basel 1895—1903.

1°. Etsi Sigismundus non minus quam Galli omni conamine efficere contenderunt ut e finibus suis Martinus V non discederet, tamen Italiam petiit Papa. Biennium fere, ob turbida tempora, stetit Florentiae. Acto negotio cum Joanna Neapolitana, quae Romam et Beneventum occupata tenebat, tandem, 20 Septembri 1420, potuit Papa solemniter

---

[1]) *Denzinger*, ed. 9a, p. 153—154, ed. 10a, n. 658. Cf. *Salembier*, op. cit., p. 323—350.

introire Romam. Non urbem, quondam orbis terrarum caput, sed ejus tantum simulacrum invenit. Fortiter opus instaurationis aggressus, factus est Martinus urbis restitutor, artium fautor, et confirmator dominii Pontificii. Elaboravit multa ut revirescceret proba vita ecclesiastica. Quae perniciose decreverant Constantiae, ut singulis 10 annis haberetur synodus oecumenica, ea non probabat. Nolens tamen publice refragari studiis conciliaribus, quibus tum temporis homines multi favebant, convocavit 1423 synodum generalem Paviam. Quum autem ea valde esset infrequens, eam transtulit Senas, postea Basileam et distulit in annum 1430. Illis tamen annis septem parum valde actum est ad inducendam reformationem adeo necessariam [1]). Papam sub finem vitae ejus conati sunt cogere, ut synodum generalem convocaret. Aegre, ineunte Februario 1431, Cesarini cardinalem legatum suum fecit pro synodo Basileensi. Cujus tamen synodi voluntates, ab Ecclesiae natura bonoque alienas, non vidit Martinus V, mense eodem defunctus, *temporum suorum felicitas* appellatus.

2⁰. Qui ei successit, **Eugenius IV** (1431—1447), cum reliquis cardinalibus in conclavi subscribere debuit *pactionis* conditionibus pro Papa futuro, quibus reniti conabantur gubernationi Martini V [2]). Jam ipso die coronationis, Cesarini cardinalis legatus adversus Hussitas et pro **synodo Basileensi** confirmatus est. Vix habita prima sessione, parum frequenti valde, Eugenius IV, falso nuntio circumventus, synodorum potentiam metuens, 18 Decembri imprudenter edidit bullam funestam, qua synodum dissolvit novamque in unum annum et dimidium coegit Bononiam [3]). Quae bulla quum Basileae praelegeretur, totus consessus, episcopi tres, abbates aliquot et numerosi doctores e conveniendi loco abierunt, scripseruntque, 21 Januario 1432, epistolam generalem ad omnes fideles, nuntiantes se auxiliante Spiritu Sancto concilium perfecturos. In quo opere contumaces isti viri

---

[1]) Martini V Papae Constitutio de Cardinalibus, protonotariis, abbreviatoribus etc. (*Döllinger*, Beiträge zur politischen, kirchlichen und Cultur-Geschichte, II Bd. Materialien zur Gesch. des XV und XVI Jahrh., p. 333—344) magnam partem non est ad effectum perducta.

[2]) Prima ejusmodi pactio facta est in conclavi 1352. Innocentius XII (1692) vetuit eas amplius fieri.

[3]) *Mansi*, XXIX, 564 sq. *Pastor*, I, p. 234.

penes principes et magistratus saeculares praesidium nacti sunt et ex Hussitarum victoria prope Tausz novum robur hauserunt. Frustra Cesarini legatus conatus est efficere, ut Papa bullam abrogaret. Nicolaus Cusanus econtra, doctus ille vir, tum temporis parochus Confluentiae, opere suo *De concordantia catholica* seditiosa synodi studia defendit. Facta interea frequentior synodus, sessione secunda (15 Februario 1432), iteravit decreta Constantiensia de supereminentia concilii oecumenici, postulavit, minitando se lege acturos, ut Papa et cardinales interessent et, dando jus suffragii, adjudicavit decreta synodi arbitrio doctorum, qui magno numero aderant, et clericorum inferiorum. E 500—600 enim congressis vix numerabantur episcopi 20. Quas Papa proposuit conditiones pacis abnuerunt. Intercedente Sigismundo, qui 31 Majo 1433 Romae coronatus fuerat imperator, tandem cessit Papa, novum schisma metuens, abrogavitque bullam, 15 Dec. 1433[1]). At etiam tum Papae legati tantum admissi sunt, postquam juramento confirmarant iterata decreta Constantiensia sessionis IV et V, quae insuper sessione 18 denuo probata sunt.

3°. Tum lata sunt magno numero **decreta reformationis**: poenae intentatae concubinariis, interdicta restricta, in causis agendis altera appellatio vetita, breviarium temperatum, festa fatuorum abrogata, mercatus et spectacula remota e locis sacris. Quum autem aggrederentur reformare curiam, tum praesertim patuit quid sibi vellet doctrina conciliaria. Edita sunt praecepta de eligendo Pontifice, de faciendis cardinalibus, de gubernando dominio pontificio. Dum Papa, seditione Roma pulsus, Florentiae largitionibus aleretur, synodus vetuit dari ullas annatas, aliud nihil pro ea jactura substituens. Decrevit deinde, ut in posterum electus Papa juratus promitteret, se professurum quae de fide decreverant synodi oecumenicae, praesertim Basileensis et Constantiensis, et servaturum hujus synodi statutum de convocandis synodis generalibus. Interdixerunt Papae ne haberet cardinales amplius 24, neve crearet nepotes suos, non consentientibus pluribus e S. Collegio. Miscuit se synodus etiam negotio de unione Graecorum, non tamen convenit de loco, quo Graeci cum iis congrederentur. Pauciores in synodo iique Byzan-

---

[1]) *Mansi*, XXIX, 78—79: „Dudum sacrum" etc.

tini petierunt, ut designaretur Italiae urbs. Quam opportunitatem nactus Papa, ut a novo schismate Basileenses praeveniendo vindicaret, lata bulla dissolvit synodum, novamque convocavit Ferrariam (18 Sept. 1437). Cesarini legatus, Nicolaus Cusanus et alii magno numero paruerunt Papae.

4°. Ludovicus d'Alleman, cardinalis, episcopi 25 et abbates 17 restiterunt et viam **schismatis** inierunt (Febr. 1438). Actio instituta est adversus Papam, supereminentia synodi generalis supra Papam, hujusque indissolubilitas dogma declaratum. Agente prae ceteris d'Alleman cardinali, pseudo-synodus suspendit Eugenium IV, 24 Januario 1438, eumque, 25 Junii 1439, sede dejecit. Facto dein conclavi cardinalis unius et episcoporum undecim, 5 Novembri 1439 electus est antipapa Amadeus, Sabaudiae dux ambitiosus. Qui frustra per vulnera Christi a S. Coleta supplicatus, ne dignitatem susciperet, nomen sibi **Felici V** imposuit. Extra fines Helvetiae et Sabaudiae vix invenit qui suas partes sequerentur. Ultima pseudo-synodi sessio habita est 1443. Nonnulli pertinaces manserunt Basileae, donec 1448 expulsi recesserunt Lausannam, sedem Felicis V, qui anno sequenti se abdicavit.

5°. Dum haec tristissima agerentur Basileae, convenit **synodus oecumenica Ferrariensis-Florentina** (1438—1445). Jam antea Graeci cum occidente amicitiam jungere tentarant, acti metu Turcarum. In cassum tractata res Constantiae est. Quum autem 1430, expugnata Thessalonica, etiam Constantinopolis periclitaretur, Joannes Paleologus, metu perculsus petiit, ut cogeretur synodus, qua unitas ecclesiarum instauraretur. Papa indixit eam Ferrariae. Inchoata est 8 Januario 1438, praeside Albergato cardinali. Reliquis sessionibus praefuit Eugenius IV. Advenerunt pedetentim ex occidente episcopi 150, ex oriente imperator cum comitatu amplo, patriarcha Constantinopolitanus, Marcus Ephesinus, Bessarion Nicaenus et episcopi alii. Non potuit non tractari diu de antiquis Graecorum querelis: de consecratione panis azymi, de purgatorio, de primatu et praecipue de processione Spiritus S[i]. Controversantes praecipui fuerunt Cesarini, Traversari, Torquemada, Joannes de Montenigro, Andreas Rhodius, Johannes de Ragusio, et e Graecis Bessarion. Habita sessione XVI, ob varias rationes translata synodus est Florentiam. Ibi etiam actum est anni dimidiam partem. Saepius in eo res fuit,

ut ob Graecorum animum obstinatum synodus dimitteretur. At rei publicae angustia compescuit Graecos. Tandem, 5 Julio 1439, **unio** restituta est. Monumento celeberrimo fere omnes qui aderant subscripserunt. Profitebantur autem Spiritum S. procedere a Patre et Filio, *tanquam ab uno principio*, aequum esse ut *Filioque* susciperetur in symbolo, jus esse adhibendi in S. Missa panem azymum aut fermentatum, rectam esse fidem, quam Ecclesia Romana de purgatorio teneret. Post synodos Pisanam, Constantiensem et Basileensem id praecipuum fuit, ut proclamaretur primatus Papae in universam Ecclesiam. Quare scriptum: „*Item definimus, sanctam Apostolicam sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum Patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse* [1]).

Insuper Florentiae, autumno 1439, unio facta cum *Armenis* [2]); Februario 1442, cum *Jacobitis* [3]) et postea, Romae, cum aliis nonnullis in oriente ecclesiis [4]). Quae quidem unio cum Graecis licet diu non duraverit, tamen supereminentia Papae, damnata a Basileensibus, in synodo oecumenica ab universo orbe christiano ex animi sententia agnita est et annuntiata. Quod quidem augendae Papae auctoritati haud exiguo fuit adjumento.

Liquet e superioribus, sessiones Basileenses 25 posse oecumenicas haberi, quantum juribus S. Sedis non adversentur. Sessione autem XXV conjungitur ea synodus cum Ferrariensi-Florentina, ita ut conjunctim efficiant synodum oecumenicam XVII [5]).

6⁰. Post decennale exsilium, die 28 Septembri 1443, Eugenius IV rediit Romam, quam valde collapsam invenit [6]). Optime

---

[1]) Bullarium Rom., ed. Taur., V, 39—42. *Denzinger*, ed. IX, p. 158 sq., ed. X, n. 691—694.

[2]) *Denzinger*, ed. IX, p. 160 sq., ed. X, n. 695—702.

[3]) *Denzinger*, ed. IX, p. 158 sq., ed. X n. 703—715.

[4]) Haec „decreta pro Syris, Chaldaeis, Maronitis nil novi continent." *Denzinger*, ed. X, n. 715.

[5]) *Hefele*, I, 62—66.

[6]) Praebebat imaginem „receptaculi latronum." *J. Guiraud*, L'Eglise Romaine et les origines de la Renaissance, Paris 1904, p. 117 sq.

meruit Papa de reparando civitatis splendore. Majorem tamen sibi laudem meruit in impugnandis **Turcis.** Fortissimos viros Hunyady, Wladislaum, Hungariae regem, et Scanderbeg consiliis suis et adhortationibus confirmavit. Tristissime tamen accidit quod labores tanti eo evaserunt, ut christianorum exercitus ingentem cladem acceperint *Varnae* (10 Novembri 1444). Vario successu laboravit quoque Eugenius IV, ut **concordata** faceret cum principibus christianis.

Postquam Eugenius papa synodum Basileensem dissolvit, Germania et Gallia, nec seditioso conciliabulo nec Papae adhaerentes, ancipites manserunt. Quod quidem laude dignum non fuit. Praeterea in Gallia, cum ageretur amplus cleri conventus Bituricensis, Caroli VII **Sanctionem pragmaticam** acceperunt [1]), qua non solum reformationis decreta Basileensia, paululum mutata, fuerant ascita, sed etiam statuta de supereminentia synodi generalis supra Papam. Exitio fuit haec lex pro ecclesia Gallica, fuitque initium tristissimi Gallicanismi [2]).

In Germania comitia Francofordensia, anno 1438, declararunt se neutram in partem velle moveri; Moguntina 1439, nonnihil ulterius procedentia, ad tempus dum aliter decerneretur, probaverunt decreta Basileensia, neque horruerunt adstruere supereminentiam synodi generalis supra Papam. Feliciter tamen accidit, quod haec decreta, ad tempus proposita, non fuerunt pro lege imperii sancita. Magnam partem id operae Aeneae Silvii de Piccolomini (futuri Pii II papae) tribuendum fuit. Prius enim Casparis Schlick, dein Frederici III regis voluntatem Papae reconciliavit. Qui, viribus suis confidens, archiepiscopos Coloniensem et Trevirensem, sectatores pseudosynodi Basileensis, dejecit a sede. Quo facto increverunt in Germania studia Papae adversa ventumque eo fuisset, ut Basileensis

---

[1]) *Du Fresne de Beaucourt*, Charles VII et la pacification de l'Eglise. Rev. des quest. hist., 1888 (Tom. 53), p. 390 sq. *P. Schmitz*, Zur Vorgeschichte des Konkordates von Bourges (1438), Münster 1902. *Noël Valois*, Histoire de la Pragmatique Sanction de Bourges sous Charles VII, Paris 1906.

[2]) Scribit R. Hedde: ... on exhiba la prétendue *Pragmatique de Saint Louis*... c'est une pièce certainement fausse, fabriquée dans l'entourage de Charles VII et destinée à couvrir du nom respecté de Saint Louis les mesures critiquées par le pape. Pendant trois siècles les Gallicans s'en feront une arme contre le Saint-Siège. Manuel, II, p. 36.

auctoritas vicisset, nisi Aeneae Silvii sollers prudentia Papae auctoritatem vindicasset. Contigit ei, ut discordes redderet principes electores, quorum plurimi deinde cum Frederico III ad partes Papae se adjunxerunt. Quae rerum commutatio viam aperuit ad **concordata cum principibus** (Febr. 1447).

Eodem mense obiit Eugenius IV. Fuit vir vacuus a nepotismo, castus, pater pauperum. Plura quam potuit efficere voluit, nec modum sibi posuit. Qui ei successit, confirmavit concordata cum principibus facta, icitque cum Frederico III, 17 Februario 1448, **concordatum Vindebonense,** cujus summa capita eadem fuerunt atque ea quibus Martinus V Constantiae subscripserat[1]).

---

§ 122. Papae, tempore reviviscentium literarum humaniorum, usque ad Leonem X. Synodus oecumenica XVIII.

Pastor, Geschichte der Päpste, I—IV (4e Aufl.), Freiburg 1899—1906. *Hefele-Hergenröther*, Conciliengeschichte, VIII Bd., Freiburg 1887. *Sägmüller*, Die Papstwahlen und die Staaten von 1447—1555, Tübingen 1890. *Calmette*, L'élection du Pape Nicolas V (Mélanges d'arch. et d'histoire, 1903, p. 419 sq.). *Schnitzer*, Zur Gesch. Alexanders VI (Hist. Jahrb. 1900, p. 1 sq.). *Yriarte*, Autour des Borgia, études d'hist. et d'art, Paris 1891. *Goyau*, Le Vatican, Paris 1895, La Renaissance du XVe siècle, p. 467 sq.

1⁰. Die 8 Martio 1447, in conclavi electus est Papa Thomas Parentuccelli, **Nicolaus V** (1447—1455). Qui mox expertus est, imperatorem Graecum, quum auxilia ex occidente non darentur, nec stare unioni ecclesiarum (1448). Quae unio, a Constantino ultimo iterum refecta, in perpetuum soluta est, Constantinopoli a Turcis expugnata (1453). Econtra in occidente finis in perpetuum schismati impositus est. Postquam injuste acceptam dignitatem deposuit antipapa, synodus Basileensis Lausannae elegit papam Thomam Parentuccelli, qui *in sua obedientia* jam appellabatur Nicolaus V, 16 Aprili 1439. Sessione proxima (25 Aprili) dimissa est synodus.

Synodi nomen, quod animos mentesque tamdiu fascinaverat,

---

[1]) Vide supra § 120, n. 8.

paulatim hanc suam vim perdidit. Quamquam etiamtum viri celebres e. c. Jacobus de Jüterbogk, Carthusianus, praesidium Ecclesiae ponebant in synodis generalibus, ordine recurrentibus, alii, Geiler a Kaysersberg, Joannes de Torquemada, Rodericus Sancius de Arevalo, Dominicus Capranica, Joannes Capistrano et Petrus de Monte recte ad capessendam Papae principalitatem redierunt. Nicolai V quoque auctoritas perpetuo gravior reddita, quum propter ejus ipsius egregias animi mentisque dotes, tum ex eo quod ad summas dignitates viros eximios evexit. Ordinis quietem composuit in Italia, conatusque est, quantum potuit, reddere pacem finibus Poloniae, Hungariae, Bosniae, Croatiae et in Cypri insula. Non quidem ubique eundem habuit successum. In Bohemia durabant lites. Anno 1450 edixit jubileum, quod creberrimos peregrinos Romam allexit [1]). Simul intendebat, ut cum hoc jubileo conjungeretur reformatio universa. Estouteville, cardinalis, factus est legatus pro Gallia, Nicolaus Cusanus pro Germania. Hujus praesertim labores fructus uberrimos protulerunt [2]). Die 9 Martio 1452, Fredericus III a Papa est diademate imperii insignitus, quod postea Romae non amplius factum est. Magnam Nicolaus V in fautoribus scientiarum artiumque nomen accepit. Bibliothecae Vaticanae origo ei accepta refertur [3]). Quae suscepit adversus Turcas, successum non habuerunt. Obiit 1455. Appellatus est lumen Ecclesiae et saeculi sui.

2⁰. Qui ei successit e gente de Borja, sibi nomen dedit **Calixto III** (1455—1458). Praecipuam sibi provinciam dedit pugnandi adversus Turcas. Reliquis principibus cunctis sua ipsorum commoda respicientibus, omnem hic Papa operam collocavit in servanda Europa a Turcarum dominatione. Jam anno 1455 bullam edidit. Anno proximo classis vela fecit. Sola Hungaria Papae auxiliata est; sed, duce Hunyady, Carvajal

---

[1]) Studiën, Jg. 32, Dl. 54.

[2]) Studiën, ibid. *Scharpff*, Der Kardinal Nic. v. Cusa als Reformator, Tüb. 1871. Dein: Archief, Deel IX, X; Nederlandsch Archief, I, III; Nieuw Archief, II; Kerkhist. Archief, I–II. *Schmitt*, Card. Nic. Cusanus, Coblenz 1908.

[3]) *De Rossi*, De origine, historia, indicibus scrinii et bibliothecae sedis Apostolicae, Romae 1886. *Ehrle*, Hist. Biblioth. RR. PP. I, Rom. 1890. *J. Guiraud*, l'Eglise Romaine et les origines de la renaissance, 3e éd., Paris 1904, p. 217 sq.

et S. Joanne Capistrano legatis pontificiis, praeclaras victorias reportavit prope Belgrado (1456). Quum autem hi legati et ipse Hunyady brevi tempore post essent mortui, omnis spes ulterioris victoriae evanuit. Germanorum animi Papae adversabantur. Nec Galli intellexerunt quae vellet Papa: decimas pro bello adversus Turcas impugnavit Sorbona provocavitque a Papa ad synodum generalem. Dum vero occidentales officio suo deerant, in oriente Scanderbeg cum Albanensibus fructuose arma intulit in Turcas. Classis pontificia praeclaro quoque praelio ad Metelinum eos vicit (1457). At Veneti, cum Turcis facientes, omnem successum impediverunt.

Laudi quoque Calixto III fuit, quod Joannae d'Arc, anno 1431 Rotomagi damnatae et igne exustae, causam retractandam curavit. Negotium jam inchoatum ab Estouteville, cardinali legato et Joanne Bréhal, inquisitore generali in Gallia, Calixtus III perficiendum mandavit archiepiscopo Rhemensi cum aliis duobus episcopis et inquisitore, qui 7 Julio 1456 sententiam dixerunt absolutoriam, quam cum gaudio probavit Papa, virtutis et innocentiae vindex[1]). Tandem hoc anno 1909, die 18 Aprili, Joanna inter beatos relata est.

Obiit Calixtus 6 Augusto 1458. Fuit in multis rebus magna laude dignus. Sed per nepotismum tristissima causa fuit potentiae gentis Borjanorum.

3⁰. Calixtum autem longius, quam coaetanei sui, rerum exitum futurum prospexisse, patefactum ex eo est, quod qui ei successit, celeber ille Aeneas Silvius Piccolomini[2]), **Pius II**, (1458—1464), omni quo polluit ingenii eximii impetu, bellum contra Turcas persequi contendit. Die 13 Octobri 1458 edidit bullam pulcherrimam *Vocavit nos pius*[3]), qua principes omnes

---

[1]) *Wallon*, Jeanne d'Arc, Paris 1860. *Petit de Julleville*, Jeanne d'Arc, Paris 1900. *Ayrolles*, La vraie Jeanne d'Arc, 5 vol., Paris 1893 sq. *Quicherat*, Procès de condamnation et de réhabilitation de Jeanne d'Arc, 5 vol., Paris 1841—1849. *Marius Sépet*, Jeanne d'Arc, 3e éd., Tours 1891. *U. Chevalier*, L'abjuration de Jeanne d'Arc au cimetière de Saint-Ouen et l'authenticité de sa formule, Paris 1902. *P. H. Dunand*, Histoire complète de Jeanne d'Arc, 3 vol., Paris 1899. Etudes critiques sur Jeanne d'Arc, Paris 1904 sq. *M. J. Belon et F. Balme*, Jean Bréhal grand inquisiteur de France et la réhabilitation de Jeanne d'Arc, Paris 1893.

[2]) *Weiss*, Piccolomini als Papst Pius II, Graz 1897.

[3]) Epistole Enee Silvii, ed. Neuremberge 1496 ep. 399 sq. *Raynald*, ad an. 1458.

Mantuam convocavit in consilium. Neque animo cecidit, quum iste congressus ante mensem Septembrem 1459 effici non potuerit. Quas ibi habuit orationes, praesertim ad Gallos, singulari eloquentiae artificio eminent[1]). Statutum est ut triennale bellum adversus Turcas gereretur. Interea familiae Andegavensis et Arragonensis certabant de regno. Gallia et Germania animis erant ab auctoritate pontificia alienis. Galli synodi generalis minas denuntiabant. Frustra in Germaniam missus est Bessarion. Insidiis Theodorici de Isenburg et Gregorii de Heimburg omnia ejus conamina irrita facta sunt[2]). In Bohemia adhuc grassabantur Hussitarum turbae, atque in cassum Papa omni ope contendit, ut ad rectam fidem et unitatem cum Ecclesia Bohemi redirent. Quod quidem praecipue tribuendum obstinationi et animo infesto Podiebrad regis.

Auxiliantibus sibi Nicolao Cusano et Domenico de' Domenici, multam operam Pius II impendit in elucubrandis describendisque consiliis, quae ad reformandam Ecclesiam essent apta. Quae tamen exsequi non potuit propter imminens a Turcis periculum et propter turbas in Europa effectas. Die 26 Aprili 1463, edidit Pius celeberrimam bullam retractationum, qua dolere se declarat de erroribus juventutis suae, praesertim de iis quae in synodo Basileensi erraverat: *Aeneam rejicite, Pium recipite*[3]). Revocavit etiam quem luxuriosiorem conscripserat *Tractatum de duobus amantibus*[4]). Cum autem eodem anno rerum publicarum in Europa conditio propitior redderetur, iterum agere cum principibus de impugnandis Turcis Pius coepit, atque ipse, 18 Junio 1464, cum exercitu ad bellum inferendum profectus, Anconae, die 15 Augusto, defunctus est. Fuit unus e praeclarissimis saeculi XV Papis.

4°. Qui ei successit, **Paulus II** (1464—1471), odium passus est humanistarum, eo quod reformasset collegium *abbreviatorum*.

---

[1]) Epistole l. c., ep. 411, Spicilegium *d'Achery*, III, 803—811.

[2]) *Menzel*, Diether von Isenburg, Erlangen 1868. *Pastor*, II, 130—143. Falsa est Heimburgi imago descripta ab *Ullmann* (Reformatoren vor der Reformation, in sermonem Neerlandicum versum opus a *G. P. Kits van Heyningen*, II, Utrecht 1848, p. 35—51).

[3]) Cum commentario de concilio Basileensi edita Helmstadii 1700. Optima editio apud *Fea*, Pius II, Romae 1823, p. 148—164.

[4]) Epistole l. c., ep. 114; retractationem ep. 409.

Platina scripsit libellum, ob quem in vincula conjectus et tormentis exagitatus est. Haud diu post detecta est seditio academiae Romanae, cujus caput et fundator fuerat Pomponius Laetus, Vallae discipulus. Multi sunt poenis affecti. De qua re valde infensi humanistae poenas repetiverunt calumniando[1]). Paulus II persecutus est luctam contra Turcas et principum auxilia imploravit pro Scanderbeg, qui Romam veniens splendidissime a Papa est receptus. Fortiter etiam Paulus II restitit Venetiarum, Florentinorum et Gallorum caesaropapismo. Post expugnatam insulam Chalcis (Negroponte, 1470) expeditionem contra Osmanos parans, auxiliumque exspectans ab Usunhassan, Turcomannorum rege, inopinato obiit Paulus II, 26 Julio 1471. Vir fuit justus, pacificus, integer, qui optime meruit praesertim de confirmata Papae auctoritate in principatu Pontificio.

5⁰. Electus est Franciscus della Rovere, cardinalis, antea Franciscanorum minister generalis, **Sixtus IV** (1471—1484). Qui statim etiam ipse pugnare contra christianorum hostem contendit. Per missos legatos quinque et editam unam bullam[2]) concitavit ad bellandum. At principes nihil curarunt et classis Italorum impotens erat propter cladem illatam Usunhassan ad Terdschan (1473). Econtra Julianus della Rovere Umbriam provinciam ditioni pontificiae subegit. At funestum fuit dissidium Papae cum Laurentio de Medici. Contra hunc conjurarunt, haud inscio Papa, gens Pazziorum et Hieronymus Riario. Dum Papa nihil aliud spectaret praeter rerum mutationem minime cruentam, illi mortem genti Mediceorum meditabantur. Frustratum tamen conceptum est. Quo facto Laurentius crudelem se praestitit, etiam innocentes poenis afficiens. Quare Papa eum excommunicavit[3]). At propter hoc non solum in bellum incidit cum Tuscis sed etiam inimicitias Venetiarum movit. In ditione quoque papali Columnensium et Savelliorum gentes in eum insurrexerunt. Simul in Gallia Ludovicus XI minabatur se synodum generalem convocaturum. At litigiis istis finis impositus est per Turcas, Rhodum insulam impetentes et Hydruntum

---

[1]) Cf. *Platina*, Vita Pauli II.

[2]) *Raynald*, ad an. 1471, n. 72.

[3]) *Raynald*, ad an. 1478, n. 4.

occupantes (1480). Tum factus est Sixtus IV princeps belli adversus hostem communem, cujus tamen vires fractae sunt per obitum Mohammeti II (1481). Oborta discordia in Turcarum exercitu, classis Itala, acri facto impetu, Hydruntum recepit. Dschem princeps († 1495), Bajazet fratri cedere coactus, fugit in Rhodum (1482) factusque captivus, principibus occidentalibus fuit magno praesidio contra Turcas [1]). Anno 1483 Venetiarum rempublicam Sixtus interdicto multavit, quod, prius Papae socia contra Ferrariam et Neapolim, facta pace, belligerare perrexerat. In finibus ditionis Pontificiae Columnensium et Savelliorum gentes, contra Sixtum IV coortae, poenas dederunt. Andreas de Zamometic quoque, archiepiscopus Graneae, insurrexit contra Papam et synodum Basileam convocavit. Quod tamen non successit, quamvis archiepiscopus studia junxerit cum omnibus Papae hostibus, cum Ludovico XI, cum Florentia et Neapoli. Ad *Campum mortuum* omnes suos hostes vicit Papa (1482).

Sixtus IV non solum ipse vir fuit doctus, sed etiam scientiarum artisque fautor. Aditum praebuit ad bibliothecam Vaticanam [2]), exornavit urbem, sacellum Sixtinum aedificavit. Eximie promovit cultum Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis ejusque rosarium, multisque privilegiis dotavit Dominicanos [3]), Carmelitas [4]) et praesertim Franciscanos [5]) (*Mare magnum*). Favit etiam aliis ordinibus religiosis. Die 1 Novembri 1478 concessit ut institueretur inquisitio Hispanica. Bulla, ad reformationem procurandam concepta et descripta, edita non est. Dolendum sane est, quod Sixtus IV in cardinalibus creandis non solum nepotismo concessit, verum etiam parum spectavit utrum essent candidati morum probitate digni. Sic enim factum est ut Riario, Orsini, Colonna, Sclafenatus et Savelli postea Alexandrum VI papam elegerint.

6⁰. Post mortem Sixti IV in conclavi electus, Cibo carnalis, sibi nomen dedit **Innocentio VIII** (1484— 1492). Eum, machinante Juliano della Rovere, fuisse simoniace elec-

---

[1]) Quod fuerit veneno absumptus, commentum est.

[2]) Cf. *Paul Fabre*, Le Vatican, p. 672 sq.

[3]) Bull. Rom., ed. Taur., V, p. 224 sq.

[4]) Bull. Carmel., Romae 1715, p. 319 sq.

[5]) Bull. Rom., V, p. 217.

tum, vix in dubium vocari potest[1]. Ante consecrationem, castam non exegerat juventutem, et factus Papa publice celebravit nuptias liberorum suorum duorum[2]; tamen promovit pacem, justitiam et Ecclesiae urbisque bonum. Partem habuit in bello regis Neapolitani cum baronibus suis, sed coactus. Tamen Mathias Corvinus et rex Neapolitanus minati sunt synodum generalem se convocaturos. Inopinato Papa pacem fecit prosperis sibi conditionibus. Qui Romae congressi sunt, ut contra Turcas agerent (1490), efficere quidquam nequiverunt, quamvis Papae fortuna videretur fausta propter socium Dschem principem. Per calumniam accusarunt auctores Innocentium, quod res publicas male egisset, et quod rebus ecclesiasticis exiguam curam adhibuisset. Bulla ejus *Summi desiderantes*, edita 5 Decembri 1484, non fuit dogmatica neque ullo modo causa fuit insectationum contra veneficos[3]. Non tamen multam navavit operam in exstirpandos abusus. Hoc peculiare fuit, quod anno 1489 reperta est magistratuum pontificiorum societas, edens bullas commentitias. Obiit Innocentius 25 Julio 1492.

7°. Per electionem simoniacam dignitate pontificia tum potitus est Rodrigo Borja, **Alexander VI** (1492—1503)[4]. In eum maledicta multa congesta sunt. Verum non est, eum commercium libidinis habuisse cum filia sua Lucretia[5]; nec verum est, eum interfecisse Dschem principem; falsum quoque est, eum Madonnam, oris habitu speciem Juliae Farnese praebentem, seque ipsum precantis gestu genuflexum ante eam, pingendam curasse; falsum deinde est, eum absumptum esse veneno, quod pro cardinali quodam ipse miscuerat; tandem falsum est, ejus filium fuisse fratris sicarium. At satis

---

1) *Sägmüller*, Die Papstwahlen und die Staaten von 1447—1555, Tüb. 1890. *Pastor*, III, 173 sq.

2) Primus Pontificum filios filiasque palam ostentavit, primus eorum apertas fecit nuptias, primus domesticos hymenaeos celebravit. Utinam, ut exemplo prius caruit, ita postea imitatore caruisset. *Egidius Viterbiensis*, Historia XX saeculorum, apud Pastor, p. 196, nota 5.

3) Bull. Rom., III, p. 291. Hist. Polit. Bl., 98, p. 312. Hist. Jahrb. VII, 326.

4) *Burchardi Joan. Argentin.*, Diarium, sive rerum urban. Commentarii (1483—1506), ed. *L. Thuasne*, 3 vol., Paris 1883—1885. *C. v. Höfler*, Don Rodrigo de Borja und seine Söhne, Wien 1889.

5) *Gregorovius*, Lucretia Borja, 3 Aufl., Stuttgart 1875.

multa remanent in eo reprobanda. Usque ad vitae exitum mansit libidinis mancipium[1]). Initio satis bene opinabantur homines universe de Alexandro. Fuit rerum agendarum valde peritus, disertus, habitu vultuque dignitatem prae se ferens, et indole hilari. Videtur initio studiose se ad bene gerendum pontificatum applicuisse. At cum ejus liberi et propinqui Romam venissent, fere unice in promovendis efferendisque consanguineis suis operam collocavit. Joanni filio suo, quem Hispaniae rex creaverat ducem Gandiae, dedit ducatum Beneventinum, pro ipso a Papa conformatum. Infamis iste Caesar (1475—1507)[2]), ad statum clericalem destinatus, anno 1493 purpura ornatus est. Anno autem 1498 a subdiaconatu dispensatus, duxit principissam Gallicam et factus est dux Valentiae et gubernator Romaniae. Vir fuit natus ut exercitui praeesset; sed atrox valde, abutens magna sua in Papam auctoritate, paratus ad crimina, in animo consilium habuit constituendi sibi regnum, complectens Italiam mediam. Sororis suae maritum Alphonsum de Bisceglia interfecit. Universo populo invisissimus, aufugit anno 1503 in Hispaniam, ubi post breve tempus defunctus est. Joffreus uxorem duxit filiam naturalem regis Neapolitani, quae dotem attulit ducatum et comitatum Coriatum. In deliciis Alexandro fuit Lucretia, cui, etsi non omnino nulla reprehensione dignae, nimia tamen falsa illata sunt. Facta ducissa Ferrariensis, virtutis femineae edidit exemplum. Die 14 Junio 1497, Romae repertus est Joannes, dux Gandiae, indigne trucidatus. Quo facinore vehementer territus, Alexander inchoavit procurare negotium reformationis *in capite et in membris*. Delectos viros ad id nominavit, bullam paravit, integram reformationem designavit et descripsit[3]). At non tenuit ardor neque edita bulla est. Legatus tamen pontificius, cui nomen Raymundus Peraudi, multa salutaria perfecit in Germania. Promovit Alexander vitam religiosam et B. M. V. cultum, vindicavitque Ecclesiae libertatem et integritatem doctrinae. Misit missionarios in terrae partes recenter re-

---

[1]) Ante electionem sex ei nati fuerant liberi: e Vanozza de Cataneis: Cesare, Juan, Joffré et Lucretia; ex alia: Pedro Luis et Giroloma. Circa annum 1497 insuper Juan et anno 1503 Rodrigo. *Hergenröther*, Regesta Leonis X, fasc. VI—VII, n. 16494. *Pastor*, III, 261 sq.

[2]) *Yriarte*, César Borgia. Sa vie, sa captivité, sa mort. 2 vol., Paris 1889.

[3]) *Pastor*, III Bd., Anhang, n. 41.

pertas et S. Sedis auctoritate usus est ad servandam pacem inter Lusitanos et Hispanos. Die 3 et 4 Majo 1493 subscripsit decretis tribus. Per primum Hispaniae dedit partes terrae omnes, quas repererat Columbus; per alterum descripsit privilegia; per tertium denique duxit lineam separationis: a polo glaciali ad polum australem, horis Hispanicis 60 occidentem versus ab insulis Azoricis. Terrae omnes ab hac linea ad occidentem spectantes, ditioni Hispaniae subjecit, quae vero ad orientem patebant dedit Lusitanis[1]). Per foedus Tordesillanum (1494) linea transposita est horis Hispanicis 270 ultra, occidentem versus. Obiit Alexander VI 18 Augusto 1503, febri noxia absumptus.

8⁰. Franciscus Piccolomini, cardinalis, vir pius sed aegra valetudine, tum electus est, quia de alio inter cardinales non convenit. Dedit sibi nomen **Pium III** (1503) et post dies 26, lugentibus omnibus, est defunctus.

9⁰. Conclave proximum unum fuit ex iis, quae brevissima in historia memorantur. Omnium fere consensu electus est cardinalis Julianus della Rovere, **Julius II** (1503—1513). Indole animi ingeniique suus, fortis, alta sapiens, fuit inter multos illius aetatis viros praeclaros unus e praestantissimis[2]). Valde magnis in angustiis laboravit, tum ut caput Ecclesiae, tum ut civitatis pontificiae princeps. Minas movebant Hispani a meridie, Galli ab aquilone. Urbem unam post alteram S. Sedi ademerant Veneti. Primum praecipuumque negotium sibi proposuerat Julius restaurandi principatum pontificium. Ideo primum effecit ut incepta sua praepedire non posset Caesar Borja. Dein aggressus est recuperare quae Venetiarum copiae abstulerant. Postulavit per epistolam, 10 Januario 1504, ut sua sibi redderentur[3]). Quod quum negligeretur, auxilia quaesivit Julius per foedus Blesense (22 Sept. 1504) a Ludovico XII et Maximiliano I, ac ipse cum exercitu Perusiam et Bononiam recuperavit. Facta dein Liga Cameracensi (22 Martio 1509), perculsas excommunicatione[4]) (27

---

[1]) Bull. Rom., V, 361—364. *Raynald*, ad an. 1493, n. 18. *Ehrle*, Stimmen a. M.-Laach, 1894.

[2]) Vide indolem ejus descriptam in Studiën, Dl. 49, Jg. 1896.

[3]) *Raynald*, ad an. 1504, n. 1.

[4]) *G. dalla Sancta*, Le appellazioni della Republica di Venezia dalle scommuniche di Sisto IV e Julio II, Venezia 1899.

Aprili 1509) Venetias coegit reddere Campaniam. Ut autem Venetiarum ruinam praeveteret, Gallos et Germanos ab Italia averteret, pacem mox fecit cum Venetiis, quo facto in certamen incidit cum Ludovico XII et Maximiliano I. Auxiliantibus Venetis et Helvetiis, peregrinorum copias expulit Italia. Quamobrem principes illi provocaverunt ad synodum generalem futuram, quam cardinales aliquot seditiosi convocarunt Pisam (16 Majo 1511). Julius autem, eum conventum irritum redditurus, coegit **synodum oecumenicam XVIII, Lateranensem V** (1512—1517). Contra Gallos icit *Ligam Sanctam* cum Hispanis, Venetis et (paulo serius) cum Anglis (4 Octobri 1511). Quum deinde in gravem morbum incidisset Julius, Maximilianus I conatus est efficere, ut proximo conclavi ipse sibi potiretur dignitate papali [1]). At praeter omnium opinionem sanitatem recepit Julius II. Qui praepedire nequivit cladem exercitus *Ligae Sanctae*, prope Ravennam (11 Aprili 1512); at animo non cecidit, praesertim quod Gallorum dux Gaston de Foix in proelio cecidisset, et Helvetii promitterent se perdita instauraturos. Die 5 Majo 1512 inchoata synodus est. Cujus sessione II doctrina falsa de supereminentia synodi supra Papam a Cajetano, nemine refragante, fortiter est reprobata et a synodo damnata. Inter sessionem II et III Helvetii copias peregrinas Italia expulerunt. Quam victoriam cum ingenti gaudio Romani celebrarunt. Tres dein synodi sessiones Julius II adhuc vidit, mortuus 20 Februario 1513. Fuit gubernator eminens, belli dux peritus praestansque, et Pontifex pius, Ecclesiae saluti deditus. Neque minor artium fautor honorandus. Julio II enim favente, Rafael et Michel-Angelo opera artis sua perficere potuerunt.

9⁰. Proximum conclave elegit Joannem de Medici **Leonem X** (1513—1521) [2]). Vix fuit annos natus 37. Magnae statim obortae S. Sedi angustiae. Initio non sine fructu gubernavit Leo X. Pacem reconciliavit cum Ludovico XII, unde pseudo-synodus Pisana-Mediolanensis praesidio suo orbata est. Relicta *sanctione pragmatica* Bituricensi, cum Leone X

---

[1]) *Aloys Schulte*, Kaiser Maximilian als Kandidat für den päpstlichen Stuhl, Leipzig 1906.

[2]) Leonis X Regesta, ed. *Hergenröther*, Friburgi 1884 sq. fasciculi 6, ad 1514.

Franciscus I fecit foedus, cui nomen *concordatum* 1516. Die 27 Aprili 1513, convenit synodi oecumenicae sessio VI. Habitae insuper sunt sessiones sex. Damnata est doctrina, quae animam humanam mortalem dicit; Bonifatii VIII bulla *Unam Sanctam* confirmata est; declaratum est, Papam praeeminere synodis; demum decreta plura edita sunt, reformationem spectantia. Quae tamen efficacia non fuerunt, manseruntque lex mortua. Curiae Romanae mens et ratio gubernandi eo tempore non fuit seriae reformationi instituendae apta; saecularis potius vocanda quam religiosa. Celebrabatur quidem Leonis X pontificatus a poetis et humanistis, efferebaturque laudibus a summis artificibus; at saecularis totius vitae ratio, religionis rerumque ecclesiasticarum neglectus gravi sunt vituperii nota reprobanda, funestaque fuerunt tum S. Sedi tum Ecclesiae universae. Dum Romae inter cardinales seditio patefieret (Petrucci, Sauli, Riario), Papae mortem intentans, inchoavit in Germania pseudo-reformationis tragoedia[1]).

---

[1]) *Pastor*, Leo X, Freiburg 1906. *André Pératé*, L'œuvre de Jules II et de Léon X in *G. Goyau*, Le Vatican, Paris 1895, p. 582 sq.

CAPUT SECUNDUM.

TENTATA HAERETICA ET REFORMATORIA.

§ 123—§ 126.

§ 123. **Joannes Wiclef, Joannes Hus, et Hieronymus Pragensis.**

Hefele, Conciliengeschichte, VI—VIII Bd. *Pastor*, Gesch. der Päpste, I Bd. *Vattier*, John Wiclef, sa vie, ses œuvres et sa doctrine, Paris 1886. *Lecher*, Johann von Wicleff und die Vorgeschichte der Reform, Leipzig 1873. *Loserth*, Hus und Wiclef, Prag 1884. *W. Moll*, Studiën en Bijdragen, IV Dl., en Nieuw Christelijk Maandschrift, IV Dl. *F. A. Gasquet*, The old english Bible and other Essays, London 1897. Cf. Studiën, Dl. 49, Jg. 30. *Sonstral*, Geschiedenis van het Hussitismus van zijnen oorsprong af in de 14de eeuw, totdat het bij den majesteitsbrief van keizer Rudolph als eene Protestantsche Kerk werd erkend, 1882. *Capes*, The English church in the 14 and 15 centuries, London 1900.

1⁰. Per schisma occidentale et per propagatam disciplinam conciliariam ceciderat Papatus auctoritas, cui magna et diuturna industria fuit opus ut ubique instauraretur unitas et expedirentur ea, quae perpetuo ei objiciebantur, impedimenta. Doctrina Waldensium, Marsilii Patavini et *Apocalypticorum*, saltem summis suis primisque partibus, undique serpebat. Exstirpari non potuit. Atque ita paulatim plurium haeresum doctrinae inter se compositae mixtaeque sunt, a Wiclef et Hus praecipuis fautoribus proclamatae et, adjuvantibus multis eorum discipulis, ardenter propugnatae.

2⁰. Natus **Wiclef** anno 1324, in pago quodam prope Eboracum, philosophiae et theologiae incubuit in universitate Oxoniensi, cujus postulationes, anno 1360, contra ordinum mendicantium impetus defendit. Mox e numero fuit eorum qui, animo consilioque Ecclesiam reformantes, re et facto ruinam ordinis tum ecclesiastici tum civilis procurabant. Anno 1365 stetit cum Eduardo III, qui renuebat solvere Urbano V papae residuam

pecuniam feudalem. Jam tum emisit sententiam, quam quasi sinu fovebat, licere nimirum potestati civili adimere clero bona temporalia, causa abusus. Censet enim jus possidendi bona fundari in gratia, quam qui amiserit, eum licet spoliari bonis et rebus omnibus quas accepit a Deo[1]). Factus tum est sacellanus regius et anno 1372 theologiae magister. Duobus annis post fuit Wiclef e legatis Angliae, qui Brugis cum legatis Gregorii XI agerent peterentque ut solis Anglis darentur Anglica beneficia, magnaque eum laude extulit Papa propter ejus merita castamque vivendi rationem. Redux Oxoniam, vehementer tum in suggestu ecclesiae, tum in praelectionibus suis, insectatus est tributa pontificia, bona Ecclesiae temporalia, ordines mendicantes et clerum universum, cui suos proposuit exemplar „*sacerdotes pauperes*", quae postea facta est *Lollardorum* secta. Anno 1377 ab episcopo Londinensi in judicium vocatus, potentem fautorem habuit ducem Gent-Lancaster. Sententiae tamen ejus 19 Romam missae sunt. Nihil id curans, Wiclef suam mentem propugnare perrexit, immo vero transsubstantiationem negavit. In angusto ejus causa posita est, cum Gulielmus de Courtnay, prius episcopus Londinensis, factus esset archiepiscopus Cantuariensis, primas Angliae. Is enim coactae synodo provinciali Londini proposuit catalogos duos sententiarum Wiclefi, quae cunctae sunt reprobatae[2]). De qua synodo oborta est in universitate Oxoniensi acris controversia. Quapropter alteram synodum Oxoniae coegit primas, quae doctrinam Wiclefi ejusque sectatorum iterum damnavit[3]). Quo facto, recessit vir haereticus in suam parochiam Lutterworth, ibique frequenter praedicabat confecitque opus suum princeps *Trialogum*, seu disputationem inter *veritatem*, *mendacium* et *prudentiam*, in qua vincit doctrina Wiclefitica. Brevi post obiit Lutterworth, 31 Decembri 1384.

3⁰. Wiclefi doctrina haeretica transitum paravit ab antiquis haeresibus ad reformationem. Fundatur in pantheismo et in praedestinatione absoluta. E sententia Wiclefi omnia Deus

---

[1]) *Trésal*, Les origines du schisme anglican, Paris 1903, p. 6.

[2]) *Mansi*, XXVI. 697. Cf. *Hefele*, VI, 810 sq. *Mortier*, Histoire des Maîtres généraux O. P., Paris 1906, III, 650.

[3]) *Hefele*, VI, 827 sq.

est; omnia, etiam Dei opera, necessaria sunt. Quamobrem est praedestinatio, non minus ad infernum quam ad gloriam. Soli praedestinati ad gloriam membra sunt Ecclesiae. Ideo nemini licet aut excommunicare aut canonisare, nisi e speciali revelatione divina. Debet Ecclesia reduci ad simplicitatem temporum apostolicorum. Qui in statu peccati mortalis versatur, superior sive ecclesiasticus sive civilis, nulla potitur jurisdictione. Transsubstantiatio impossibilis est et daemonis inventio. Fidei fons unicus Biblia est[1]). Romana Ecclesia daemonis synagoga est, Papa autem antichristus et abominatio desolationis[2]).

4⁰. Haec ejus doctrina, etiam post Wiclefi obitum, a fautoribus ejus, *Lollardorum secta*, propagabatur. Sedes principes fuerunt dioeceses Londinensis, Lincolniensis, Worcesterensis et Salisburensis. Principio parum neque fortiter impugnabatur. Primus Henricus IV severius egit, ita ut paulatim divulgari desederit error. Synodus Constantiensis decrevit, ut scripta Wiclefi exurerentur, damnavitque doctrinam sententiis 45.

5⁰. Per initum connubium Richardi II cum Anna Bohemica (1382) commercium frequens natum est inter Bohemiam et Angliam. Ad scientiarum studium se conferebant Angli Pragam, et Bohemi Oxoniam. Hinc Wiclefi doctrinae permanarunt in Bohemiam inveneruntque ibi animos paratos. Non tamen haec sola causa fuit **commotionis Hussiticae.** Serpebat ibi jam falsa doctrina mystica, quae multos ad sectas *Fratrum apostolicorum* et *Apocalypticorum* protrudit. Prodierunt quoque fanatici, annuntiantes adventum proximum antichristi. Praeterea per conditam universitatem Pragensem opiniones Gallorum de reformando clero irrepserant in Bohemiam et ad populum penetrarant. Commovebant etiam haud parum controversiae inter realistas (Czechos) et nominalistas (Saxones, Bavaros et Polonos). Multipliciter quoque nocuit Joannes Milicz a Kremsier, qui imprudenter et severius non tantum impugnavit abusus in clericorum moribus, sed etiam ipsa scientarum studia insectatus est, et cum Spiritualibus er-

---

[1]) Versiones S. Scripturae, editae a Forschall et Madden, et Biblia Wiclefi appellatae, re et facto catholicae sunt versiones, a patribus nostris ante reformationem confectae. *Gasquet*, l. c., p. 154—155. Studiën, l. c., p. 25.

[2]) Trialogus cum supplemento Trialogi, ed. *Lechler*, Oxonii 1869. *Denzinger*, Ed. IX, p. 147 sq. ed. X, n. 581—625.

ronee sentiebat de regno antichristi. Quum ipse, tum Matthias de Jannow, ejus discipulus, in suspicionem haeresis venerunt. Unde mirum non est, fuisse in Bohemia mentes animosque hominum valde commotos.

6⁰. Cujus commotionis caput prodiit **Joannes Hus.** Natus Husinec, circiter anno 1369, factus est 1398 magister Pragae, anno 1402 rector universitatis et paulo post confessarius Sophiae reginae. Moribus integer, funestam Wiclefi doctrinam admiratione prosequebatur, et, munere praedicatoris in sacello *Bethlehem* fungens, opportunitatem nactus est opiniones suas in populo divulgandi. Inde ab anno 1407 in suspicione haeresis fuit. Anno proximo Wiclefi theses 45 universitas Pragensis damnavit. Coacte et in speciem huic sententiae se adjunxit Hus, dixitque in sermone coram populo „libenter velle se in caelo cum Wiclefo obtinere locum". Facultate praedicandi privatus, multos tamen paulatim sibi comparavit sectatores e Czechis in universitate. Quum anno 1408 obedientiam Romanam desereret Wenzeslaus rex, Pisanamque prosequeretur, statim Czechi paruerunt, Germanis obedientiam Romanam tenentibus. Tum, edicto 18 Januario 1409, Wenzeslaus nationi Czechicae in universitate dedit suffragia tria, unum Germanicae. Quo facto Saxones, Bavari et Poloni universitatem Pragensem urbemque reliquerunt condideruntque universitatem Lipsiensem (1409).

7⁰. Sic Hus libere agendi facultas data. Sermonibus suis in sacello *Bethlehem* temerarias et haereticas suas sententias proclamare perrexit, fortiter adjutus ab amicissimo sibi **Hieronymo Pragensi.** Contra accusationes, quae Romam deferebantur, munitum se arbitrabatur praesidio Wenzeslai Sophiaeque reginae. Excommunicatus tamen est anno 1411 et civitas Pragensis interdicto perculsa. Provocans ad synodum generalem et ad Christum, consilia sua fanatica persecutus est. Atrox furore, insectatus est anno 1412 indulgentias et bullam de expeditione sacra in Ladislaum Neapolitanum[1]), a solo Hieronymo Pragensi fanatismo superatus. Clerus autem

---

[1]) Questio de indulgentiis: contra bullam Papae, *Joannis Hus* et *Hieronymi Pragensis*, Hist. et Monumenta, 2 vol., Neuremb. 1558; Francof. 1715, Tom. I, p. 121 sq., 184 sq. Nova editio paratur Pragae (auctoribus Flairhans et Kominkova) 1905, cujus edita volumina 2.

Pragensis accurate paruerunt interdicto, ita ut populus catholicus mox repugnaverit contra Hus suosque. Rege efflagitante exiit urbe Hus, secedens ad amicorum castella (Kozihradek et Krakowec), scripsitque plura opera, praesertim opus suum princeps *De Ecclesia Tractatum*[1]). Interea Conrad de Vechta, archiepiscopus, synodum creberrimam Pragensem coegit. Facultas theologica postulavit, ut error Hussiticus damnaretur. At Wenzeslaus rex favebat Hussitis, ita ut synodus decretum non tulerit ac res in dies fuerit in majore discrimine posita.

8°. Quamobrem Wenzeslaus et Sigismundus reges consilium dederunt Hus, ut sisteret se synodo Constantiensi, eique itineris praesidium publicum promiserunt. Nonnihil moratus paratum se declaravit Hus, et, 3 Novembri 1414, venit Constantiam. Joannes XXIII eum ad tempus levavit excommunicatione et interdicto, at vetuit dicere Sacrum aut praedicare. Quum vero praedicando non abstineret, in custodia est positus. Interim ex ejus scriptis, praesertim e *De Ecclesia Tractatu*, collectas sententias 58 disquirendas synodo proposuerunt. E quibus synodus damnavit 30. Quarum praecipui errores hi sunt: Ecclesia solis constat praedestinatis (1). Qui praedestinati sunt ad infernum, non pertinent ad Ecclesiam (3). Petrus non fuit caput sanctae Ecclesiae catholicae (7). Dignitas papalis profluxit e postestate imperatoris (9). Sine speciali revelatione nemo potest cum ratione declarare, vel se vel alium alicujus Ecclesiae esse caput (10). Quod quis facit in statu gratiae, bonum est, quod vero facit in statu peccati mortalis, malum (16). Sacerdos debet praedicare, etiam excommunicatus (18). Per censuras (excommunicationem, suspensionem et interdictum) clerus parat viam antichristo (19). Quum Papa pravus est, praecipue quum est praedestinatus ad infernum, non est caput Ecclesiae militantis (20). Antequam introductus esset Papatus, bene regebatur Ecclesia ab apostolis et fidelibus Domini presbyteris (29). Qui est in peccato mortali, nec princeps saecularis est, nec praelatus neque episcopus (30)[2]).

Quam doctrinam jure damnavit synodus Constantiensis, quod

---

[1]) Monumenta etc., I, 196—255.

[2]) *Mansi*, XXII, 754 sq. *V. d. Hardt*, Magnum Conc. Const. IV, 408—412. *Denzinger*, ed. IX, p. 15 sq., ed. X, n. 627—656.

non solum Ecclesiae sed etiam ordini reipublicae civili exitium minitabatur. Joannes Hus ipse damnatus est ut haereticus, gradu clericali dejectus, ob pertinaciam brachio saeculari traditus et igne exustus (6 Julio 1415). Intrepidus rogum ascendit. Amicissimus ei et ferventissimus sectator, Hieronymus Pragensis, qui prius haereticam suam doctrinam retractaverat, hanc autem retractationem postea maximum vitae suae peccatum vocaverat, eandem mortem igne sortitus est. Diploma regium[1]), de quo tam multa scripserunt adversarii Ecclesiae, pro solo itinere fuerat datum, non ut eum liberaret a sententia concilii. „*Si erroris aut haeresis convincor*, Hus ipse declaraverat, *paratus sum erroris aut haeresis poenas persolvere*". A synodo decretum non est, *nullam fidem haeretico esse servandam*. Quod superest documentum, haec verba referens, ab uno tantum synodi membro adumbratum fuit[2]).

9⁰. Sumpto supplicio de Hus et Hieronymo Pragensi, haeresis nullatenus confecta est. Econtra increvit certamen. Pauco tempore priusquam moreretur, Hus commendaverat laicis communionem calicis[3]). Unde factum est, ut, quod antea in sola civitate Pragensi usurpabatur, mox ubique apud Hussitas in usum venerit, qui propterea **Utraquistae** sunt vocati. Wenzeslaus rex, initio nimium haereticis indulgens, postea refellendorum hominum seditiosorum impotens fuit. Isti ducem valde peritum nacti, Joannem Ziska, castellum Hardstenii construxerunt, quod nomine *Tabor* vocaverunt, insectati sunt trucidaruntque monachos et presbyteros, instruxerunt die 30 Julio famosissimam illam processionem calicum, impetum fecerunt in curiam Pragensem, ac per fenestras foras ejecerunt consifiarios septem. Metu perculsus, obiit Wenzeslaus 16 Augusto 1419. Interea Martinus V, die 22 Februario 1418, edixerat bullam *Inter cunctas*[4]) jusseratque ut accurate de hae-

---

[1]) Textum ejusque disquisitionem vide apud *Hefele*, VII, 218 sq.

[2]) *Höfler*, Hist. Pol. Bl., Bd. 40, p. 421 sq., Bd. 41., p. 529 sq. *Hefele*, VII, 227 sq

[3]) Epistolae quaedam piissimae et eruditissimae Johannis Hus, quae solae satis declarant Papistarum pietates esse Satanae furias. Addita est D. Martini Lutheri praefatio. Witembergae ex officina Joannis Luft, Anno 1537, Epist. 6. Domino Hassulikom.

[4]) *Mansi*, XXVII, 1204 sq. *V. d. Hardt*, IV, 1518 sq. *Hefele*, VII, 345 sq.

resi inquireretur, propositis quaestionibus 39 [1]). In Bohemiam missus est Dominici cardinalis. Quos inquisitores Sigismundus, qui Wenzeslao successerat, tueri voluit, sed iterato a seditiosis cladem accepit.

Jam inde ab anno 1419 schisma ortum inter Hussitas. *Utraquistae* moderati consederant Pragae, *Taboritae* vehementiores in Tabor. Mortuo Ziska (1424), ulterius dissoluta factio est. Tertia disjuncta pars nomen sibi dedit *Horebitas*, a sede sua Horeb; quarta *Orphanos* se nominarunt, quod essent, Ziska mortuo, quasi patre orbati. Non tamen desedit bellum. Sigismundus enim, etiam tum impotens fuit adversus haereticos, qui, licet invicem altercantes, contra hostem communem conjunxerunt societatem. Anno 1433, infelici facta expeditione, invaluit persuasio, vi nihil in seditiosos effici posse. Quare reconciliationis via tentata est. Effecit Sigismundus ut agerent cum synodo Basileensi (1433). Post irritas in hac urbe tractatas conditiones, synodi legati adierunt Pragam. Ibi pax composita per **compactata Pragensia** (1433). Hae conditiones sunt receptae: a) Licitum erit in Bohemia et Moravia accipere S. Communionem sub utraque specie, sed accurate sunt homines instruendi, totum esse Christum sub unaquaque specie; b) punientur peccata ad leges divinas et ecclesiasticas, sed non ab alio quam a legitimo superiore; c) Licitum erit Verbum Dei praedicare iis quibus *missio ecclesiastica* facta est; d) bona ecclesiastica rite administrabuntur ad effata Patrum.

His statutis legibus, Utraquistae moderati quieverunt, inieruntque societatem cum catholicis, ordinis restituendi causa, et Taboritis, anno 1434, ad vicum Lipan prope Pragam summam cladem intulerunt. Unde composita pax Iglaviensis, qua *compactata* pro lege imperii declarata sunt (1436). Taboritarum tamen pars in id convenire noluerunt posteaque condiderunt societatem *fratrum Bohemorum et Moravorum* [2]) (1457).

Neque potuit inter catholicos et utraquistas pax esse diuturna. Acceperant hi *compactata* a synodo seditiosa; quae in compactatis sibi emolumento erant, iis utebantur, quae impedimento, respuebant. Dein Rokycana, antea Utraquistarum caput,

---

[1]) *Denzinger*, ed. IX, p. 154 sq., ed. X, n. 657 sq.

[2]) *Gindely*, Geschichte der Römischen Brüder, Prag 1857.

post archiepiscopus Pragensis, se cum Utraquistis sentire ostendebat, neque opposuit se hisce Georgius Podiebrad, inde ab anno 1458 Bohemiae rex. Ante ejus oculos promovebat Rokycana usum calicis (1459). Anno 1461, huic quidem rei refragatus est Podiebrad, sed hoc tantum animo, ut Papam sibi conciliaret et diadema imperii consequeretur. Anno proxime sequenti honorandi causa misit legatos ad Pium II papam, sed simul petiit ut confirmarentur *Compactata*, quam Bohemi aestimabant haeresis suae probationem. Abnuit Papa et abolevit *Compactata* (31 Martio 1462). Quo facto, jam mense Augusto transiit Podiebrad ad partes Utraquistarum, incassum fortiter refragante Faustino, audaci Papae legato. Paulus II papa excommunicavit regem, qui postea annos aliquot haeresin suam persecutus, simul cum Rokycana, anno 1471, defunctus est. Ladislao regnante, pax Kuttenbergensis (1485) composita utrisque partibus aequalia jura concessit. Reformationis aetate, Utraquistae ferventes ad Lutheri sectam transierunt[1]).

---

§ 124. Errores reliqui.

Pastor, Geschichte der Päpste, Bd. I—IV. *Hefele*, Conciliengesch., Bd. VI—VIII. *Ullmann*, Hervormers vóór de Hervorming, Hollandsch door *G. P. Kits van Heiningen*, Utrecht 1848—49. 2 Deelen. *W. Moll*, Kerkgeschiedenis van Nederland vóór de Hervorming, II, 3, Utrecht 1869. *F. Rocquain*, De la cour de Rome et l'esprit de Réforme avant Luther, Paris 1897.

1°. Nondum erat exstincta secta **spiritus liberi.** Anno circiter 1370 Carolus IV imperator, monente Gregorio XI Papa, purgavit provincias ecclesiasticas Magdeburgensem et Bremensem. Sectarii multi fugerunt ad partes Rheni, in Brabantiam et Hollandiam, unde iterum anno 1373 sunt propulsi. Gerardus De Groote[2]) Ultrajecti Bartholomaeum quemdam, eremitam Augustiniensem, liberi spiritus sectarium, ad

---

[1]) *Cochlaeus*, Historiae Hussitarum, Moguntiae 1545. *Mansi*, XXVIII, Compendiosa narratio etc., p. 1173 sq.

[2]) Geert Groot de ketterhamer, Studiën en bijdragen op 't gebied der hist. Theologie, Amsterdam 1870, Dl. I, 343 sq.

judicem adduxit. Praedicaverat enim in civitatibus Kampen, Zwolle et Woudrichem: hominem per gratiam fieri id quod Deus est per naturam, vitam hominis perfecti *super puro nihilo* inniti debere, hominem, si Deus eum peccare voluerit, acquiescere debere; poenitentiam, confessionem et satisfactionem esse despiciendam [1]).

2⁰. Quae saeculo XIII factae erant **processiones flagellantium** ob pestem famemque depellendam, hae iteratae sunt saeculo XIV, quum anno circiter 1350 plura centena millia morte nigra absumerentur [2]). Summa ubique calamitas. Terrore metuque perculsi, per Europam populi ad singulare poenitentiae genus pervenerunt. Bis de die ingenti multitudine homines, e civitatibus exeuntes, cum solemnibus caeremoniis ipsi se flagellabant in aperto. Accessit erronea opinio et contemptus ordinis hierarchici: proprio tantum sanguine salutem aeternam acquiri posse arbitrabantur; baptismum sanguinis requiri; hierarchiae ecclesiasticae potestatem desiisse, S. Eucharistiam invalidam esse factam. Saepius Judaeos impetiit flagellantium furor. Magno etiam fuerunt numero in Hollandia, habebanturque sancti. Eorum vestibus involvebantur cadavera, aut in horum arca ponebatur flagellantis pileus vel baculus. Joannes de Arkel episcopus, anno 1355, hisce omnibus sese opposuit. Jam anno 1349 Clemens VI papa damnaverat flagellantes [3]). Non tamen exstirpatum est nefas, quod anno adhuc 1400 occurrit Trajecti ad Mosam [4]). Synodus Constantiensis iterum damnavit.

3⁰. Vix tranquillatis rebus, aliud magis etiam novum et insolitum apparuit. Quum anno 1368, in agris ad Rhenum sitis et in Hollandia, peste et aliis aerumnis incolae essent oppressi, extulit se per multitudinem, praesertim Aquisgrani, Coloniae, Juliae, postea in Gelria, Limburgia, in Leodiensium et Flandrorum finibus, qui vocatus est **furor saltandi.** Multi viri et

---

[1]) *Acquoy*, Gerardi M. Epistolae, Amstelodami 1847, p. 24 sq.

[2]) E. c. in monasterio Klaarkamp mortui sunt 183, in Foswerdi 207, in Aduardi 194 etc. „La mortalité en France atteignit peut-être la moitié de la population ... Il mourut en Allemagne 124000 religieux; en Italie 30,000 frères mineurs". *R. Hedde*, Manuel etc., II, 62 annot. 2. Dom *U. Berlière*, Trois traités inédits sur les flagellants de 1349. Revue Bénéd. 1908.

[3]) Batavia Sacra, I, 195. *Harzheim*, Conc. Germ. IV, 354 sq.; 627 sq.

[4]) *Fisen*, Hist. Eccl. Leod., p. 157.

mulieres, ex infima praesertim plebe [1]), convenientes in plateis, areis et saepissime in ecclesiis, saltabant et conclamabant ingeminantes vocem *impigre* (frisch), aut cantantes versiculum: Domine sancte Joannes, ita, ita, impigre et alacriter, domine sancte Joannes (*Here sent Joan, so, so, frisch end fro, here sent Johan*); amplexantes invicem saltabant usque dum confecti deciderent, et prae angore compressi viderentur mori. Circuibant etiam, floribus redimiti, ab uno sanctuario ad aliud. Communis omnium fuit contemptus cleri. Occurrebant etiam visiones, membris spasmo convulsis. Trajecti ad Mosam, ubi ingens oborta est turbatio, et in finibus Leodiensibus clerus exorcismos adhibuit. Vix tamen apud homines istos miserrimos cogitari potest de haeresi.

4⁰. Idem dici nequit de **Joanne de Vesalia** [2]) (Richrat), ita nominato a civitate ejusdem nominis (Oberwesel?). Scientiis incubuit et dein docuit, magister, Erfordiae. Anno 1450, quum edixisset jubilaeum Nicolaus V papa, scripsit Joannes adversus indulgentias negavitque Papam posse remittere poenas ob peccatum debitas [3]). Functus officio praedicatoris Vormatiae, factus est parochus in cathedrali Moguntina atque ibi a judicibus ecclesiasticis ad sempiterna vincula est damnatus. Lata sententia, errorem retractavit dicens: „*me subjicio Ecclesiae et doctorum effatis et peto veniam*". Post biennium obiit in monasterio eremitarum Ord. S. Augustini.

Docuit autem Joannes haec: Magisterium sempiternum S. Scripturae est, quam potest solus Christus interpretari. Ab aeterno Deus electos suos scripsit in libro vitae; nullus deletur, nullus additur; neque excommunicatio, neque hierarchia, neque indulgentia quidquam in hac re mutare potest. Corpus Christi potest in Eucharistia esse praesens, non mutata substantia panis. Non vult Christus festa, jejunia neque precationes certas, praeter *Pater Noster*. Dicebat: „*contemno Papam, Ecclesiam et synodos, sed laudo* Christum *Dominum Nostrum*".

---

[1]) Die Tanzwuth, Berlin 1832. *Israëls*, De danswoede in de Nederlanden, Nederl. weekbl. v. Geneeskunde, Jg. 1856, n. 36—38.

[2]) *Clemen*, Deutsche Zeitschr. f. Gesch., 1897, II, 143 sq.; 344 sq. *Paulus*, Zeitschr. f. K. Theol., 1900, p. 644. Der Katholik, 1898, I, 44 sq.

[3]) *Joannes de Vesalia*, adv. indulgentias disputatio. *Walch*, Mon. med. aevi Göttingae 1757, II, 1.

5⁰. **Joannes Pupper de Goch** [1]), natus ineunte saeculo XV, videtur scientiis fuisse imbutus apud *fratres vitae communis* et alibi. Eum fuisse superiorem in domo fratrum Hardervici, non satis compertum est. Anno circiter 1460 condidit Mechliniae monasterium Thabor pro monialibus, quod gubernavit usque ad obitum (1475). Opus ejus princeps inscribitur *Liber de libertate christiana* [2]). Injuria inter praeformatores reformationis numeratus est. Nec probari potest, eum S. Scripturam unicum revelationis fontem declarasse [3]). Quae docuit de justificatione, eadem sunt quae solebant tradi medii aevi aetate. Erravit in quibusdam. Negavit enim episcopum altioris ordinis esse quam presbyterum, vocavitque eum *primum inter pares;* putavit vota religiosorum non obligatoria esse, negavitque statum religiosum erui posse e S. Scriptura.

6⁰. Minus recte etiam **Joannes Wessel Gansfort** [4]) inter praeformatores reformationis adscriptus fuit. Ab amicis suis appellabatur *lux mundi*, ab adversariis *magister contradictionum*. Natus anno circiter 1420 Groningae, studuit litteris primum in patria, deinde Zwollae apud *fratres vitae communis*, et superioribus scientiis Coloniae, Lovanii, Parisiis, Romae, Basileae, Heidelbergi et Aduardi. Quae scripsit, fere omnia ascetica sunt. Opus ejus fortasse princeps *Wesselii Farrago* est, cui postea Lutherus addidit praefationem [5]). Licet saepius minus accurate cogitata sua verbis reddiderit, et sententiis Basileensibus et Constantiensibus adhaeserit, non tamen fuit veri nominis haereticus. Insectabatur suae aetatis abusus, multaeque ipsi tributae sententiae dubiae sunt aut non accurate satis expositae. Jam anno 1528 viderat Joannes Faber Wesselium articulis 31 a Luthero discrepare. Docebat, humanum arbitrium

---

[1]) *Clemen*, Johann Pupper von Goch, Leipzig 1896. *Delprat*, Broederschap van Geert Groot, Arnhem 1856.

[2]) Ed. *Grapheus*, Antv. 1521. Alia opera apud *Walch*, Mon., I, 4; II, 1.

[3]) Habet enim sententias hujus modi: „Sensus litterae conformis ... non est pro vero tenendus si determinationi Ecclesiae obviare manifeste reperitur. Nam Ecclesiae auctoritas est maxima auctoritas ... si non crederem Ecclesiae non crederem Evangelio ..". Liber de libertate christ. I, 4. Cf. *Clemen*, p. 251 sq.

[4]) *Muurling*, commentatio historico-theol. de Wesselii Gansfortii cum vita tum meritis, Trajecti ad Rhenum 1831. Monographia a *Friedrich*, Regensburg 1862.

[5]) Opera, ed. Groningae 1614.

esse liberum, hominis justificationem ad mentem Ecclesiae, Sacramenta septem, purgatorium, et cultum B. Mariae Virginis. Obiit Groningae 1489.

7⁰. Referri huc etiam possunt: **Nicolaus Russ,** Rostockiensis, qui libro suo *De triplici funiculo*[1]) non solum impugnavit ordinem monachalem, sed etiam hierarchiam, indulgentias et cultum sanctorum ; et **Joannes Böhm de Niclashausen**[2]), vir vehementer fanaticus, qui sermonibus seditiosis invehebatur in clerum et ab episcopo Wirceburgensi capitis damnatus est (1476). In Hollandia vixit, anno circiter 1450, **Epo Harlemensis,** sartor quidam praedicandi cupidus. Nicolaus de Naarden, sacerdos et magister artium, cum multis aliis factus est ejus sectator et amicus. Vocati in judicium inquisitionis Ultrajectinae, retractarunt errores suos, mortis metu. Docebant sanguinem Christi vim nullam habere, hostiam post consecrationem non esse nisi panem sacrum, missas pro defunctis esse inanes. Epo eodem anno peste abreptus est, Nicolaus videtur fidem inquisitioni datam tenuisse.

8⁰. Alius in Hollandia haereticus fuit **Hermanus de Rijswijk**[3]). De cujus vita, antequam comprehensus est, nihil innotuit. Ex haeretica ejus doctrina patefit, eum institutione scholari fuisse imbutum. Comprehensus, anno 1502, a Joanne de Ommaten, fratrum praedicatorum Ultrajectensium priore, errores suos confessus est. E quibus patet eum omnino a christianismo descivisse. Docebat enim, mundum esse aeternum, creationis narrationem esse commentum „Mosis fatui", non esse infernum neque caelum, animam cum corpore mori, Aristotelem et Averroem ad verum maxime propinquasse, Christum fuisse hominem „malesanum" et „fatuum phantastam", qui mundum universum pervertisset, christianismum mendacem esse, non minus quam Vetus et Novum Testamentum. Quum de Ommaten mortis sententiam tulisset, revocavit errores Hermanus et ad perpetua vincula damnatus est. At e custodia elapsus, multos

---

[1]) Ed. *Nerger*, Rostock 1886.

[2]) *Ullmann*, versus a Kits van Heijningen, II, p. 449 sq.

[3]) Catalogus haereticorum omnium pene, qui ad haec usque tempora passim literarum monumentis proditi sunt, quem fr. Bernardus Lutzemburgus, artium et sacrarum literarum prof. ordinis praedicatorii quinque libris conscripsit. Editio tertia (Coloniae) anno 1526, mense Martio. Cf. *Moll*, II, 3, p. 104 sq.

scripsit libros haereticos et anno 1512 iterum comprehensus est. Jacobus de Hoogstraten, inquisitor, et Jacobus Ruysch, decanus Hagae Comitis, eum brachio saeculari tradiderunt. Die 12 Decembri 1512 judicium supremum sententiam tulit, haereticum igne esse exurendum, ut nihil nisi cinis et pulvis superesset, ejusque bona esse in publicum redigenda. De ejus scriptis, quae simul cum ipso exusta sunt, nihil reliquum innotuit.

Tertius vir Hollandus, **Joannes de Alkmaar** [1]), qui de bonis ecclesiasticis Hussitice sentiebat, ad synodum Constantiensem vocatus, errorem revocavit.

---

§ 125. Ecclesia adversus Judaeos. Inquisitio Hispanica.

Eubel, Zu dem Verhalten der Päpste gegen die Juden (Röm. Quartalschr., 1900, p. 29 sq.). *Janssen*, Geschichte des Deutschen Volkes, I, Freiburg 1897 (XVII—XVIII Aufl.). *Hefele*, Der Kardinal Ximenes (II Aufl.), Tübingen 1851. *Lea*, The Moriskos of Spain, their conversion and expulsion, Philadelphia 1901. *J. Rodrigo*, Hist. verdadera de la Inquisition, 2 vol., Valencia 1901. *Pastor*, Geschichte der Päpste, II Bd., 3—4 Aufl., Freiburg 1904, p. 624—630. *Vacandard*, L'Inquisition, Paris 1906.

1⁰. Inter omnes constabat Judaeos non solum odio habere et criminationibus obruere christianismum et christianos, sed etiam esse fraudulentos usurarios. Inde accidit ut jampridem vi usi sint christiani adversus Judaeos, quibus praesidio fuit S. Bernardus. Pauco tempore post, iterato impetus facti sunt in Judaeos: anno 1320 in Francia, 1347 Francofordi. Saeculo quoque XV accusabantur crimine projecti veneni in puteos, dilatatae eorum culpa pestis, caedis infantium christianorum, usurpatique sanguinis christiani. Haec popularis credulitas causa fuit, cur in Hispania et Germania Judaeorum plura millia trucidarentur. In solis finibus Moguntiae dicuntur millia duodecim necati [2]). Bullis duabus conatus est Clemens VI Papa populum ad saniora judicia perducere (26 Septembri 1348). Confugientes ad fines

---

[1]) *Moll*, Studiën en bijdragen op 't gebied der hist. theologie, Amsterdam 1876, III Deel, bl. 1 sq.; retractationem ibd. p. 20 sq.

[2]) *Raynald*, VI, 477

Avenionenses Papa ipse tuitus est. Paulus quoque II Papa voluit in Judaeos, non minus quam in alios, justitiam servari. Martinus V vetuit, anno 1421, Judaeorum infantes baptizari, parentibus invitis. At eorum perpetuo crescens opulentia, atrox etiam immanisque usura in causa fuerunt cur identidem odio in Judaeos inflammarentur populi. In Germania, currente saeculo XV, fere ex omnibus civitatibus sunt expulsi.

Accessit saepius imprudens ardor eos ad fidem adducendi. Quod praesertim accidit in Hispania, data iis optione baptismi aut mortis. Unde non potuit effici ut non invenirentur multi ad speciem solam conversi, quibus inditum nomen **Marranis.** Hos autem Judaeos occultos multo magis metuendos fuisse quam publicos notosque, per se patet. Ingesserunt se in magistratus supremos saeculares, imo vero etiam in officia ecclesiastica, vel in ipsas sedes episcopales, ita ut in Hispania fides christiana periclitaretur.

2⁰. Contra hos Judaeo-christianos aliosque apostatas instituta est **inquisitio Hispanica.** Quod permisit Sixtus IV per bullam 1 Novembris 1478[1]). Prius mitiora sunt tentata, praedicando et alia hujusmodi remedia adhibendo. At frustra. Tum Ferdinandus et Isabella fecerunt inquisitores, in dioecesi Hispalensi, Dominicanos duos et sacerdotem saecularem unum. Qui contumaces essent ex his Judaeo-christianis, brachio saeculari sunt traditi et exusti. Mox autem in modum causas eorum agendi irrepserunt abusus. Quod patefit ex epistola Papae, 29 Januario 1482 scripta, qua monet ut cum lenitate agant, neve omittant consultare cum episcopis, recusatque nominari inquisitores pro reliquis regni partibus. Ne causae protraherentur, Sixtus IV, petentibus sane Ferdinando et Isabella, fecit summum judicem archiepiscopum Hispalensem (25 Majo 1483). Unde id consequens fuit incommodum, quod Hispanis insita severitas moderari non potuerit lenitate Romana. Quare jam 2 Augusto 1483 Papa conquestus est de ingenti duritie inquisitionis, quam excusari non posse dixit, voluitque sententias, Romae a judice latas, etiam in Hispania servari; poenitentes, quos sceleris puderet, occulte absolvi; quos semel dimisissent, iterum non vexari. Demum expressis verbis vetuit

---

[1]) Textus videtur deperditus.

Papa bona conversorum occupari. Quae decreta aegerrime tulit rex Hispaniae. Pauco tempore post obtinuit a Papa ut nominaretur magnus inquisitor pro Hispania **Thomas de Torquemada,** prior fratrum praedicatorum in Sancta Cruz (1483). Totius inquisitionis regimen ei fuit demandatum. Potuit alios delegare, et de iis, qui ad se appellassent, dicere sententiam, de qua provocatio altera non esset. Ejus jurisdictionem in Castellam et Legionem Sixtus IV, 17 Octobri 1483, extendit in Arragoniam, Valentiam et Catalauniam. Magnum inquisitorem et, qui cum ipso agerent, consiliarios inquisitoriales nuncupabat rex. Omnis tamen jurisdictio inquisitoria dabatur a Pontifice Romano. Per breve Pontificium eam accipiebat magnus inquisitor, qui delegando eam tradebat consiliariis suis. Fuit ergo haec institutio mixta, cujus praevalens fuit indoles ecclesiastica. Quod quidem ex eo quoque patefit, quod damnati tradebantur brachio saeculari, quae res inepta esset, si ageretur de judicio mere saeculari[1]). Scopum tamen suum praecipuum inquisitio assecuta non est. Irritabantur pertinaces *Marrani*, ob ingentem severitatem judiciorum. Ulciscendi cupiditate incensi, Petrum Arbues[2]) inquisitorem trucidarunt (1485). Quum deinde insuper Judaei dicerentur conspirare cum Sarracenis, optio illis facta est conversionis aut exsilii. Centum et sexaginta millia eorum elegerunt exire, migraruntque in Lusitaniam, unde tamen jam anno 1496 iterum sunt expulsi. Pauco tempore post etiam Sarracenis injunctum est ut ex Hispania exirent, nisi fidei christianae se adjungerent. Unde etiam inter ipsos succrevit numerus pseudo-conversorum, ut inquisitio in eos etiam animadvertere debuerit.

Licet inquisitionem iterato Papae reprehenderint ejusque severitas saepe justas querelas moverit, fuit tamen judicium illud mitius multo quam reliqua omnia ejus aetatis judicia. Injurioso partium studio abrepti[3]), scriptores narratione falsa descripserunt ejus gesta et damnatorum numerum in multo majorem tulerunt. Supplicia (auto-da-fe), utut poenae gravissimae, non fuerunt ita incredibiliter atrocia, sicut ab adversariis Ecclesiae depinguntur. Insuper constat, solos christianos et

---

[1]) Quam sententiam erroneam defendit vir ille celeber *de Maistre*, Lettre à un gentilhomme russe sur l'inquisition espagnole, Lyon 1837.

[2]) Civilta catt., Ser. VI. vol. XI (1867), p. 273 sq.; p. 385 sq.

[3]) *Llorente*, Histoire critique de l'inquisition d'Espagne, 4 vol., Paris 1817.

qui specie christiani essent, non Judaeos aut Sarracenos, esse damnatos.

---

§ 126. Lux et umbrae. Reformandi studia.

Pastor, Geschichte der Päpste, Bd. I—IV. *Hefele*, Conciliengeschichte, Bd. VI—VIII. *G. Grupp*, Kulturgeschichte des Mittelalters, 2 Bd., Stuttgart 1894—1895. *V. der Hardt*, Magnum oecum. Constantiense concilium, Tomi VI, Francof. et Lipsiae 1692—1700. Tüb. Quart. Bd. 50, p. 68 sq. Hist. Jahrb. d. Görresges., Bd. 19, p. 29 sq.; 447 sq.

1°. Quamquam infirmata est, hac ultima medii aevi aetate, auctoritas ecclesiastica et debilitata disciplina, non tamen fuit **lux** omnis obtenebrata nebulis [1]). Fides perpetuo fervebat, exserebaturque operibus vero christiano nomine dignis. Vitae quotidianae ratio erat sana salubrisque, libidine omnia in dubium vocandi non adulterata. Animis fidis ac hilaritati apertis, societatis humanae ordines omnes libere indulgebant jocis ingenuis facetiisque. Publice delicta impugnabantur, cum magna libertate etiam summorum hominum vitia reprobabantur. Sedula erat industria explicandi populo doctrinam fidei. Multi quoque erant qui, praedicando aut editis in populo scriptis, ad salutarem poenitentiam exhortarentur. Quum operarii tum mercatores opulentiores conveniebant in societates (gilden), quae, fidei christianae mentem spirantes, inter incolas civitatum non solum commoda temporalia sed etiam pietatem christianam fovebant. Vix fuit umquam beneficentia uberior quam hac aetate. Undique condita sunt aerumnis levandis instituta [2]). Prae ceteris etiam haec periodus insignis fuit magno numero hominum piorum, Beatorum et Sanctorum utriusque sexus, non solum e clericis et monachis, verum etiam e laicis [3]), qui fortitudine fidei et sacrificandi se ardore, curan-

---

[1]) *Janssen*, Geschichte des Deutschen Volkes, I Bd., (XVII—XVIII Aufl.), passim. *Pastor*, III Bd., Einleitung, p. 1—164.

[2]) *Ratzinger*, Geschichte der Kirchl. Armenpflege, II Aufl., Freiburg 1884. *Blaise*, Des monts-de-piété et des banques de prêt sur gage, 2 vol., Paris 1856. *Holzapfel*, Die Anfänge der montes pietatis, München 1903. *P. Alberdingk Thijm*, Gestichten van liefdadigheid in België, van Karel den Groote tot aan de XVI eeuw, Brussel—Leuven 1883. *Moll*, II, 4, p. 223 sq. *L. Lallemand*, Histoire de la charité, Tom. III, Paris 1906.

[3]) Vide de sanctis et beatis apud *Möhler—Gams*, Kirchengeschichte, III Bd., Regensburg 1868, p. 36—52. *Pastor*, III, 63—66.

dis aegrotis aut defendenda patria eminuerunt. Exemplo sint S. Rochus et Johanna d'Arc[1]). Qui Sancti non solum exemplo suo ad imitandam christianae vitae rectitudinem stimulabant, verum etiam argumento fuerunt, Ecclesiam Christi in angustissimis quoque temporibus suos prodere heroes, et rectam ostendere viam fortissimae virtutis et salutis aeternae.

2°. Non tamen lumen hoc excutere **tenebras** potuit. Imprimis depressa jacebat Ecclesiae auctoritas spiritualis. Quod suapte natura consecutum fuerat e diuturna Pontificum mora Avenionensi, e schismate occidentali, e systemate conciliario et ex abusibus, quibus indulgebat clerus. Pessimum nefas mansit concubinatus, ob quem sacerdotes, auctoritate sua penes populum privati, contemptui habebantur[2]). Malorum etiam plurimorum causa fuit captatio beneficiorum, neglectus residentiae et prolapsa disciplina in ordinibus nonnullis religiosis. Nec minus ad disseminandos perditos mores contulit, quod in summo ecclesiasticae dignitatis loco collocati viri plurimi divitiis abundabant, inferioribus clericis penuria tabescentibus[3]). Nec societatis civilis melius fuit ordinata conditio. Magistratibus civilibus saepe deerat dignas delictis poenas inferendi potestas. Vi et audacia iterum multa agebantur, non legum auctoritate. Equites, latrociniis infames, infestabant vicos, praedonumque manus circumibant rapientes, imperantesque pecuniam, qua incendium redimeretur. Undique fenerabantur praesertim Judaei, qui propterea saepius cruentos impetus passi sunt. Libido increbuit; in Francia et in Italia prae ceteris peccatum monstruosum pederastiae, unde turpi morbo multi occubuerunt[4]).

---

[1]) *Ayroles*, La vraie Jeanne d'Arc, 4 vols, Paris 1896 sq. *Duhr*, Jeanne d'Arc im Urtheil der neueren Geschichtsschreibung (Stimmen a. M. L. XXXV, Heft 7—8).

[2]) Synodus quaedam Parisiensis vel Senonensis (1429) conquesta est his verbis: „Cum propter crimen concubinatus, quo multi ecclesiastici et religiosi viri inficiuntur, habeantur Ecclesia Dei et totus clerus in derisum, abominationem et opprobrium omnibus gentibus, et illud nefandissimum scelus in Ecclesia adeo invaluit, ut jam non credant Christiani simplicem fornicationem esse peccatum mortale, nos volentes etc." *Mansi*, XXVIII, 1107. De tristissimis rebus in Francia vide Stimmen a. M. L., 1900, 2 Heft, 233 sq. et *H. Denifle*, La désolation des églises etc. en France vers le milieu du XV siècle, 2 vol., Mâcon 1897 sq.

[3]) Pro Germania vide *Janssen—Pastor*, op. cit., I, 681—736.

[4]) *Pastor*, III, 83—98.

Quae vitia alebantur immoderati luxus deliciis, vestitu inhonesto, quo utriusque sexus homines utebantur, et matrimoniorum clandestinorum frequentia. Quae Ecclesia offert adjumenta gratiae, celebrandis diebus Dominicis, frequentandis sacramentis, observandis jejuniis etc., a valde multis negligebantur. Exitium etiam fuit populo late vagata superstitio, sagarum insectatio, fraudes astrologorum, alchimistarum, sortilegorum etc. Ipsi reges et principes his superstitionibus indulgebant, dum Templarii per tormenta sunt interrogati de sortilegio et universitas Joannam d'Arc ut sortilegam damnavit [1]). Adeo alte malum animis insederat, ut nemo cogitaret num forte, quae afferebantur facta, potuerint naturali modo explicari [2]).

3°. Quae cum ita essent, non potuit non oboriri **desiderium reformationis** [3]). Multae imprimis habitae **synodi reformatoriae.** Synodus Viennensis (1311—1312) jam edidit ejusmodi decreta [4]). Multum disceptatum est de discordia inter clerum saecularem et regularem; horum in laborando ardor et privilegia iis concessa illis odio erant. Synodum Pisanam (1409) nihil effecisse, sed potius quum unitati tum reformationi in capite et in membris obstaculo fuisse, consecutum est ex ejus indole seditiosa, per temporum angustias inducta. In Constantiensi (1414—1418) concordata reformatoria pacta sunt, decreta quoque ad reformandum edita. Sed seria haec non fuerunt. Etenim concordata tantum ad quinquennium inducta et decreta remisse valde exsecutioni mandata sunt [5]). Post tantae calamitatis tempus defuit animus ad fortiter arripiendam reformationem. Praeterea remedia eos fefellerunt. Decretum *Frequens* [6]), quo mandabatur ut singulis decenniis cogeretur synodus generalis, infirmabat auctoritatem Papae. Quare hi id decretum exsequi noluerunt. Paviae-Siennae (1423—1424) confectum nihil est. Martini V decretum reformatorium non alte satis in malorum

---

[1]) *Denifle et Chatelin*, Le procès de Jeanne d'Arc et l'Université de Paris. Mém. de la société de l'histoire de Paris, XXIV (1898), p. 1 sq.

[2]) Tempore reformationis invaluit malum. Qua de re vide infra.

[3]) *Imbart de la Tour*, Le mouvement réformiste dans le catholicisme avant Luther. Le Correspondant, 10 Juillet 1908.

[4]) *Hefele*, VI, 473 sq.

[5]) *Hefele*, VII, 332 sq.; 349 sq.; 351 sq.

[6]) *Mansi*, XXVII, 1159 sq.

intima penetrabat. Synodus Basileensis (1431—1437) spem ullam non dedit, eo quod mox insurrexit contra Pontificem Romanum. Continuata synodus Ferrariensis-Florentina (1437—1439) egit de unione cum Graecis et aliis ecclesiis orientalibus. Anno 1512 Julius II Papa convocavit synodum V Lateranensem (1512—1517); at jam anno proxime insequenti obiit. Leo X autem non is fuit, qui hujusmodi reformationem exsequeretur. Edita quidem sunt pauca decreta, sed maxima ex parte manserunt leges mortuae. Dimissa hac synodo, instituerunt in Germania pseudoreformationem, quam dolendum est multo magis invaluisse quam veram.

4°. Fuerunt tamen **Ecclesiae devotissimi viri,** qui tum in synodis generalibus et particularibus, tum voce et scriptis laborabant ut emendatio in capite et in membris induceretur. In Hollandia magnam sibi laudem meruerunt imprimis **Gerardus de Groote** (1340—1383), qui instituta saluberrima condidit et magno cum fructu praedicando reformavit clerum et populum[1]; dein **Florentius Radewijns** (1350—1400), vir rerum usu peritissimus, qui consilia magistri sui Gerardi exsecutus est, ejusque mentem spiritumque durare fecit laboribus saluberrimis *Fratrum vitae communis* et *congregationis Windeshemensis*[2]. **Thomas a Kempis** († 1471) operibus suis aeternitati confectis, praesertim *De Imitatione Christi*, multa bona perfecit, non solum sua aetate sed cunctis postea saeculis[3]. **Joannes Brugman** († 1473) quoque clarissimus fuit reformationis auctor et praedicator. Quid in animo habuerit, patet ex his ejus verbis: „Doleamus, inquit, et lugeamus de digna vinea sanctae christianitatis, quae miserrime hac aetate perturbatur multis hominibus, feminis et viris, juvenibus et aetate provectis, dominis et subditis, clericis et laicis; multi enim speciem christianam et spiritualem praeseferunt, sed pessime vivunt. Precemur quaeso Dominum Nostrum ut velit homines christianos omnes, qui bonae sunt voluntatis, in virtute roborare et gratia sua confortare, ut revocet ad rectam viam omnes oves errantes et praesertim eos, qui imperant ovibus et agnis Christi, ut illi nobiscum et nos cum illis

[1]) *Grube*, Gerhard Groot und seine Stiftungen, Köln 1883. *Delprat*, De Broederschap van Geert Groote, 2e Uitg., Arnhem 1856.

[2]) *R. Acquoy*, Het klooster van Windesheim en zijn invloed, Utrecht 1875, I, hoofdst. I—II.

[3]) Ed. *Pohl*, Freiburg 1902 sq. Hucusque tomi 4 editi sunt.

caritate Christi accendamur"[1]). Unus e praestantissimis reformatoribus saeculo XV innotuit **Dionysius Carthusianus** († 1471). Iter ad reformandos mores simul cum Cusa cardinale aggressus, eximios collegit fructus; dein, in cella sua Ruraemundae sedens, ingenti literarum commercio et innumeris scriptis libris salutaria multa operatus est, per Europam universam[2]).

5⁰. In Germania prae ceteris laborarunt: **Nicolaus Cusanus** cardinalis († 1464), qui in mediis tenebris et turbis apparuit quasi angelus lucis et pacis. Non dissimulabat aetatis suae vitia, sed fortiter, quae bona erant, promovere conatus est, praesertim instituto celebri suo itinere reformatorio[3]). Ad eundem finem sincero animo operati sunt **Conradus de Gelnhausen** († 1390) *(Epistola concordiae, Tractatus de congregando concilio tempore schismatis)*[4]); **Henricus de Langenstein** († 1397) *(Epistola pacis, Epistola consilii pacis)*[5]); **Theodericus de Nieheim** († 1418 Trajecti ad Mosam), audax, hinc inde acerbus promotor reformationis in capite et in membris (*Nemus unionis, De schismate*)[6]); **Felix Hemmerlin** († 1464), qui bona fide agens saepius acerbioribus verbis usus est, (*Contra validos mendicantes, contra Beghardos et Beghinas*)[7]). **Jacobus de Juterbogk** († 1465), ejusdem ordinis ac Dionysius Carthusianus, hujusque consiliorum particeps, etsi fuerit systematis conciliarii sectator, sicut valde multi ejus aetatis viri, ardens tamen fuit rectae reformationis promotor (*Avisamentum ad papam pro reformatione Ecclesiae, De negligentia praelatorum libellus, De septem Ecclesiae statibus in Apocalypsi descriptis, De auctoritate Ecclesiae ejusque reformatione opusculum*)[8]). **Joannes Busch** († 1481), natus Zwollae, postea canonicus Windeshemensis, factus prior

---

[1]) *W. Moll*, Joannes Brugman en het godsdienstig leven onzer vaderen in de XV eeuw, Amsterdam 1854, 2 deelen.

[2]) Studiën, Jg. 1897, Dl. 49.

[3]) Hist. Jahrb., I, 393 sq.; VIII, 629 sq.

[4]) Apud *Martene*, Thesaurus, II, 1200 sq.

[5]) *Hartwig*, Leben und Schriften Heinrichs von Langenstein, Marburg 1858.

[6]) *W. Mulder* S. J., Dietrich von Nieheim, zijn opvatting van het concilie en zijn kroniek, Amsterdam—Leuven 1907. Tractatus *De modis* et *De difficultate reformationis* non sunt a Nieheim scripti.

[7]) *Fiala*, Beiträge zur Vaterländischen Geschichtsforschung, vornehmlich aus der nordwestlichen Schweitz, I, Solothurn, p. 281—780.

[8]) Tüb. Quart., Bd. 48 (1866), p. 315—348.

Hildeshemensis, inchoavit opus ingens reformandi monasteria Germaniae, appellatus propterea *inclytus reformator*. Moriturus rediit Windeshemum. (*Liber de reformatione monasteriorum*[1]); **Geiler von Kaisersberg** († 1510), orator eximius et praedicator in cathedrali Argentoratensi, insectatus est ingenuo et audaci sermone vitia aetatis suae et reliquit collectionem ingentem sermonum, ad posteritatis aedificationem et doctrinam[2]).

6°. In Hispania vir celeberrimus, **Ximenes** († 1517) cardinalis, multa patravit ad reformandum clerum et monachos. Scientiarum studiis valde profuit ejus Bibliorum editio polyglotta, Alcalae confecta. Novam operum Aristotelis editionem perficere non potuit, morte interceptus. Scriptis mysticis conatus est assequi ne legerentur libri perniciosi[3]).

7°. In Francia eminuit **Guillelmus Durandus** († 1328), qui videtur jussu Clementis V scripsisse librum *De modo celebrandi concilii et corruptelis in Ecclesia reformandis*[4]). Vir celeberrimus **Petrus de Alliaco** († 1425), cancellarius Parisiensis, dein archiepiscopus Cameracensis, unus fuit e ferventissimis et auctoritate magna ornatis reformatoribus in synodis Pisana et Constantiensi (*Canones reformationis Ecclesiae in concilio Constantiensi. Capita agendorum in concilio generali Constantiensi*)[5]). Dux autem et caput studiorum omnium reformandi suo tempore, dum vivebat, fuit **Joannes Gerson** († 1429), universitatis Parisiensis cancellarius. Vitam eximie asceticam duxit, tantoque honore ornatus fuit, ut diu ei ascriptus fuerit liber *De Imitatione Christi*. Numerosa sunt ejus scripta reformationem spectantia (*De Simonia*, *De emendatione Ecclesiastica*, *De statibus Ecclesiasticis* etc.)[6]). **Nicolaus de Clemangis** († 1434), universitatis Parisiensis rector et postea Benedicti XIII Avenione secretarius, praesertim plurimis suis scriptis studuit in rebus

---

[1]) Ed. *Grube*, Halle 1887. *V. Becker S. J.*, Bijdragen en Mededeelingen van het Hist. Genootschap, X, p. 376—445, Utrecht 1887.

[2]) Ed. *Lorenzi*, tomi 4, Treviris 1881—1883. *Dacheux*, Un réformateur catholique à la fin du XV siècle, Paris 1876.

[3]) *Hefele*, Der Kardinal Ximenes und die kirchlichen Zustände Spaniens, II Aufl., Arnheim 1853.

[4]) Ed. Parisiensis 1545 et 1671. *Hefele*, VI, 461 sq.

[5]) *V. d. Hardt*, I, 409 sq. et 506 sq.

[6]) Ed. *Dupin*, 5 vols., Paris 1706. *Schwab*, Joannes Gerson, Würzburg 1858.

ecclesiasticis emendare abusus. (*De studio theologico, De praesulibus simoniacis, De novis festivitatibus non instituendis, De corrupto Ecclesiae statu, Disputatio habita per scriptum super materia concilii generalis cum quodam scholastico Parisiensi*) [1]).

Hac aetate cum uberrimo quoque fructu laboravit in Hispania, Francia, Helvetia, Flandria et Italia **S. Vincentius Ferrerius** (1350—1419), ordinis Praedicatorum. Aliquamdiu obedientiae Benedicti XIII se adjunxerat fuitque magister sacri palatii Avenionensis. Quum autem perspexisset, Benedictum sua potius commoda quaerere quam salutem Ecclesiae, ab eo recessit. Viginti dein annos circumivit, vitam austeram agens et, praedicando praesertim de judicio extremo, ad poenitentiam exhortans [2]).

8⁰. In Italia operatus est, mente quidem, ut videtur, initio sincera, sed indoli vehementiori tristissime indulgens, **Hieronymus Savonarola** (1452—1498), Dominicanus. Eloquendi arte eximie praeditus, inchoavit praedicare Florentiae (1482—1483), haud ita magna populi frequentia. Sed cum ingenti fructu anno 1490 insectatus est vitia apud Florentinos. Cum vero partibus Caroli VIII (novi Cyri) se adjungeret, ac praedicans cum atroci violentia insurgeret adversus Alexandrum VI et Papae minitaretur synodum generalem cogendam, qua sede dejiceretur, a rectis reformandi studiis longe discessit. Scriptis ad eum a Papa brevibus, 25 Julio et 8 Septembri 1495, quibus prohibebatur praedicare, restitit. Post tertias litteras, 16 Octobri 1495, a praedicando abstinuit, donec, intercedente Caraffa cardinali et magistro generali fratrum Praedicatorum, facultas ei fuit reddita. Jussu Signoriae Florentinae, praedicavit Quadragesimam 1496, at cum tam acerba violentia invehens contra Papam et Romanae Ecclesiae abusus, ut ipsos protectores suos, Dominicanos et Caraffam cardinalem, a se alienos fecerit. Neglecto dein iterum ab eo brevi 7 Novembri 1496, excommunicatus est 12 Majo 1497. Respondit per epistolam ad omnes christianos, qua de injuste sibi imposita excommunicatione conquestus est, et post breve tempus, spreta excommunicatione, ter Sacrum fecit, die Nativitatis; fretus praesidio potestatis sae-

---

[1]) Ed. Lugduni Batavorum, 1593; cum ejus vita.

[2]) *Fages*, Histoire de Saint Vincent Ferrier, nouv. éd., 2 vol., Paris 1901.

cularis, praedicare iterum coepit anno 1498. Tum Alexander minatus est Florentinis interdictum. Quo facto, Signoria Savonarolam praedicare vetuit. Qui, obsecundando, omnem operam in eo collocavit ut cogeretur synodus generalis contra Papam (1498). At Franciscani, obsistentes, eum provocaverunt ad ordalium subeundum. Suo sibi exitio accepit provocationem Savonarola. Etenim quum statuto die (7 Aprili 1498), ob discordiam de solemniis ordalium, non processisset, in odium ipse venit apud omnes. Quum deinde contra vetitum Signoriae praedicare iterum inchoasset, comprehensus, in equuleum impositus et cum Fra Domenico da Pescia et Fra Silvestro, quorum visionibus semper fisus erat, suspensus interiit. Corpora sunt exusta, cineresque in flumen Arnum projecti. Is finis fuit monachi, praecellenti ingenio praediti et initio veram Ecclesiae salutem procurare conati. Exitii causae fuerunt ejus machinationes politicae et gravissimus defectus obsequii Summo Pontifici debiti[1]). Scripta ejus, Paulo III, Julio III et Paulo IV Pontificibus examinata, declarata sunt errore doctrinali vacua. E posteris multi ejus memoriam magna sunt veneratione prosecuti, inter quos numerandi S. Catharina de Ricciis, S. Philippus Nerius et Benedictus XIV Papa.

---

[1]) *Savonarole,* Oeuvres spirituelles choisies, éd. *Bayonne,* 3 vol., Paris 1849. *Pastor,* Geschichte der Päpste, III, 132 sq.; 377 sq. Zur Beurtheilung Savonarolas, Freiburg 1898. Studiën, Jg. 30, Deel 50. Cf. Hist. pol. Blätter, Bd. 121 (1898), p. 456, 548, 634, 717, 777. *Paolo Luotto,* Il vero Savonarola e il Savonarola di L. Pastor, Firenze 1897. *P. Villari,* Storia di Girol. Savon. e dei suo tempi, Firenze 1859—1861. *Bayonne,* Etude sur Jér. Sav., d'après de nouveaux documents, Paris 1849. *J. Schnitzler,* Quellen und Forschungen zur Gesch. Savon. 3 fasc. editi, München 1902—1904.

CAPUT TERTIUM.

ORDINATIO ECCLESIASTICA. CLERICI SAECULARES ET REGULARES.

§ 127—§ 129.

§ 127. Sedes Apostolica.

Phillips, Kirchenrecht, Bd. III. *Bangen*, Die römische Kurie, Münster 1854. *Fr. X. Wernz*, Jus decretalium, Tom. II: Jus constitutionis Ecclesiae Catholicae, Romae 1899. *Pastor*, Geschichte der Päpste, B. I—IV. *Hinschius*, Kirchenrecht, I Band.

1°. Ex Avenionensi Pontificum domicilio et e schismate occidentali profectum est ut Papae inchoarint exserere **jurisdictionem** suam in iis negotiis, in quibus pridem auctoritatem suam vel non vel non adeo interposuerant. Quod in synodo V Lateranensi Leo X systema conciliarium devicerit, declarando Sessione XI: „*Romanum Pontificem, tanquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere*", id non hac mente factum censendum est, quasi Papa iterum recepisset auctoritatem in synodos. Hac enim potestate cedere S. Sedes numquam potest. Neque obstat, quod Saeculo XIV et XV plurimi viri docti sanctique hanc Papae potestatem negaverunt. Neque enim omnes errarunt et ex angustissima schismatis conditione et singulari concilii Constantiensis indole satis explicari plurium error potest.

2°. Quam habebant antea **metropolitae** facultatem probandi et consecrandi suos suffraganeos, eam, authentica facta decretalium compilatione, inde ab ineunte saeculo XIV et tempore domicilii Avenionensis, Papae sibi reservarunt. Concilium Tridentinum dein metropolitis alia plura ademit eorumque jura redegit ad ea, quibus nostra aetate fruuntur.

3°. Maxime vero S. Sedes rerum conditionem mutavit, multiplicatis **reservationibus pontificiis.** Ex eo quod sunt Christi

Vicarii, Papae omni tempore *plenariam* conferendi beneficia *dispositionem* jure sibi vindicare potuerunt. Primum monumentum factae reservationis solebat referri decretum Clementis IV (1265), quo Papa sibi vindicabat officia ecclesiastica „apud S. Sedem vacantia", idque dicebat fieri ex antiquo usu [1]). Saeculo XIV Papae Bonifatius VIII, Joannes XXII et Benedictus XII, longius eandem viam incedentes, decretum Clementis IV interpretati sunt et ampliaverunt. Reservarunt sibi nominationem patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum; officialium quoque inferiorum, quorum officia vacabant propterea quod, qui functus iis fuerat, in residentia Papae vel in loco non amplius duorum dierum itinere ab ea distante, esset mortuus vel destitutus vel alio translatus, aut quod propter *cumulum beneficiorum* abdicare se officio debuisset; dein omnia beneficia cardinalium et magistratuum curiae; demum beneficia occupata a non canonice electis. Quae reservationes relatae sunt in regulas cancellariae atque ita pro lege haberi coeptae [2]). Insuper Papis erat *jus devolutionis*, quo beneficia *minora* et *majora* ad S. Sedem devolvebantur, si intra tempus statutum ab archiepiscopo vel episcopo non essent expleta. Haud raro S. Sedes pro unico casu sibi reservavit explendum beneficium (*provisio*), vel dedit jus in beneficium etiamtum expletum, sed cum vacaret occupandum (*exspectantia*). Quae reservationes Pontificiae multa bona effecerunt. Facilius enim poterant hac ratione probi beneque meriti viri remunerari, et potestatis saecularis in explendis beneficiis intercessio minui. Secuta sunt tamen etiam incommoda. Saepe beneficia in regionibus exteris conferebantur clericis Italis, qui incolarum sermonem nesciebant; saepe etiam oriebatur *cumulus beneficiorum*, ut unus plura beneficia occuparet, vel unum occuparet et alterum sibi administrandum accepisset (*commendae*).

4⁰. In difficultate pecuniaria, quae premebat praesertim tempore domicilii Avenionensis et schismatis, hae reservationes praebuerunt acceptissimam opportunitatem augendi **reditus**

---

[1]) Licet Ecclesiarum, Lib. VI, III, 4, 2. Id a Clemente V et Clemente VI confirmatum est.

[2]) Reg. Cancellariae apud *Ferraris*, Prompta bibl., in verbum Beneficium. *Hinschius*, III, 123 sq. Regulae cancellariae Apostolicae, ed. *Ottenthal*, Innsbruck 1888.

S. Sedis. [1]) Inde enim ab antiquissima memoria in usu fuit ut, qui beneficio ornaretur, donum aliquod voluntate redderet. Quae dona dicebantur *servitia*, et medio saeculo XIII eorum summa certa statuta est. Solus obligabatur haec servitia solvere, qui acceperat a Papa episcopatum vel abbatiam (beneficia consistorialia). Distinguebantur autem in *servitia communia*, quorum altera media pars *Camerae apostolicae* committebatur, altera S. Collegio; et in *servitia minuta*, ministris curiae destinata. Vocabantur etiam *annatae*, quod ad reditus beneficii annuos aestimabantur. Etiam ad beneficia minora, a Papa explenda, anno 1392 Bonifatius IX has *annatas* extendit exegitque mediam partem redituum, anno primo perceptorum (Annatae Bonifatianae). Fuerunt quoque Papae nonnulli, qui, partim ut temporum inopiae, auctis reditibus Pontificiis, succurrerent, partim quo citius possent beneficia expleri, reditus beneficiorum vacantium sibi vindicarint (*fructus medii temporis*). Sic de beneficiis Anglicis ad triennium statuit Clemens V. Joannes XXII exegit ex omnibus beneficiis vacantibus anno primo mediam partem redituum. Quod tamen tributum post concilium Constantiense sensim in desuetudinem abiit. Hinc inde, temporibus inopiae, Papae postularunt decimam partem de reditibus ecclesiasticis.

5⁰. Ab inito autem saeculo XV audiebantur perpetuae **querelae** quum de reservationibus tum de tributis pontificiis [2]). Quum ad seipsos emendandos hominibus deficeret animus, eo fortius putabant se procurare reformationem in capite et in membris, quo magis reclamitarent contra abusus curiae. Totum diuturnum saeculum cantilenam eandem cecinerunt Germani de *gravaminibus nationis germanicae*, Francogalli de *libertatibus Ecclesiae gallicanae*. Quae omnia maximam partem spectabant *reservationes* pontificias et tributa, quibus se opponebant praesertim principes, nobiles et, magnam partem e nobilibus electi, episcopi. Sic evenit ut pacta sint **concordata,** Vindobonense

---

[1]) *König*, Die Päpstliche Kammer unter Clemens V und Joannes XXII, Wien 1894. Hist. Jahrb. d. Görresges., IX Bd. p. 300. *Gottlob*, Aus der Camera apost. des XV Jahrh., Paderborn 1894. *Kirsch*, Die päpstlichen Kollektorien in Deutschland während des 14. Jahrh., Paderborn 1894. *Ch. Samaran et G. Mollat*, La fiscalité pontificale en France au XIV siècle, Paris 1905.

[2]) Vide per modum exempli *Nic. de Clemangis*, De corrupto Ecclesiae statu, ed. Lugd. Batav., p. 4—28. Mayer apud *Freher*, Script. rer. Germ. (ed. *Struve*) II, 686. *Hefele*, VII—VIII.

(1448) pro Germania, Bononiense (1516) cum Francia, quibus modus est factus reservationibus et tributis. Per prius illud, statutum est ut Papa in *Germania* expleret 1⁰. beneficia quae vacarent „apud S. Sedem"; 2⁰. dioeceses et monasteria virorum exempta, quando electio vel non canonice vel non tempore suo esset facta, aut electus, ob justam causam, non probaretur; 3⁰. summa beneficia (dignitates) in capitulis cathedralibus et collegialibus, et reliqua in iisdem capitulis beneficia, mensibus numero imparibus (alternativa mensium); 4⁰. deinde ut Papae percipere liceret *servitia* de omnibus episcopatibus et monasteriis virorum exemptis, *annatas* de reliquis beneficiis, quando reditus annui minimum florenis camerariis 24 constarent. Pro Francia statutum 1⁰. ut rex expleret episcopatus, monasteria et prioratus, quibus antea canonicum jus eligendi fuit; 2⁰. ut Papa nominatos confirmaret; 3⁰. expleret beneficia omnia „*apud sedem apostolicam vacantia*"; 4⁰. haberet numero restricto *provisiones*, in capitulis cathedralibus et collegialibus, nullas vero *exspectantias*[1]. In Francia concordatum generatim animis restituit tranquillitatem. In Germania vero perrexerunt conqueri de *gravaminibus nationis germanicae*, et, perpetuo questi de curiae Romanae pressuris, praepararunt successum pseudo-reformationis.

6⁰. Praeter domicilium Avenionense et schisma occidentale, altius aucti tributi pontificii et crebrius exactorum *servitiorum* causa etiam fuit amplificatio **curiae Romanae** perpetua. Crescente enim Papae potestate et auctoritate, eadem ratione augebatur ejus cum universo orbe commercium et officialium in curia necessarius numerus. Primo loco memoranda *rota Romana*[2], supremum judicium pontificium pro causis civilibus. Certo ordine fuit circumscripta a Joanne XXII et Martino V, *auditorumque* ejus numerus a Sixto IV ad duodecim praefinitus est. *Cancellariae apostolicae*[3], prae ceteris vetusto instituto, demandata fuit literarum apostolicarum perscriptio: *bullarum*, quae edicebantur consultis cardinalibus, *brevium*, quae, iis non in consilium vocatis, scribebantur. Praeerat *vicecancellarius*, sub

---

[1]) Vide textum apud *Nussi*, Conventiones, p. 15 sq. *A. Baudrillart*, Quatre cents ans de concordat, Paris 1905.

[2]) *Sägmüller*, Tüb. Quart., 1895, p. 97 sq.

[3]) *H. Breslau*, Handbuch der Urkundenlehre, Leipzig 1889, I, p. 216 sq. *G. Goyau*, Le Vatican, les papes et la civilisation, Paris 1895, p. 324 sq.

quo erant *notarii* sex et multi *abbreviatores* et *scriptores*. Saeculo XV instituta est *Dataria*, cui data est operum pars. Dirigebatur institutum ab uno *datario* et pluribus *referendariis*, qui gratias et petitiones *in foro externo* expediebant. Absolutiones et dispensationes dare *in foro externo et interno* munus erat **Poenitentiariae**[1]. Primus, de quo mentio facta est, *poenitentiarius* fuit S. Raymundus de Pennaforte. Clemente V Papa (ineunte saeculo XIV), institutum jam fuit ampliatum. Jam praeerat *magnus poenitentiarius*, cui parebant plures *poenitentiarii*. Res pecuniarias administrabat *Camera apostolica*, jam valde ab antiquo instituta, sed demum ab Eugenio IV in perpetuum exculta. Is enim Papa *camerario* adjutores inferiores dedit septem. Memoratur *thesaurarius* et *auditor camerae*[2].

Cardinalium numerus hac periodo minor fuit quam antea, et saeculo XV, post decreta synodi Constantiensis, decidit ad **24**.

---

§ 128. Episcopi et clerici reliqui.

Reformatorium vitae clericorum, ed. Bas. 1494. Scripta reformatoria *Gersonii*, *N. de Clemangis* et *Dionysii Carthusiani:* De vita et regimine praesulum, De vita canonicorum, De vita curatorum. Tüb. Quart., Bd. 50, p. 68 sq. Hist. Jahrb. d. Görresges., Bd. 19, p. 29 sq.; 447 sq. *Hefele* Conc., Bd. VI—VIII.

1°. Auctoritas **episcoporum** et potentia hac periodo perpetuo decrevit. Cujus rei causae erant plurimae. Imprimis quod homines vulgares, non nobiles, ab episcopatu semovebantur. Cujus abusus sequelae, praesertim in Germania, funestissimae fuerunt[3]. Principum et nobilium filii, digni vel non digni, fere omnes sedes occupabant. Unde non solum ingens fremitus fiebat, sed augebatur in episcopis rerum mundanarum cupiditas, qua fungi officio suo negligebant, cogitabant de splendore externo opibusque, in regimen saeculare magis quam in disciplinam ecclesiasticam curam suam et operam collocabant. Causa alia fuit, quod

---

[1]) *Göller*, Die päpstliche Poenitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V, Rom. 1907.

[2]) *Markgraf*, Die römische Kurie, Breslau 1875.

[3]) *Janssen*, Geschichte des Deutschen Volkes, XVII—XVIII Aufl., p. 688 sq.

magnae fuerunt principum partes in explendis episcopatibus. Principes autem minus probos ea aetate curasse ut potius opibus et nobilitatis amplitudine praecellerent praelati, quam scientiae et integrae vitae splendore, historiae monumenta docent. Unde vel commendatarii episcopi fuerunt. Causa dein tertia referenda haec est, episcopos animo infestos fuisse in S. Sedem, non intelligentes, cum potestate papali simul ipsorum quoque auctoritatem necessario deorsum ferri. Praeterea Pisae, Constantiae, Basileae doctores, clerici inferiores, imo vero ipsi laici magnos sibi spiritus sumpserant. Quae praevalens quasi democratia ecclesiastica exitio fuit obedientiae hierarchicae. Tamen, excepto praelatorum animo rebus saecularibus magis magisque dedito, haec omnia aliquomodo excusabis, si perspexeris Ecclesiam fuisse difficultatibus et angustiis obrutam, quae vix superari poterant. Neque omnes vitiis corrupti erant. Fuerunt a saeculo XIV ad XVI in Ecclesia Dei fortissimi sanctissimique episcopi. In sede Ultrajectina memorari possunt Joannes de Arkel (ad 1364), Floris de Wevelinkhoven († 1393), Fredericus de Blankenheim († 1423), alii; Treviris Balduinus († 1354), Otto († 1430); Moguntiae Petrus Aichspalter († 1320), Theoderik de Erbach († 1459), Bertholdus de Henneberg; Salisburgi Nicolaus Neuhaus; Florentiae Joannes Dominici et S. Antoninus; Venetiis S. Laurentius Justiniani. Etiam in Francia et in Hispania fuerunt egregii episcopi plures. Saepe cum magno fructu habitae sunt synodi.

2°. In **capitulis** abusus etiam plures vigebant. Facta fuerant refugium solemne nobilium natu minorum, constabantque multis, quibus nulla esset vocatio ad statum clericalem. Horum itaque mores non semper tales fuisse, quales clericum deceant, sponte sua consequitur. Dominabatur concubinatus [1]), ac propterea socordia, ardoris sancti defectus, derelictio sacramentorum. Episcoporum jus in nominandos canonicos valde restringebatur, ut ipsum capitulum expleret sedes vacantes et eligeret ipsum *dignitates*. In Francia, Germania et Anglia, a XIII inde saeculo, in usum venit *jus primariarum precum*, quo rex et alii regni principes utebantur praesentatione pro sede,

---

[1]) *Hefele*, VII, 593 sq. *Gerson*, Op., II, 617.

quae in regni capitulis prima post eorum coronationem vacaret. In qua re tristissime evenit ut principes saepe non curaverint utrum praesentati moribus et aptitudine essent digni. Haud raro praesentarunt tales, qui fungi muneribus beneficii non possent: pueros, laicos, aut qui aliud aut plura beneficia obtinerent. Contenderunt quidem Papae et synodi abusus ejusmodi emendare, sed fere semper incassum [1]). *Cumulus beneficiorum* et *commendae* manserunt. Johannes XXII cardinalibus et principum filiis dispensationem concesserat de suis hac in re salutaribus praescriptis [2]). Itaque perpetuum hoc pravum exemplum ad imitandum stimulabat clericos inferiores et praesertim canonicos.

3°. Capitulis et monasteriis fuit non numquam **jus patronatus** in parochias. Cujus conditionis universe parochias non poenituit. Sed calamitose accidebat parochiis et parochis, si quando patronus arbitrio suo ageret, in explendis locis vacantibus negligeret episcopi desideria et de ecclesia ejusque reditibus quasi de suo disponeret. Ardua tum erat parochi vita. In regionibus nonnullis, e. c. in Anglia, ecclesiae multae tanta fuerunt inopia pressae, ut nemo clericus in parochiam profiteretur, sed mallet solis Missae stipendiis vitam alere. In Scandinavia audiebantur querelae de patronis per simoniam parochias explentibus [3]), in Austria de patronis parochos opprimentibus [4]). Saeculo praesertim XIV synodi valde in hoc laborarunt ut patroni multimode suis privilegiis abutendo desisterent [5]).

4°. **Clericorum institutio** fuit multum a more superioris aetatis diversa. Frequentissimi scientiis studebant in universitatibus, quae praecipue currente saeculo XV pondere et numero sunt auctae. Synodus Plotiana jam 1322 praescripserat, ut in singulis ecclesiis cathedralibus et collegiatis e canonicis 10 saltem unus operam daret *studio generali* in aliqua universitate, donec plene esset excultus. Toto hoc tempore beneficio fruebatur. Idem jussit synodus Toletana 1339. Synodus Vauricensis decrevit ut e capitulis canonici duo semper essent in universitate. Synodus

---

[1]) *Hefele*, VI, 445, 462, 554, 556, 605, 617, 688; VIII, 155, 293, 373, 469, 732.
[2]) Extr. Joan. XXII, cap. un. De praebendis.
[3]) *Hefele*, VIII, 203.
[4]) *Hefele*, VIII, 294.
[5]) *Hefele*, VI, passim.

Magdeburgensis (circiter 1390) mandavit ut universitatem frequentarent e capitulo metropolitano canonici tres (facultati theologiae, juris ecclesiastici et civilis), e capitulo episcopali duo (facultati theologiae et juris aut ecclesiastici aut civilis), e capitulis collegialibus et monasteriorum saltem unus (facultati aut theologiae aut juris ecclesiastici). Parocho electo licebat sibi substituere vicarium, et septennium in universitate scientiis se dedere [1]). Itaque hoc saeculo XV valde accrevit numerus clericorum optime institutorum. Dignitates nonnullae in capitulis et amplioribus parochiis non conferebantur nisi gradu academico insignitis [2]). Major tamen pars clericorum instruebatur etiam tum in scholis capitulorum et monasteriorum aut quae in harum loco erectae fuerant. Ante concilii Tridentini tempus de hoc negotio praeceptum non fuit. Satis erat, probatum esse examine. Non inquirebatur, unde quis scientiam hausisset [3]). Nonnulla tamen capitula neminem admittebant, qui non biennium in universitate scientiis operam dedisset. Praepositi rurales, parochi et curati, quibus opes non deerant, tres annos theologiae aut juri canonico incumbere debebant. Id mandaverat synodus Magdeburgensis, anno 1390 [4]). Multo autem minora postulabantur de clericis inferiorum ordinum. Neque ubique eadem habebatur ratio.

---

[1]) *Hefele*, VI, 536, 564, 625, 337. Cap. Cum ex eo, 34 de elect, in 6.

[2]) *Janssen—Pastor*, I, 103—106; 181; II, 212: quae Luther scripsit: „Niemand kann Prediger oder Pfarrer werden, er sei denn Magister, Doctor oder auf's wenigste in einer hohen Schule gestanden" sunt hyperbolice dicta.

[3]) Cf. tamen synodum Sabinensem 1494. Hefele VIII, 366.

[4]) *Hefele*, VI, 837.

§ 129. Regulares.

Helyot, Histoire des ordres monastiques, religieux et militaires etc., 8 tomes en 4 vol., Paris 1714—1719. *Max Heimbucher,* Die Orden und Congregationen, 2 Bd., II Aufl., Paderborn 1907. *Henrion,* Histoire des ordres religieux, Bruxelles 1838. *C. Giucci,* Iconografia storica degli ordini religiosi e cavallereschi, Roma 1844. *Holstenius-Brockie,* Codex regularum etc. Tomi 6, vol. 8, Augustae Vindel. 1759.

1°. Veteribus ordinibus hac aetate deorsum vergentibus, valore et bonitate nova magno numero regularium instituta erecta sunt, qui, omnimode operi incumbentes, ad reformandos emendandosque hominum mores ingenti fuerunt emolumento. In Hollandia oborta sunt celeberrima **Gerardi de Groote** instituta[1]). Is, natus Daventriae 1340, literis eruditus est in schola collegiali patria, dein Parisiis. Studiorum causa moratus etiam est Pragae, Coloniae et Avenione. Multa doctrina instructus et pluribus beneficiis donatus, vitam prius agebat sumptuosam. At, anno 1374, Ultrajecti incidit in Henricum de Calcar, Carthusianorum monasterii Munnikhuizen prope Arnhemium priorem, a quo ad vitam piam agendam inductus est. Annis tribus Daventriae et amplius duobus in Munnikhuizen poenitentiae et devotioni impensis, anno 1379 condidit *domum Magistri Gerardi* vel domum **sororum vitae communis.** Certum vestitum eis non praescripsit; nec nuncupabant vota; obstringebantur tamen ut obedientiam et castitatem servarent. Quae contra faceret, semovebatur; quae esset egressa, sive coacte sive voluntate, non amplius admittebatur. Singulis annis, die S. Gregorio festo (12 Martio), eligebatur superiorissa (meistersche), quae a scabinis urbanis approbabatur. Pecuniam afferre nulli erat licitum. Quaevis soror, cui non deerant vires, opere et laboribus victum quaerere debebat. Accrevit institutum et per universam Hollandiam pervagatum est. Currente priore media parte saeculi XV, ejus fuerunt domus 90. Postea earum plures sibi sumpserunt tertiam regulam S. Francisci vel regulam canonicarum S. Augustini. Fuerunt etiam paucae, quae pristinam disciplinam

[1]) *Thomas a Kempis,* Vitae Gerardi M. ed. *Somalius,* Antverpiae 1607. *Delprat,* Verhandeling over de broederschap van Geert Groote en over den invloed der Fraterhuizen, Utrecht 1830; Arnhem 1856. *Th. A. en J. Clarisse,* Archief van kerk. Gesch., 1829, p. 355 sq.; 1831, p. 1 sq.; 1857, p. 1 sq. *Grube,* Gerhard Groot und seine Stiftungen, Köln 1883.

neglexerint, et senescentes interierint. Maxima tamen pars domorum, turbis reformationis submersae, perierunt.

2⁰. Ab anno 1380 ad 1383 Gerardus, qui anno 1379 factus erat diaconus, cum uberrimo fructu praedicavit per dioecesin Ultrajectinam [1]). Tempore quod inter itinera intercedebat, morabatur Daventriae ibique scholares scholae capitularis ad se allexit eosque operi librorum describendorum incumbere fecit. Eodem tempore Daventriam venit **Florentius Radewijns,** Leerdamensis, canonicus S[i] Petri Ultrajectini, qui Pragae magister artium et scientiarum erat factus [2]). Is tam propensa fuit in Gerardum voluntate ut, dimissa fructuosa praebenda Ultrajectina, factus sit vicarius Daventriae et se describentibus scholaribus adjunxerit. Die quodam, anno 1381 vel 1382, allocutus est Florentius Gerardum: „*Praedilecte magister! Quid noceret, quod ego et clerici isti scriptores bonae jam voluntatis ea, quae septimanatim habemus expendere, in unum reponentes in communi pariter viveremus? Respondit magister* Gerardus: *Communia, communia? isti de ordine mendicantium id nullatenus sustinebunt, sed totis viribus resistere et omnino se opponere tentabunt. Cui Dominus* Florentius: *Quid autem noceret, si tamen inciperemus? Forsan Deus nobis donaret, quod bene proficeremus. Tunc magister* Gerardus *parumper intra se deliberans ait: In nomine Domini incipite! Ego ero defensor vester et protector fidelis adversus omnes, qui contra vos insurgere vosque in praemissis tentaverint impedire*". Scholares scriptores coierunt et vita communi vivere inchoarunt. Ea origo est **fraternitatis vitae communis** [3]). Suadente et adjuvante Gerardo, Florentius, primus superior electus, confecit regulam. Vota non faciebant, sed spondebant se perseveraturos obediendo et labore ac scriptione victum quaerendo. Constabat congregatio scriptoribus et scribentibus. Induebantur vestitu

---

[1]) Archief v. Kerk. Gesch. Dl. I, II en VIII. Studiën en Bijdragen Dl. II, 432—469. *Acquoy*, Het klooster van Windesheim en zijn invloed, Dl. I, Utrecht 1875, p. 33—43.

[2]) *Gerretsen*, Florentius Radewijns, Nijmegen 1891.

[3]) *Joh. Busch*, Chron. Wind. ed. *Grube*, Halle 1886, p. 254. *G. de Bonnet—Maury*. De opera scholastica fratrum vitae communis in Neerlandia, Parisiis 1889. *Schulze*, Zur Geschichte der Brüder des gemeinsamen Lebens (Zeitschr. f. Kirchengesch., 1890, p. 577 sq.). *Möbius*, Beiträge zur Charakteristik der Brüder des gem. Lebens, Leipzig 1888. *Hönig*, Die Brüder des gem. Lebens und ihre Zeit, Gütersloh 1894.

laneo, colore cinereo, cucullato. Anno 1384 altera fratribus empta est domus, Zwollae[1]), vivo adhuc Gerardo, qui 20 Augusto ejusdem anni obiit. Multae deinde undique erectae sunt *fratrum vitae communis* convictorum domus, quarum ingentes ad mores emendandos fuerunt fructus. In his domibus constituerant etiam *repetitores*. Scholas proprias habuerunt tantum Ultrajecti, Leodii et Silvae Ducis. Haud ita multo post hae congregationes, sui juris et liberae, persecutionibus fuerunt obnoxiae. Prae ceteris male affectus fratribus fuit Matthaeus Grabovius, Dominicanus, qui rem ad ipsum concilium Constantiense detulit, sed coactus est sententiam revocare[2]). Post multos uberrimos labores in Hollandia, Belgio et Germania, injuria reformationis perierunt.

3°. Ut utrique suae congregationi esset praesidio, Gerardus consilium cepit erigendi monasterium canonicorum regularium, et moriturus discipulis suis, si non mandavit, saltem suasit ut consilium hoc exsequerentur[3]). Itaque anno 1387 inchoarunt aedificare monasterium celeberrimum Windeshemense[4]), quod 17 Octobri ejusdem anni occupatum est. Is est dies institutionis **congregationis Windeshemensis,** propterea quod eo die sex primi socii religionis vota emiserunt, canonici regulares ordinis S. Augustini. Vita eorum monastica ardua fuit. Quater singulis hebdomadis servabant abstinentiam, et jejunium a festo Exaltationis S. Crucis ad Pascha. Occupabantur choro, opere et praesertim describendis libris, in quo paulatim fere unice laborando occupabantur. Severam tenebant clausuram et induebantur vestitu canonicorum regularium. Constabat congregatio sacerdotibus et laicis. Initio novitii Windeshemenses

---

[1]) *M. Schoengen*, Die Schule von Zwolle, I Theil, von den Anfängen bis zum Auftreten des Humanismus, Freiburg 1898.

[2]) Accusationes Grobovii et sententiam Petri ab Alliaco et Gersonii apud *V. d. Hardt*, Conc. Constant., III, 107, *Mansi*, XXVIII, 386 sq. *Keussen*, Der Prozess des Dominikaners M. Grabow (Mitteil. aus dem Stadtarchiv von Köln, 1890, p. 102 sq.).

[3]) In hac re traditio monasterii Agnietenberg concordat cum Windeshemia. Cf. *Thomas a Kempis*, Vita Gerardi M.. Cap. XV et *Joan. Busch*, Chron. Windesh., ed. *Grube*, p. 263–264. *L. Schmedding*, S. J. Fred. v. Blankenheim, Leyden 1899, p. 39–40 contra *Acquoy*, Het klooster van Windesheim, I, p. 46 sq.

[4]) *Acquoy*, Het klooster van Windesheim en zijn invloed, 3 Deelen, Utrecht 1875–80.

omnes, oriundi e fratrum domo Daventriensi, post etiam alii accesserunt, vel ipsa etiam integra monasteria. Universe fuerunt monasteria virorum 86 et mulierum 16, quae regulam Windeshemensem servabant. Valde multa bona effecerunt ad reformandos hominum mores, quum propter eorum vitam vere asceticam, tum propterea quod asceticae vitae scientiam per labores suos literarios propagarunt.

4⁰. E Windeshemensibus eminuerunt scriptis suis mysticis aliisque: Henricus Mande (*Liber de tribus statibus hominis conversi*)[1]; Gerlacus Peters (*Breviloquium et soliloquium*)[2]; Thomas a Kempis (*Imitatio Christi* etc.)[3]; Fredericus a Heilo (*Contra pluralitatem confessorum et de regimine sororum*, *De officiis rectoris*)[4]; Joannes Busch (*Chron. Windesemense* et *Reformatio monasteriorum*)[5]; Wilhelmus Vornken (*Epistola de prima institutione monasterii de Windesem*)[6].

E *fratribus* autem *vitae communis:* Gerardus Zerbold a Zutphen (*De reformatione virium animae*, *De spiritualibus exercitiis sive ascensionibus*, etc.)[7]; Didericus ab Herxen (*De innocentia servanda*, *De moriendi desiderio*, *Nobilia dicta*, *Speculum juvenum* etc.)[8]; Hermanus Rheid Neuwerkii, Silvester, prior Rebdorf aliique. Praeclari reformatores monasteriorum fuerunt Joannes Busch pro Germania, Henricus Loder pro Frisia et Rhenania, Joannes Mauburnus pro Francia. Qui tres fuerunt congregationis Windeshemensis socii.

5⁰. Quo tempore morbus pestilentiae dominabatur saeculo XIV, societates variae ortae sunt, curandis infirmis et sepeliendis peste mortuis institutae, praesertim postquam Clemens VI (1348) indulgentias indulsit pro his caritatis operibus. Fuit Tobias quidam, qui tum temporis societatem hujusmodi condidit ad Rhenum, quae, exstincta peste, duravit. Sibi dederant nomen *fratrum pauperum;* postea vocabantur **Cellebroeders (Cellitae)** et a nomine patroni sui *Alexiani*. Increbuerunt et in

---

1) *Moll*, Brugman, I, 263—292. *Acquoy*, I, 268.
2) *Acquoy*, I, 271 sq.
3) Ed. *M. J. Pohl*, Friburgi 1902 sq.
4) *Pool*, Fred. van Heilo, Amsterdam 1866.
5) Ed. *Grube*, Halle 1886.
6) *Acquoy*, III, 235–255.
7) *Delprat*, Bijlage I, p. 349 sq.
8) *Moll*, II, 2, p. 369 sq.

Hollandia, ubi appellabantur *Lollardi*, a canticis eorum funebribus. Initio nullis votis astricti, vitam communem agentes, postea regulam tertii ordinis S. Francisci servandam sumpserunt ac tandem regulam S. Augustini. Induebantur veste cucullata nigra, et in exsequiarum solemniis insuper utebantur pallio nigro. Inveniebantur Lugduni Batavorum (1421), Amstelodami (1440) et in pluribus Hollandiae civitatibus. Per revolutionem Francogallicam fere exstincti sunt.

Eodem fere tempore oborta etiam sunt monasteria **Cellezusters (Cellitinarum),** quae in Hollandia crebra fuerunt. Earum statuta, fere eadem ac tertii ordinis, approbata sunt anno 1457 a David de Burgundia, episcopo Ultrajectino. Propter suum vestitum vocabantur etiam *sorores nigrae* [1]). Supersunt nostra aetate in Belgio et in Germania [2]).

6⁰. Anno 1360 beatus Joannes Colombini [3]) instituit **Jesuatos.** Nomen habuerunt a salutando ,,laudetur Jesus". Servabant regulam S. Augustini. Utebantur pallio albo et pileo albo et nudos pedes sculponeis tegebant. Occupabantur praesertim curandis aegrotis. Paulus V anno 1606 concessit ut ordines sacerdotales susciperent. Divites facti, inciderunt in abusus, ita ut Clemens IX anno 1668 eos aboleverit. Pridem tum in Italia tum in Francia meridionali multa salutaria praestiterant.

7⁰. Saeculo XIV et XV institutae sunt congregationes quatuor, quae a suo patrono appellabantur **Hieronymitae.**

a). Hieronymitas *Hispanos* instituit Pedro Fernando Pecha († 1402), cui dedit approbationem Gregorius XI. Posteriore tempore fuerunt eorum plura celeberrima monasteria: *St Isidori* Hispali, *San Justo* et *Escuriale* Philippi II. Quae omnia 1835 sublata sunt. *Escurialis* autem monasterium revixit. Servabant regulam arduam. Occupabantur choro, incumbendo missionibus, scientiarum studiis etc. Jam anno 1375 orta est familia mulierum.

b). Hieronymitas *Italos* instituit Beatus Petrus Pisanus († 1435), qui vitam eremiticam duxit, multosque sibi socios attraxit († 1377). Sedes princeps fuit in monte, cui nomen Monte-

---

[1]) *Moll*, II, 2, p. 159 sq.

[2]) *Heimbucher*, I, 480 sq.

[3]) *F. Pösl*, Leben des sel. Johannes Colombini. Regensburg 1846. *Ctesse. de Rambuteau*, Le bienheureux Colombini, Paris 1893.

bello. Expansa est congregatio in Italia. Saeculo demum XVII monasteria in Tirolia et Bavaria adjuncta sunt. Romae et Viterbii hodiedum monasteria exstant.

c). Tertia congregatio, etiam in Italia, Faesulis condita est a Carlo da Montegranelli († 1417). Quo tempore maxime florebat, ejus fuerunt monasteria 40, sed a Clemente IX est cum superiore congregatione ad unam redacta.

d). Congregatio quarta fuit ab Hispanica Hieronymitarum congregatione novata a Lope d'Olmedo († 1433). Penetravit etiam in Italiam. Anno 1595 monasteria 7 Hispanica iterum cum primitiva Hispanica congregatione sociata sunt. Monasteria vero 17 Italica sui juris manserunt.

8⁰. **S. Birgitta** († 1373) ordinem condidit, qui ab ipsa nomen habet, vocatur tamen etiam *ordo S. Salvatoris*. Anno 1344 monasterium exstruxit Wadstenii in Suecia, in quo filia ejus, S. Catharina Sueciae († 1381), matris consilia est exsequuta. Alterum monasterium incolabant sorores 60, alterum, ecclesia ab altero separatum, sacerdotes 13, diaconi 4 et fratres laici 8. Per sacerdotes 13 fingebantur apostoli cum S. Paulo, per sorores, diaconos et laicos discipuli 72. Regebat utrumque monasterium abbatissa. Fuerunt itaque congregationis monasteria mixta, sicut ordinis Fontis Evraldi et S. Gilberti († 1189) de Sempingham in Anglia. Urbanus V anno 1370, et Urbanus VI anno 1379, ordinis statuta approbarunt, pluribus ab utroque inductis mutationibus. Non fuerunt haec statuta nova, sed potius regula S. Augustini, nonnihil uberius explicata[1]). Induebantur viri et mulieres vestitu colore cinereo. Sorores velo nigro insutam habebant coronam albam acu pictam, stellis rubris quinque distinctam, in honorem coronae spineae et quinque vulnerum; sacerdotes pectore sinistro gerebant crucem rubram, in qua media erat hostia alba; diaconi habebant circulum album, quo erat inclusa flamma rubra et linguae quatuor, in memoriam doctorum ecclesiae latinae quatuor celebriorum; fratres laici gerebant crucem albam cum notis rubris 5, ad recolenda vulnera Christi. Divulgatus ordo maxime est in septentrionem, postea in Flandriam, Borussiam, Poloniam et Russiam, dein in Italiam, Franciam et Germaniam. In Hollandia

---

[1]) Acta SS. Boll., Tom. IV Oct., 419—422. *Ctesse. de Flavigny*, Sainte Brigitte, Paris 1892.

condita sunt monasteria Cauwater, postea translatum Uden, quod etiamnunc superest; dein Goudae, Kampenii, Soest, Ultrajecti, Briellae et Zuidlandi. Universe supersunt sororum monasteria 12.

9°. **Minimi,** seu *fratres minimi,* S. Franciscum de Paula († 1507) fundatorem habuerunt, a Sixto IV († 1484) approbati. Quo tempore plurimum floruit, ordinis domus fuerunt numero 470. Appellabantur etiam *Paulani,* in Francia *Bonshommes,* in Hispania *Patres victoriae.*

10°. Ludovicus XII, factus Franciae rex anno 1498, rescidit suum matrimonium cum S. Joanna Valesia, quae recessit Bituricum ibique instituit **ordinem Annuntiatae,** anno 1501. Statuta approbarunt Alexander VI et Leo X. Accrevit ordo ejusque fuerunt domus 40 in Francia, Hollandia, Lotharingia et in Belgio, in quo etiamnum subsistit. Regula, ardua valde, constat capitibus decem, tractantibus decem virtutes B. M. V. Habitus versicolor varias virtutes denotat, funis nodis decem distinctus virtutes decem B. M. V., extremae partes tres Christi flagellationem[1]). His Annuntiatis nihil commune est cum Italis (*Turchine*), anno 1604 Genuae conditis.

11°. Saeculo XIV ad Rhenum superiorem et in Alsacia fuerunt laici ascetae numerosi, quos vocabant **Amicos Dei,** qui magno fervore vitae spirituali excolendae operam navabant. Fuerunt etiam ejusmodi monasteria multa sororum, praesertim Engelthal, Wiler in Wurtemburgia, aliaque nonnulla in Helvetia. Sicuti Beghuini et Beguardi, etiam ipsi in suspicionem haeresis venerunt. Qui pridem celebri memoria venerabatur, *Amicus Dei in Oberlandia,* nunquam vixit, sed ejus vita effictа est vel a domesticis Rulmanni, vel ab ipso Rulmanno Merswin, mercatore prius Argentoratensi, qui *amicis Dei* se adjunxerat[2]).

12°. Praeter hos relatos ordines multis aliis novis oborientibus, **antiquiores ordines** fere omnes seriam meditabantur reformationem. Si exceperis Carthusianos, qui nativam discipli-

---

[1]) *Hébrard,* Histoire de sainte Jeanne de France, duchesse d'Orléans et de Berry, Paris 1890.

[2]) *Denifle,* Hist. Pol. Bl., Bd. 75, p. 17 sq.; 93 sq.; 254 sq.; 340 sq. Zeitschr. f. Deutsch. Altert., Jg. 1876, 1880, 1881. Taulers Bekehrung. München 1877. *Riedel,* Der Gottesfreund vom Oberland, Innsbruck 1905.

nam accurate servaverant[1]), fere omnes invenies a pristino fervore deorsum versos. In multis monasteriis cura paupertatis valde erat labefactata. Imo vero fuerunt monasteria, quorum bona monachi sororesque inter se divisissent. Regulae temere negligebantur, capitula praescripta non fiebant. Rerum mundanarum cupiditas, voluptatis etiam pessimae turpitudo, inobedientia et inscitia defectus paene cotidiani erant. Quamobrem undique audiebantur querelae de prolapsa disciplina monachali. Certo exaggerabatur saepius. At si vel media querelarum pars vera fuerit, tristissima debuit esse in monasteriis ruinae conditio[2]).

13°. Fuerunt etiam, saeculo XIV et XV, meliora tentata. Anno 1336, Benedictus XII, communicato prius consilio cum abbatibus Benedictinis sex, edixit bullam *Summi Magistri*, praescripsit **Benedictinis** ut habere capitula ne omitterent, divisitque ordinem universum in provincias 36. Jam anno 1312 S. Bernardus Tolomeo[3]) reformationis gratia fundaverat congregationem **Olivetanorum.** Anno 1412 in eundem finem congregationem instituit Patavii **S^ae^ Justinae,** cui se adjunxerunt monachi Monte Cassinenses. Quo tempore maxime floruit, fuerunt ejus domus 200. Ad cujus exemplar, in Hispania oborta est amplissima congregatio **Vallissoleti.** In Germania, anno 1433, Joannes de Minden abbas instituit praeclaram illam congregationem **Bursfeltianam,** cujus posterius numerabantur virorum monasteria 136 et mulierum 42. Memorari etiam meretur in Germania meridionali reformatio **Meliciensis,** anno 1426, cujus monasteria sui juris erant.

14°. **Canonici Augustiniani** suam habebant optimam reformationem per congregationem Windeshemensem, unam e celeberrimis saeculo XV.

---

1) *J. Busch*, Reform. mon., Lib. III, c. 32, ed. *Grube*, p. 721: „Carthusia omnis a prima sua institutione in regulari observantia permansit propter tria, videlicet solitudinem, silentium et visitationem."

2) *J. Busch*, Chron. Windes., Lib. I, c. 3, 59; Lib. II, c. 2; Libri de reformatione, passim. *Trithemius*, Liber lugubris de statu et ruina monastici ordinis, Mog. 1495. *Summenhart*, Super decem defectibus viror. monast., Tüb. 1492. *Nic. de Clemangis*, De corrupto ecclesiae statu, c. 21—23, ed. Lugd. Batav. 1593, p. 19 sq. Cf. etiam, quam dedit Ruysbroeck descriptionem, apud *Moll*, Joannes Brugman, I, 105 sq.

3) *B. M. Maréchaux*, Vie du B. Bernard Tolomei, Paris 1888.

15°. **Carmelitis,** schismatis tempore discriminatis in *conventuales* et *observantes*, conatus est Thomas Connecte pristinam disciplinae integritatem reddere, fundando congregationem **Mantuanam,** cujus monasteria paulatim ad 50 accreverunt. Joannes Soreth quoque, eorum magister generalis 26us, fervidus fuit reformationis promotor. Congregationes *Missionis Indicae*, *Montis Oliveti* et *Albi* multos sibi asciscere socios non potuerunt. Saeculo demum XVI facta est reformatio generalis.

16°. Etiam **Eremitis S. Augustini** novus fervor est additus. Praecipuae ejus congregationes fuerunt : **Illicetana,** anno 1385 instituta a magistro generali, Ptolemaeo Veneto; congregatio de **Carbonnière,** exeunte saeculo XIV ; **Perusiae,** monasteria numerans 11 (1419) ; **Lombardiae,** numerans 56 ; **Genuae,** habens 25 ; **Zampani,** computans monasteria 40 ; congregatio quoque **Germanica** (1423) eximie floruit, at post Lutheri tempora collapsa est.

17°. Ordo **Franciscanorum** tristissimam cladem passa est per schisma et per ,,mortem nigram". Quae origo fuit **Observantium,** qui Paulum de Foligno fundatorem venerantur (1368). In quos dilatandos multam operam collocarunt S. Bernardinus Senensis, S. Joannes a Capistrano, S. Jacobus Marckius, et Albertus de Sarthiano. Permanarunt per Europam universam. In Hollandia Joannes Brugman eam inducendam curavit. Monasteria multa reformationem ejus susceperunt, quorum primum Goudanum (1440) [1]. Etiam **Conventuales** emendationes inferre aggressi sunt, quorum reformatio vocabatur *semiperfecta* (*Observantes de communitate*), in Francia praesertim et Germania. Frustra tentarunt iterum conjungere *Observantes* et *Conventuales* Sixtus IV et Julius II. Hic dein decrevit ut duae hae familiae praecipuae manerent, sed ut societates minores, saeculo XV obortae, cum harum alterutra se jungerent.

18°. **Dominicanorum** ordo, schismatis causa, in duas partes est divisus, sed Martini V opera, anno 1418, unio est restituta. Idem Papa nonnullis domibus concessit ut possiderent bona immobilia et certos haberent reditus (1425), quod Sixtus IV, anno 1475 et 1477, ad ordinem universum extendit. Ordinis autem

---

[1]) *Moll*, J. Brugman, I, 122 sq.

reformationem inchoavit Raymundus a Capua[1]), magister generalis, qui anno 1390 edidit decretum reformationis, quo suum vicarium pro Germania fecit Colmari Conradum de Borussia[2]), et pro Italia Venetiis Joannem Dominici[3]). Itaque congregatio **Lombardica** oborta est ineunte saeculo XV, **Toscana** ante annum 1447, **Florentina** S. Marci anno 1495. Nonnulla monasteria reformata Neerlandica, anno 1457, Insulis in societatem fundandam convenerunt, e qua paulatim congregatio Neerlandica ortum duxit. Dilatata haec est per Franciam, insulas ad mare Balticum et Germaniam[4]).

19°. Malorum multorum causa fuit, medii aevi aetate, **discordia inter clerum saecularem et ordines mendicantium.** Horum optima merita remunerarant Pontifices multis privilegiis. Martinus IV et Eugenius IV ordinibus mendicantium concesserant ut praedicarent et confessiones audirent, non petita venia parochorum. Quae fremitus fuit causa praesens. Quare Bonifatius VIII concessioni apposuit modum[5]), quem Benedixtus XI iterum semovit[6]). In synodo Viennensi novae querelae auditae sunt. Ideo bullam *Constituti super cathedram* novat Clemens V et haec constituit: a). ut liceat mendicantibus in suis ecclesiis et foris praedicare, non tamen quo tempore fiat sermo in ecclesia parochiali; b). ut ne praedicent in ecclesiis parochialibus nisi rogentur; c). ut iis non liceat audire confessiones, non petita venia superioris ecclesiastici loci; d). quod si hic veniam neget singillatim uni vel pluribus eorum, obediant; sin vero omnibus, Papa licentiam dabit; e). ut in propriis suis ecclesiis liceat iis sepelire omnes qui id desideraverint, sed *quartam funeralium* solvant parochis. Quae jussa imprimis pertinuerunt ad Franciscanos et Dominicanos, sed paulo tempore post etiam ad Carmelitas et Augustinianos. Pax tamen non est restituta. Anno 1321, Joannes Poilly Parisiis docuit, nec vel ipsum Papam licentiam dare posse cuiquam, ut monacho confitea-

---

[1]) *H. M. Cormier*, Il beato Raimundo de Capua, Roma 1900.
[2]) Magister J. Nider aus dem Orden der Prediger-Brüder, Mainz 1885.
[3]) *Rösler*, Jo. Dominici O. P., Freiburg 1893.
[4]) *Moll*, II, 2, p. 200 sq.
[5]) Extrav. comm. cap. 2 de Sep., III, 6.
[6]) Ibid., cap. I de priv., V, 7.

tur. Coactus tamen fuit sententiam retractare[1]). Anno 1351 Clemens VI defendit mendicantes adversus episcopos, anno 1409 Alexander V adversus doctores Parisienses. Econtra synodus Constantiensis multa abrogavit privilegia religiosorum; synodus Basileensis adversariam se iis mox ostendit. Ex opposito docebant e mendicantibus nonnulli, sibi ubique licere audire confessiones, et fidelibus fas esse audiendi sacri in ecclesiis mendicantium non minus quam in parochialibus. Ad quae adversarii non tacebant. Haud ita diu post, iterum tueri mendicantes coacti sunt Eugenius IV contra Philippum Norreys ex Hibernia et Calixtus III contra universitatem Parisiensem. Nimium sane auxit privilegia eorum Sixtus IV (*Mare magnum*), levans Franciscanos et Dominicanos *quarta funeralium* et facultatem iis tribuens absolvendi a *reservatis* episcopalibus (1474 et 1479). Perseveratum est litigare, praesertim Parisiis. Immo vero contentio intenta est tum, quum Joannes Angelus, Franciscanus, imprudenter declaraverat, Franciscanos esse „proprios sacerdotes et vere curatos"[2]). Cui opposuit Joannes Lallier (1484) suas theses, quae vel ipsi Ecclesiae institutioni adversabantur et potestati Summi Pontificis. Negotium tractandum sumpsit synodus Lateranensis V. Episcopi aliqui collegerunt querelas 80 postularuntque ut abrogaretur bulla Sixti IV (*Mare magnum*). Sessione X edicta est bulla de jurisdictione episcoporum et de exemptis. Praeterea episcopi flagitarunt ut Papa approbaret societatem quandam, initam ut sua jura defenderent adversus exemptos. Retinuerunt autem Leonem X cardinales. Sessione XI edictum decretum est, cujus summa haec: regularibus injungitur ut intersint processionibus episcopalibus; ut censuras episcopales, desiderante id episcopo, populo annuntient; ut Sabbatho sancto campanas ne pulsent ante quam in cathedrali aut principali ecclesia loci sonuerint; ut in suis ecclesiis parochialibus visitationem episcopi admittant de rebus omnibus, quae pertinent ad ministranda sacramenta laicis, et ad examen pro approbatione et consecratione. Statutum deinde est ut non liceret regularibus absolvere

---

[1]) Joannis XXII bulla *Vas electionis*, Bull. O. P., II, 152. *P. Feret*, La Faculté de théologie de Paris, Paris 1896, III, 229 sq.

[2]) Alias ejus sententias vide apud Hergenröther-Kirsch, II, 1015, nota 1.

censuratos ab episcopo; ut ne matrimonio benedicerent neve extremam unctionem conferrent, renuente parocho, nisi hic sine rationabili causa renueret; ut proprium suum episcopum adirent pro conferendis ordinibus sacris et pro consecrandis ecclesiis [1]). Itaque major pars querelarum semota est. Non episcopi omnes eadem postularant, inquit Paris de Grassis, caeremoniarius Pontificius. ,,Multaque postulata non e causa mere et pure ecclesiastica orta fuerant" [2]). Feliciter tamen accidit quod ,,ingentes, inquit Raynaldus, illae lites compositae sunt".

---

[1]) Vide bullam apud *Raynaldum*, ad an. 1516, n. 27—28.
[2]) *Hergenröther—Kirsch*, II, 1016.

CAPUT QUARTUM.

SCIENTIA ECCLESIASTICA.

§ 130—§ 133.

§ 130. Doctrina scholastica.

Werner, Geschichte der Scholastik des späteren Mittelalters, 5 Bde., Wien 1881—1887. *De Wulf*, Histoire de la philosophie médiévale, 2e éd., Paris 1907. *Jos. Kleutgen S. J.*, Die Theologie der Vorzeit, 3 Bde., Münster 1853 sq. *Idem*, Die Philosophie der Vorzeit, 2 Bde. II Aufl., Innsbruck 1878. *Stökl*, Geschichte der Philosophie des Mittelalters, 3 Bde, Münster—Mainz 1864—1866. *Kaufmann*, Geschichte der Deutschen Universitäten, 2 Bde, Stuttgart 1888—1896, II Bd. *Denifle*, Les Universités françaises au moyen-âge, Paris 1892.

1°. Etiam posteriore medii aevi aetatis parte, doctrina **scholastica** re et argumento mansit eadem, quae fuit florida aetate. Recta rerum universitatis intelligentia, vera principia, theologia sincere ecclesiastica haud unquam perierunt. Attamen dici etiam potest doctrina scholastica esse prolapsa. Deciderat enim a summitate exemplarium saeculi XIII. Pro exquisita et abundante priorum magistrorum doctrina, cavillando saepe discutiebantur argutiae dialecticorum. In ponendis et refellendis sententiis modus non fuit. Praeterea orationis affectatio, rigor, barbaria omni antiquiorum venustate et genuina facilitate vulgo carebat.

Dissidebant imprimis et contendebant ex adverso praecipua scholasticae doctrinae systemata duo, **Thomismus** et **Scotismus**, quorum prius vulgo Dominicani profitebantur, alterum Franciscani. Thomistis suum *realismum* defendentibus et Scotistis *formalismum* suum, *nominalismus*, aurea scholasticae doctrinae aetate exstinctus, revixit imprimis Lutetiae Parisiorum, in universitate. Systematis quasi prodromi fuerunt **Petrus Aureolus** († 1321), Franciscanus, postea Aquis Sextiis factus archiepisco-

pus, quem, ob ejus *Commentarium in Sententias et Quodlibeta*, *doctorem facundum* [1]) appellarunt. Dein **Gulielmus Durandus** († 1332) a Sancto Porciano, Dominicanus, magister Parisiensis, postea episcopus Meldensis. Huic nomen addiderunt *doctori resolutissimo*, propterea quod, difficillimis propositis quaestionibus, audacia quidem sed non aeque firma responsa solebat dare. Sententias nominalismum spectantes continet ejus *Commentarius in libros sententiarum* [2]). Verus tamen scholae nominalisticae auctor fuit **Gulielmus Occam** († 1347), Duns Scoti discipulus, dein magister Parisiensis, tandem theologus aulicus Ludovici Bavarici. Venerabatur a suis nomine *venerabilis incoeptoris* et *singularis doctoris*. Fuerunt etiam qui *invincibilem* eum appellaverint. *Universalia* ipsi erant mera ingenii commenta, ideae mera rerum signa. Acriter invehebat quum in Scotum, tum in S. Thomam, et proprium sibi systema excogitavit [3]). Itaque tres fuerunt sibi invicem oppositi: *realismus* Thomistarum, *formalismus* Scotistarum, *nominalismus* Occamistarum. Quae systemata haud parum momenti habuerunt, non solum pro philosophia, sed etiam pro theologia. Undique controversiis contendebatur, ac profuso et perdito multorum studio et labore hae lites fuerunt praecipuae causae cur studia scholastica sint deorsum versa.

2⁰. Magistrum suum, **Occamistae**, secuti sunt Dominicani duo: **Amandus de Beauvoir** († 1340) et **Robertus Holcoth** († 1349), cujus quasdam sententias reprobavit universitas Parisiensis; dein **Joannes Buridanus**, qui scripsit commentarios in Aristotelem, impugnavit liberum hominis arbitrium, et, rector Sorbonicus, doctrinam Occami propagare contendit. Qui nominalismum defenderunt, hi sunt memorandi: **Thomas Bradwordinus** († 1349), vocatus nomine *doctoris profundi*, cancellarius Oxoniensis et archiepiscopus Cantuariensis, cujus est *Liber de causa Dei*. Vir pius erravit, dicendo Deum esse causam peccati: *Deus aliquo modo vult peccata, ut peccata sunt*. Dein **Petrus de Alliaco** († 1425), supra jam memoratus reformator. Ei haud sane merito nomen *Aquilae Franciae* datum est. Non semper accurate satis docuit et

---

[1]) Romae 1596—1605, Tomi 2 in fol.

[2]) Antverpiae 1566.

[3]) Ed. Lugdun. 1495.

nimium dedit astrologiae[1]). Scripsit *Quaestiones super libros* (1, 2, 3) *Sententiarum*, *De anima* et praesertim de Scriptura et de reformatione. **Marsilius de Inghen** († 1396), rector universitatis Parisiensis, postea ad novem vices Heidelbergensis rector, magistrum suum Occam pro parte tantum secutus est et sanctissime vixit. Dedit commentarios *in libros sententiarum* et *Quaestiones in libros de generatione et corruptione*[2]). **Gabriel Biel** († 1495) ultimus appellatur *scholasticus*. Fuit certo unus ex optimis scholae suae magistris, in dicendo clarus, accuratus et prae multis aliis studio optimo in Ecclesiam eminens. Quare eo magis mirandum, eum scripsisse *Collectorium ex Gul. Occam in libros Sententiarum*[3]).

3⁰. Inter **Scotistarum** praecipuos recensentur: **Franciscus Mayron** († 1325), dictus *magister abstractionum* vel *doctor acutus*. Ad usum scholae accommodavit praecipuas Scoti sententias, sed opiniones singulares plures defendit de relatione Dei ad peccatum, de meritis Christi et sanctorum. Opus ejus princeps commentarius est *in quatuor libros sententiarum*. **Joannes de Bassolis** († 1347), ob dicendi rationem lucidam *doctor ordinatissimus* vocatus, a Scoto ipso prae omnibus suis discipulis laudatus est. Scripsit *commentaria in libros sententiarum*. **Petrus de Aquila** († 1370) nominabatur *doctor sufficiens*. Opus ejus princeps *Scotellus*, optimum est Scoti doctrinae compendium[4]). Haec schola deinde aliquantisper sterilis fuit. Saeculo autem XV ad finem vergente, ejus iterum fuerunt nonnulli bene meriti viri: Gulielmus Vorilong († 1464), Nicolaus d'Orbelles († post 1465), Stephanus Brulefer († 1499), Paulus Scriptoris († 1505), Nicolaus de Nysse († 1509), Antonius Trombetta († 1518) aliique.

4⁰. Inter **Thomistas** viri praeclari referuntur: **Petrus Paludanus** († 1342), qui fuit magister Parisiensis et dein patriarcha Hierosolymitanus, ordinis sui et aetatis suae ornamentum; bene scripsit in *libros sententiarum*. **Joannes Capreolus** († 1432), gravissimus Thomismi propugnator, „primus Thomistarum" vocatus et *anima d. Thomae*, cujus optimum opus inscribitur *Libri defensionum*[5]); **Joannes Torquemada** († 1468) cardinalis,

---

[1]) *Denifle*, Introd. ad Tom. III Chart. Univ. Par., p. XIX.
[2]) Argentorati 1501, 1504.
[3]) Tüb. Quart., Jg. 1865. Ed. Tubing. 1502, Tomi 3 in fol.
[4]) Ed. Venet. 1483, Tomi 4 in fol.
[5]) Ed. Venet. 1483, Tomi 4 in fol.

Ecclesiae universae splendidissimum lumen et columen, qui magno numero opera conscripsit de variis theologiae partibus (*Summa de Ecclesia*, *Flos theologiae*, *Quodlibetica* etc.); **Hervaeus Natalis** († 1323), qui primus contra Scotum, Henricum Gandavensem et Durandum partes Thomae tuendas sumpsit. Fuit magister Parisiensis, numeraturque inter magnos ordinis sui theologos. Opus ejus princeps inscribitur *In libros Sententiarum* [1]).

5⁰. Etsi theologi plerique in scholas tres relatas distinguebantur, fuerunt tamen alii quoque memoria digni. *Servitae* Henricum Gandavensem magistrum suum venerabantur [2]). *Augustiniani* sequebantur **Aegidium Romanum** († 1316), S. Thomae discipulum, ordinis sui magistrum generalem, cujus, ex verisimili sententia, est celebris illa bulla *Unam Sanctam*. Scripsit: *De anima*, *Quaestiones metaphysicales*, *De esse et essentia*, etc. [3]). Memorandi quoque sunt Augustinianorum magistri generales **Thomas Argentoratensis** († 1357), qui scripsit *Lectura in libros sententiarum* [4]), et **Gregorius Ariminensis** († 1358), *doctor authenticus*, cujus est opus eodem titulo inscriptum [5]) et alia reliqua. Ex ordine *Carmelitarum* fuit **Joannes Baco** († 1346), *doctor resolutus*, cujus opera *In libros Sententiarum* [6]), *Quodlibeta* etc. capitulum generale magnopere commendavit ordini, at fere irrito successu, propterea quod in scholis praelegebant S. Thomam; dein **Franciscus Baco** († 1372), *doctor sublimis*, et **Joannes Ballester** (1384). Quartam scholam fundavit **Raymundus Lullus** († 1315), qui, rectissimo consilio agens, tamen singulares valde sententias propugnavit; sed a suis *doctor illuminatus* vocabatur (*Ars generalis*, *Ars brevis* etc., Lugduni 1517). Stetit ejus schola ad exiens saeculum XVIII in Hispania, ubi hodie reviviscit.

6⁰. Novam prorsus methodum tentavit cardinalis ille **Nicolaus Cusanus** († 1464). Discrepuit a scholasticis in hoc, quod perpetuo geometria et mathesi utebatur. Mathematicam disciplinam systematis sui fundamentum fecit. Fere semper senten-

---

[1]) Venetiis 1505.

[2]) Vide supra § 115, n. 15.

[3]) Ed. Romae 1555, continens opera 20.

[4]) Argentorati 1490.

[5]) Parisiis 1482.

[6]) Lugduni 1484.

tias suas metaphysicas mathematicis principiis dilucidare conatus est. Itaque dici potest ingeniosus fuisse in illustranda doctrina fidei nova theoretica methodo, at philosophica ejus disciplina non caret sententiis pantheismum olentibus; est quasi annulus, qui pantheismum veterem cum novo conjungit. Quid sibi voluerit cardinalis, patet praesertim opere ejus principe: *De docta ignorantia* et *Apologia doctae ignorantiae*. Hoc initium est aversionis a doctrina scholastica. Famam etiam magnam sibi comparavit opere *De catholica concordantia*, in quo exaggerat jura synodorum [1]).

---

§ 131. **Doctrina mystica.**

Schmidt, Essai sur les mystiques du XIV siècle, Strasbourg 1836. *Preger*, Geschichte der Deutschen Mystik im Mittelalter, 2 Bde, 1874—1893. *Auger*, Etude sur les mystiques des Pays-Bas au moyen-âge, Bruxelles 1892. *Greith*, Die Deutsche Mystik im Predigerorden, Freiburg 1861. *Hurter*, Nomenclator literarius, Tom. IV, Oeniponte 1899. *Denifle*, O. P. Das geistliche Leben. Eine Blumenlese aus den Deutschen Mystikern, 1 Aufl., Graz 1873.

1°. Disciplina **mystica** et scholastica, periodo superiore in unum confusae, inde ab ineunte saeculo XIV sensim ab invicem sejunctae sunt, ita ut, sui juris factae, pauco post tempore nonnumquam etiam alteri altera adversae fuerint. Tum praesertim quum disciplina scholastica in cavillationes et argutias abiret, suam sibi viam coepit disciplina mystica, et orbata lumine scholastico hinc inde in ambiguum aliquem pantheismum deviavit. Quod praesertim accidit „*mysticis Germanis*", hoc nomine vocatis, quod sermone patrio opera sua vulgo scripserunt.

2°. Horum primus fuit magister **Eckhardt,** O. P. († 1327). Initio docuit Parisiis, dein electus est sui ordinis provincialis, et postea iterum fuit magister Parisiis, Argentorati et Coloniae. Hic accusatus de doctrina falsa, inquisitione nondum facta, retractavit quaecumque minus recta judicarentur et paulo post obiit. Post ejus mortem sententias ejus 28 damnavit Joannes

---

[1]) Ed. Basil. 1556, Tomi 3 in fol.

XXII[1]), quarum 17 ut haereticas (1329). Magno numero opera conscripsit (Exegesis, Sermones, Tractatus) praebuitque se valde in doctrina scholastica versatum[2]). Errorum causa fuit opinio quaedam pantheistica. Cujus quidem consequentias ipse inde non deduxit, sed deduxerunt *Beghardi* aliique haeretici. Ceterum fuit pietate intima, alta, ingenua. Sermo operum pulcher, clarus et perspicuus. Unus e discipulis ejus fuit **Joannes Taulerus** († 1361). Basileae amicitiam sociavit cum *amicis Dei*, beato Venturini de Bergomo, Merswin, Egnolfo, Margaretha et Christina Ebner etc. posteaque praedicavit, magna populi frequentia, Argentorati et Coloniae. Ejus opera[3]) sunt *sermones*, qui soli supersunt, *Divinae institutiones*, *De novem statibus*, *Speculum lucidissimum* aliaque. Ejus doctrinam Eckius aliique vituperarunt, Carthusianus vero, Blosius et alii defenderunt. Celebritate magna gaudet vir pius **Henricus Suso († 1366).** Is etiam Coloniae studuit, Eckhardo magistro. In primo suo libro *de Veritate*, scripto contra *Beghardos* et *spirituales liberos*, emendavit sententias et expressiones magistri. Postea edidit *Horologium Sapientiae*, *Autobiographiam*, *Epistolas*, *Sermones*[4]). Horum primum opus, Germanice conscriptum, sed ab ipso Susone in latinum sermonem versum et auctum, multa manu versatum et fere in reliquas omnes linguas translatum fuit. Simplex valde est ejus sermo, unctionis plenus nec pulchrior hac aetate oratio soluta conscripta est. Incognitus auctor **Theologiae Germanicae** vixit saeculo XIV et XV Francofordi, opinionesque Eckhardi elaboravit. Docet, Deum necessario creasse, et res creatas proprium esse non habere; lumen naturale rationis humanae esse spiritum malum, lumen gratiae esse bonum, ideoque amorem naturalem malum esse, supernaturalem vero bonum; obedientiam internecionem esse propriae voluntatis, proprii ego;

---

[1]) *Denzinger*, ed. IX, p. 141 sq.; ed. X, n. 501—529.

[2]) *Pfeiffer*, Deutsche Mystiker, Leipzig 1857, Bd. II. *Jostes*, Meister Eckhart und seine Jünger, Freiburg 1895. *A. Jundt*, Essai sur le mysticisme spéculatif de Maître Echard, Strasbourg 1871. Histoire du panthéisme populaire au moyen-âge, Paris 1875.

[3]) Coloniae 1548, in fol.

[4]) Ed. *Diepenbrock*, Ratisbonae 1829, 1837. Multo melior ed. inchoata *Denifle*, München 1880.

creaturam debere a volendo abstinere; amorem perfectum esse societatem cum Deo, qua homo fiat Deus et Deus homo; quo facto, hominem esse supra legem, praeceptum et rationem. Hoc opus, anno 1518, Luther edidit et laudibus extulit[1]).

3⁰. E *mysticis* Neerlandicis primus fuit **Joannes Ruysbroeck** († 1381)[2]). Usque ad annum aetatis 56 sacerdos saecularis et sacellanus ad *S Gudulam* Bruxellis, anno 1348 ingressus est monasterium canonicorum regularium S. Augustini, Groenendaal prope Bruxellas, ibique mox electus prior, hoc munere fungi perrexit usque ad obitum. Undique innotuit ejus eximia virtus et pietas, ut a multis viseretur, ab ipso quoque Taulero et Gerardo Magno. Multa reliquit opera, inter quae: *De decore nuptiarum spiritualium*, *De fide christianorum*, *De virtutibus duodecim*[3]). Quae in operibus ejus subsimilia sunt pantheismo, fortiter impugnavit Gerson[4]). Magni eum fecerunt Thomas a Kempis, Carthusianus et Lessius, licet occurrant quaedam in operibus ejus, quae dilucidatione et interpretatione egeant. A multis vocatus est *doctor exstaticus*. **Dionysius Carthusianus** († 1471), natus Rickelii, prope a St. Trudone in Belgio (1402), et Coloniae magister artium factus, anno 1423 ingressus est monasterium Carthusianorum Bethlehem, Ruraemundae. Exercuit vitam mysticam Dionysius adeo, ut vulgo postea dictus sit *doctor exstaticus;* sed ita etiam incubuit litteris ut unus factus sit ex omnium temporum scriptoribus uberrimis. Etiamnunc sunt ejus opera ascetica et mystica numero 50[5]). Licet videatur in meditando hinc inde nimis quaesitis cogitatis inhaerere, quae judicanti minus placeant, tamen pio animo legenti ejus opera unctionis plena sunt. Pulchriora sunt: *De oratione*, *De meditatione*, *De contemplatione*, *De fonte lucis*, *De donis Spiritus Sancti.*

---

[1]) Ed. *Pfeiffer*, III Aufl., Gütersloh 1875. Cf. de Katholiek Dl. XX, p. 65.

[2]) Anal. Boll., Tom. IV. *Auger*, De doctrina et meritis Joannis van Ruysbroeck, Lovanii 1892. De Gids, 1907, Mei. Cf. de Tijd, Mei sq. Opera ejus Neerlandice scripta in latinum sermonem versa sunt a *Gerardo Magno* et *Surio*.

[3]) Ed. *J. B. David*, Werken der Maatschappij der Vlaamsche Bibliofilen, Gent 1860.

[4]) Inter opera *Gersonii*, I, 59 sq.

[5]) Doctoris exstatici, Patris Dionysii Carthusiani, opera omnia, Montrolii 1896 ss.

Nominandi etiam commentarii ejus in Pseudo-Dionysium, Cassianum et Climacum[1]).

De scriptoribus asceticis e congregationibus Daventriensi et Windeshemensi supra[2]) jam sermo fuit. Debet tamen hic iterum memorari omnium eorum maximus **Thomas a Kempis** († 1471), qui sine dubio auctor est libri mystici, prae omnibus celeberrimi, *De Imitatione Christi*[3]). Scripsit praeterea multa opera, simplicitatis et unctionis plena: *Orationes et meditationes de vita Christi*, *Soliloquium animae*, *De elevatione mentis*, *Hortulus rosarum*, *Vallis liliorum*, *Meditatio de Incarnatione Christi*, *Sermones ad novitios*, etc.[4]). Referenda inter mysticos Neerlandiae etiam est, multum passa, **Lidwina Schiedamensis**. Nata 1380, vitam sanctissimam et mirifice exstaticam finivit anno 1433[5]).

4⁰. Etiam **aliae regiones** suos habuerunt scriptores mysticos. Quorum unus e praeclarissimis fuit **Joannes Gerson,** qui se applicuit ad Hugonem et Richardum a S. Victore. Fuit in sincera doctrina scholastica. Quod praecipue patet ex operibus: *Considerationes de theologia mystica* et *Tractatus de elucidatione scholastica mysticae theologiae*[6]). In aliis quoque operibus conatus est promovere vitam asceticam. **Angela de Foligno**

---

[1]) *Mougel*, Denys le Chartreux, Montreuil-sur-Mer 1896. Germanice, Mülheim a. d. Ruhr 1898. *Montagnani*, Un éminente scolastico troppo dimenticato. Montreuil-sur-Mer 1898. Cf. *P. Albers S. J.* Dionysius de Karthuizer en zijn werken (Studiën Dl. 59).

[2]) § 129, n. 4.

[3]) *K. Hirsche*, Prolegomena zu einer neuen ausgabe der *Imitatio Christi*, 3 Bnde, Berlin 1873—1894. *Spitzen*, Thomas a Kempis als schrijver der Navolging van Christus gehandhaafd, Utrecht en Leiden 1880. *Idem*, Nalezing op mijn Thomas a Kempis, Utrecht 1881. *Idem*, Les Hollandismes de l'Imitation de Jésus-Christ, Utrecht 1884. *Idem*, Nouvelle défense de Thomas a Kempis, Utrecht 1884. *V. Becker S. J.*, L'auteur de l'imitation et les documents néerlandais, La Haye 1883. *Idem*, De Katholiek, 1885, p. 388—404; Bijdr. en Mededeel. v. h. Hist. Genootsch., 1887, p. 376 sq. Jaarboekje v. Alberdingk Thijm, Jg. 1897. *Funk*, Der Verfasser der Nachfolge Christi, (Abh. u. Unters., II, 408 sq.)

[4]) Optima editio *Pohl*, Friburg 1902 sq. Editi Tomi 2, 3, 5, 6.

[5]) *Thom. a Kempis*, Vita Lidewigis, *Pohl*, Tom. VI. Vita, a *Brugman* et a *Joanne Gerlach*, in Acta SS. Boll., Tom. II Aprilis, p. 270 sq. *Huysmans*, S. Lydwine de Schiedam, Paris 1903, 15e éd. — Brugman, vertaald en bewerkt door *P. G. Meyer*, O. P.

[6]) Ed. Lugdun., p. 361 sq.

(† 1309) reliquit *Theologiam crucis* [1]. **S. Catharina Senensis** († 1380) non solum mirifice factis, sed etiam scriptis (epistolis, dialogis et revelationibus) illustrata est [2]. **Catharina Bononiensis** († 1463) *revelationes* suas scripto mandavit [3]. **Catharina Genuensis** († 1510), curae infirmorum dedita, conscripsit tractatus et dialogos mysticos[4]. De *revelationibus* **S. Birgittae** († 1373) multum actum (Florentiae et Basileae) [5] et scriptum [6] est, praesertim occasione canonisationis. Authentice numquam fuerunt a S. Sede approbatae.

---

§ 132. Theologia moralis. Jus canonicum. Studia biblica.

Hurter, Nomenclator literarius, Tom. IV (1109—1563), Oeniponte 1899. *Schulte*, Geschichte und Quellen und Literatur des kan. Rechtes von Gratian bis zur Gegenwart, Bd. I—III, Stuttgart 1875—1880. *Schmitz*, Die Bussbücher und Bussdisciplin der Kirche, Mainz 1883 sq. *Idem*, Die Bussbücher und das kanonische Bussverfahren, Düsseldorf 1898, p. 720 sq. *Vigouroux*, Dict. de la Bible, Paris 1895 sq., in verba: Versions (françaises, espagnoles, allemandes etc.); etiam in verba: travaux dominicains, franciscains etc. *Walther*, Die Deutsche Bibelübersetsung des Mittelalters, Braunschweig 1889. Pro Neerlandia: *van Druten*, Gesch. der Nederlandsche Bijbelvertaling, I—III, Leiden—Rotterdam 1895—1905 (Cf. *De Vooys*, Theol. Tijdschr. 1903, p. 111 sq.). *Ebbinge Wubben*, Over Middelnederlandsche vertalingen van het Oude Testament, 's Gravenhage 1903. *J. P. van Kasteren S. J.*, in *Vigouroux*, Dict. d. l. Bible, Paris 1906, p. 1449 sq.

1°. Theologia **moralis,** quam pridem disciplinae dogmaticae et juridicae immixtam et, pro usu practico, collectam in *Canones poenitentiales* tractare solebant, hac periodo magis magisque pro separata disciplina haberi coepit. Quod patefit e multis, hoc tempore conscriptis, *Summis casuum*. Qui libri, plerumque alphabetice dispositi, argumentum forma casuistica solebant tractare.

---

[1] Acta SS. Boll., Tom. I Jan., p. 186—234.

[2] *Capecelatro*, Gesch. der H. Kathar. von Siena. Deutsch von *Conrad*, Würzburg 1873. *Ctesse de Flavigny*, Sainte Catherine de Sienne, Paris 1895.

[3] Ed. Bonon. 1536. *Marcus*, Das Leben der H. Katharina von Bol., Regensburg 1868.

[4] *Fliche*, Ste Catherine de Gênes, Paris 1880.

[5] *Mansi*, XXX, 698—814.

[6] *Gerson*, De probatione spirituum, Opp., I, 37—43.

In plurimo usu fuit *Summa Astesana*[1]), circiter anno 1317, fortiter suadente Theodoro Gaetano cardinali, conscripta a Fratre minore quodam, nato vel incola in civitate Asti, cui inde vulgo datur nomen **Astesano.** Praeclara doctrina eruditum se praebet. **Bartholomaeus Pisanus** († 1347), Dominicanus, composuit *Summam Pisanam*[2]), secutus *summam confessorum*, saeculo XIII a Johanne Friburgensi scriptam. **Angelus Carletus** († 1495), unus e fratribus minoribus, celebrem illam *Summam Angelicam*[3]) confecit, quae ab ejus nomine vocatur. Paulatim tum etiam manualia pro confessariis (*Confessionalia*, *Interrogatoria*) in usum venerunt. Valde bonum *Manuale Confessorum*, auctore Joanne Nider O. P. († 1438), saeculo XV minimum duodecies est editum. Etiam crebriore usu versabatur *Modus Confitendi* **Andreae de Escobar** († circa 1430). Omnium autem celeberrima fuit *summa theologiae moralis* **S. Antonini Florentini** († 1459), primum opus, quod universam theologiam moralem, ad rationem redactam continuatamque, complectitur[4]).

2°. In tractando de **jure canonico,** praeter glossas in libros juris, supra jam memoratas, etiam forma casuistica magis magisque in usum venit, praesertim in Italia. Vir eruditissimus et in aliorum scriptis volutatissimus fuit **Joannes Andreae** († 1348), *fons et tuba juris*, *rabbi doctorum* appellatus. Docuit Bononiae et praeter glossas plures scripsit *Summam de Sponsalibus et matrimonio*, *summam de consanguinitate* etc.[5]). **Nicolaus Eymericus** O. P. (circa 1393) edidit *Directorium inquisitorum*[6]). Unus autem e praeclarissimis, tota medii aevi aetate, juris canonici doctoribus fuit **Nicolaus Tedeschi** († 1443), cognominatus *Panormitanus*. Magister juris canonici fuit Catanae, Senis, Parmae et Bononiae, scripsitque commentarios et *Consilia*, *Thesaurus* aliaque[7]). Post eum et, qui eum praecesserat, Joannem Andream disciplina juris canonici longo temporis spatio progressus non fecit, propterea quod magistri tantum horum doctorum opera

---

1) Ed. Romae 1728, 1730, Tomi II in fol.
2) Ed. Parisiensis 1470.
3) 31ies fuit edita et a Luthero igne exusta. Lugduni 1513.
4) Veronae 1740.
5) Venetiis 1581, in fol. Norembergae 1477, in fol.
6) Barcinone 1503. Venetiis 1607.
7) Opp. omnia, Venetiis 1617, Tomi IX.

interpretando occupabantur. Memoratu digni tamen quoque sunt **Zabarella** († 1417) cardinalis, cujus sunt *commentarii*, *consilia* et *repetitiones;* **Torquemada** cardinalis († 1468), qui scripsit *commentarios in decretum Gratiani* et *De potestate Papae;* **Henricus Odendorp** († 1400), *decretorum doctor* vocatus, cujus opus est *Repetitio Capituli „Omnis utriusque sexus"*. Hoc tamen tempore, ad collectiones juris antea jam confectas accedunt, quae vocantur, *Regulae Cancellariae*[1]). Constitutae sunt a Joanne XXII ejusque successoribus, usque ad Martinum, pro ordine negotiorum agendorum in *Cancellaria Apostolica*. Martinus V et qui ei successerunt Pontifices solebant iis uti. Etiam *Decisiones Rotae Romanae* pro lege valebant, seu potius pro authentica legum interpretatione[2]). Paulatim etiam plures confecti sunt tractatus de separatis juris canonici partibus singillatim, quae hodie monographiae dicuntur. Partim etiam jus canonicum laicis in manus venit.

3⁰. Magni hac aetate progressus effecti sunt in **S. Scripturae studiis,** prout tanquam disciplina separata spectantur, et consideratur magis librorum sensus literalis. Quum frequentius Graeca et Arabica scripta legerentur, contigit ut etiam major notitia linguarum orientalium ingereretur. Praeterea mandavit, in synodo oecumenica Viennensi, Clemens V, ut, ubi esset Papae sedes et in universitatibus, Parisiis, Oxoniae, Bononiae et Salmanticae, linguas Hebraicam, Arabicam et Chaldaicam docendi munus crearetur utque in singulis his universitatibus magistri idonei bini constituerentur[3]). Quod fuit opportunissime factum. Etenim saeculo XV alte elatum est linguarum orientalium studium, non solum in Germania, ubi Reuchlin, *glossario* et *grammatica* sua, et Petrus Niger magnam sibi famam compararunt, sed etiam in Italia et Hispania. Sermo Graecus tempore renatarum literarum ubique summo studio colebatur. Itaque per linguarum notitiam poterat emendari textus. Quod praesertim efficere conatus est per **Bibliam polyglottam Complutensem** (1514—1517) Ximenes cardinalis, qui Demetrio Ducas, Ferdinando Nonnio, Stunicae, de Vergara,

---

[1]) Ed. *Ottenthal*, Innsbruck 1888.
[2]) Saepius editae, e. c. Coloniae 1581, Venetiis 1624.
[3]) Cap. 1 Clem. (5, 1).

Alphonso de Zamora aliisque viris doctis hoc opus maximi laboris perficiendum tradidit. Non minoris momenti fuerunt, quae Reuchlin edidit studia in Vestus Testamentum et Erasmi Graeca editio Novi Testamenti.

E meliore linguarum scientia consecutum quoque est ut majus studium collocaretur in interpretationem S. Scripturae literalem. In qua re optime meruit **Nicolaus de Lyra** († 1340). Natus in Normannia, ingressus est juvenis ordinem S. Francisci, fuitque Parisiis magister. Opus ejus princeps *Postilla* sunt, commentarius in universam Scripturam, quo concinne et lucide sensum literalem tradidit, rarissime mysticam digressionem adjecit. Ea aetate maximum operis momentum hoc fuit, quod auctor quaerebat explanare sensum hunc literalem. Unde appellatione *doctoris plani*, *utilis* celebratus est. In multiplici usu fuerunt haec *Postilla*[1]). Salomon Levi, qui, antea rabbinus, postea **Paulus Burgensis** (1345) vocatus, hujus civitatis fuit episcopus, Nicolai de Lyra Postillis *Additiones* bono consilio fecit, quibus hunc complevit et emendavit. Ideo tamen acriter eum impetivit Mathias Döhring († 1469) O. M., suo *Defensorio Nicolai Lyrani*, quod opus, etiam *Correctorium Corruptorii* ab ipso inscriptum, magis defectu urbanitatis eminet quam pondere scientifico. Illius autem aetatis praeclarissimus S. Scripturae interpres fuit **Alphonsus Tostatus** († 1452), cognomine *Abulensis*. Opus ejus princeps est *Commentarius in libros historicos V. T.* et *In Evangelium S. Matthaei*, quae hodie quoque cum fructu leguntur. Operum omnium sunt tomi 24 in folio[2]). Interpretatur sensum litteralem sermone plerumque prolixo, sed semper mente sagaci et ingenio sollerti. Eum secutus est vir laboriosus et indefessus **Dionysius Carthusianus** († 1471), e monasterio Ruraemundensi. Scripsit *commentaria* in universam S. Scripturam. Optima sunt *in psalmos*, *in Job*, *in libros Sapientiae*, *in prophetas*, *in Evangelia* et *in epistolas Pauli*. Minore pretio sunt, quae tradidit de libris historicis[3]).

---

1) Inde proverbium: „Nisi Lyra lyrasset, totus mundus delirasset" et „si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset". Cf. tamen *Cornely*, Introductio n. 249.

2) Venetiis 1615.

3) Ed. Montrol., 1896 sq.

Praeter hos summos viros studiis biblicis eminuerunt Aegidius Romanus († 1316); **Petrus Aureolus** († 1322), cujus *Breviarium Bibliorum* nuperrime iterum est editum ; **Ludolphus de Saxonia** († 1335), qui scripsit *Vitam Domini nostri Jesu Christi*, ubique, etiam in Hollandia, plurimum lectitatam[1]); Jacobus Perez († 1491), qui reliquit commentarios in *Canticum Canticorum*. Postilla confecerunt Nicolaus de Gorrham O. P. († 1375), Henricus de Hassia († 1427), Nicolaus de Dinkelsbühl († 1433) et Thomas Hasselbach. **Joannes Gerson** († 1429) bene de hac disciplina meruit, edendo *Propositiones de sensu literali scripturae et de causis errantium*. Albertus Castellani O. P., Venetiis anno 1511, dedit criticam editionem.

Jam pridem sed praecipue hac periodo undique confectae **sunt versiones S. Scripturae,** sermone vernaculo. Post inventam typographiae artem, omni loco magis magisque biblia lectitabantur. Nonnumquam locis obscurioribus additabantur interpretationes e Nicolao Lyrano. Auctum esse legendae S. Scripturae usum, testimonio sunt creberrimae editiones. Ab anno 1460 ad annum 1517, in Germania 21^es^ integra Biblia typis mandata est; in Italia, ab anno 1471 ad 1500, integra Biblia 36^es^, partes ejus 35^es^; in Francia, ad annum 1524, typis datae sunt editiones 9; in Hispania prima integra versio facta est Valentiae, anno 1479. In Hollandia occurrunt partes versae, annis 1360 et 1384; versio pene integra, anno 1477[2]); quae dicitur *Biblia abbreviata* (*Bibel in 't Corte*), Antverpiae quadries (1513—1518); psalterium, ineunte saeculo XIV; aliud, fortasse e coetu Gerardi Magni, postea (1480—1509) decies typis editum. Novum autem Testamentum jam pridem multum lectitabatur in *Vitis Domini*. *Epistolaria* et *evangeliaria* manuscripta valde numerosa sunt, et vicibus innumeris typis edita. Saeculo autem XVI tum N. Testamentum tum integra Biblia saepe inter catholicos typis sunt mandata. Lutherum Bibliam e tenebris ad lucem protulisse, jam valde diu inter fabellas est relatum[3]).

---

[1]) Ed. Parisiensis 1865, 1870.
[2]) Edita Delphis Batavorum.
[3]) *Janssen—Pastor*, I, 72—76.

§ 133. Ecclesia et literae renascentes.

Jean Guiraud, L'Eglise Romaine et les origines de la renaissance, 3e éd., Paris 1904. *Burckhardt*, Die Kultur der Renaissance in Italien, 4e Aufl., Leipzig 1899. *Pastor*, Geschichte der Päpste, I Bd., Einleitung, p. 1—63; III Bd., Einleitung, p. 1—167. *Voigt*, Die Wiederbelebung des klassischen Altertums, Berlin 1859. *Geiger*, Renaissance und Humanismus in Italien und Deutschland, Berlin 1882. *J. Janssen*, Geschichte des Deutschen Volkes, XVII—XVIII Aufl., I—II Bd. *Baumgartner S. J.*, Geschichte der Weltliteratur, IV Bd., Freiburg 1900.

1⁰. Studia, quae vocantur classica, numquam penitus fuisse neglecta, patet tum ex operibus medio aevo confectis, tum e manuscriptorum magno numero, quibus veterum opera nobis servata sunt. Praeclari Ecclesiae Patres aliique posteriorum saeculorum viri docti omnes e veterum operibus cultum ingenii hauserant. Multi etiam, legendis veteribus scriptis exculti, ipsi literis exercendis incubuerant. Cui rei exemplo sunt Alcuinus, Radbodus Ultrajectinus, Hroswitha, Abaelardus, Joannes Salisburgensis aliique plurimi. Tamen saeculo XIV in Italia veterum scriptorum studia quasi in immensum aucta sunt. Ad quod causae variae propulerunt. Superiore tempore studia scholastica principem locum tenuerant et literas plus quam oportebat deorsum egerant. Dein veterum Graecorum scriptorum oratio solis fere versionibus aut corruptis aut saltem mancis innotuerat. Graeci sermonis periti satis pauci erant. Porro a Ciceronis et Livii latinitate longe aberant scripta scholastica. Itaque, increbescente commeatu inter Graecos et Latinos, unionis tempore. et postea expugnata Constantinopoli, flagrare desiderio Graecarum literarum coeperunt multi. Haud pauci clerici his studiis renascentibus lubenti animo favebant. Suos habebant episcopi et praesertim cardinales homines literatos, quos tuebantur et donis remunerabant. Plurimum ad refocillanda haec veterum scriptorum studia effecerunt Pontifices. Avenione degentes Papae literarum studia jam promoverunt et „humanistarum principem", Petrarcam, beneficiis cumularunt. Dein Martinus V, Eugenius IV et prae ceteris Nicolaus V, Sixtus IV et Leo X literas et literarum studiosos humanistas omni qua poterant ope foverunt. Inventa tandem ars typographica denuo ac fortiter animos ad haec literarum studia impulit,

minime passa ad angustos fines terminari earum notitiam, aut ad paucos tantum viros doctos permanare.

2⁰. Donec veterum ethnica opera spectata sunt oculo et mente christiana, sermo esse poterat de **christiana literarum redintegratione,** quae in pace fuit cum Ecclesia. Quem ad modum enim antiquitas et veterum hominum mores e sola celsitudine christianae veritatis rite intelligi et aestimari potest, ita etiam fides christiana, cultus, morumque doctrina, si conferuntur cum classicismo pagano, splendidius elucent et majore admiratione afficiunt. Hac ratione considerata studia classica, tuentibus et faventibus cardinalibus et Papis, magnae poterant esse Ecclesiae utilitati. Quare suam sibi fecit Ecclesia scientiam artemque veterum, impugnavit ethnicorum superstitionem morumque libidinem, non vero Graeco-Romanam humanitatem. Donec, S. Pauli praeclarorumque Ecclesiae Patrum exemplo, humanistae vestigiis ecclesiasticae traditionis incesserunt, et veterum humanioribus disciplinis usi sunt tanquam adminiculis ad promovendam fidei observantiam morumque christianorum aestimationem, eorum studia Ecclesia, tanquam salutaria populo christiano, probavit promovitque. At mox fuerunt, qui notitiam veterum disciplinae ipsam pro *fine* assequendo statuerent, aequiparata aut etiam postposita christianae hominum societatis utilitate. Cui **ethnicae literarum redintegrationi** favit temporum iniquitas. Communis erat disciplinae ecclesiasticae languor, quem inde ab ineunte saeculo XIV significabant minuta auctoritas pontificia, clericorum mores mundani, prolapsa philosophia et theologia scholastica, atque in re publica et privata civium vita perturbatio extrema. Itaque aegrae et per mollitiam imbecillae societati objecta sunt nutrimenta perniciosa, quae sine dubio plurima operibus veterum continebantur. Quod non poterat non esse exitiosum. Immoderatis et fere superstitiosis laudibus ethnicam literarum speciem efferentes, demum ipsam cum ethnicismo confuderunt. Unde conabantur efficere ut in animis moribusque hominum ethnica ratio dominaretur, christiana expelleretur.

3⁰. Felicissime tamen contigit ut hujus **ethnicae literarum redintegrationis** in Italia non ita multi numero fuerint sectatores. Neque hi externe sejuncti sunt ab Ecclesia. Haud pauci, munere aliquo in curia fungentes, acerbis facetiis et ludibriis non instituta ecclesiastica aut fidei dogmata, sed hominum ecclesiasticorum domesticos vel publicos mores solebant irridere. Non

fuerunt viri haeretica mente superbi, sed homines dissoluti, leves, qui, moribus impudicissimis, delectabantur deridendo quaecumque altiora erant et nobiliora. Quare eorum nullus aut indole magnus, aut ingenio auctor primus eminuit. Ad aditum hujus redintegrationis occurrit **Joannes Boccaccio** (1313—1375), cujus opera quidem perpetuo libidinem ethnicam spirant, nullo tamen modo Ecclesiae adversantur. In narratiunculis celeberrimi sui libri *Decamerone* prae aliis clericos et monachos contumeliis obruit, quin se praestet Ecclesiae hostem Boccaccio. Adulta magis aetate, gravioribus studiis classicis occupabatur, levitatem suam priorem ipse damnavit et in pace Ecclesiae obiit[1]). Celeberrimus fortasse omnium fuit **Poggio Bracciolini** († 1459). Oblivioni eripuit Quintilianum, Lucretium, Silvium Italicum, Ammianum Marcellinum et probabiliter etiam Taciti primos libros. E Graeco in Latinum sermonem vertit Lucianum, Diodorum Siculum et Xenophontem. Fuit autem homo libidini et contumeliis deditus. Adeo delectabatur veteribus ethnicorum operibus ut universi fidei thesauri pretio unam novam Ciceronis orationem empturus fuerit. Ejus *Facetiae* turpitudine notae sunt. Tamen audebat censorem agere in clerum[2]). Qui autem impudentius quam reliqui paganorum mores scriptis suis denuo inducere sit conatus, **Laurentius Valla** († 1457) fuit. Libro suo *De voluptate* summum bonum libidinem praedicabat. Virginitatem extremum dicebat infortunium. Post paucum tempus ausus est aggredi vota religiosa (*De professione religiosorum*). Primus fuit, qui scripto libro *Donationem Constantini* non esse genuinam probaverit. Ad extremum profectus Romam, errata retractavit et obiit secretarius Pontificius et canonicus Lateranensis[3]). **Antonius Beccadelli** († 1471) notam infamiae incurrit praesertim propter librum, cui titulus *Hermaphroditus*, quae est epigrammatum collectio. Opus publice flammis est datum, auctor excommunicatus[4]). **Pomponius Laetus et Platina** († 1481), cum universa sua academia, in suspicione fuerunt paganismi et

---

1) *Körting*, Boccaccios Leben und Werke, Leipzig 1880. Opus Latinum princeps Genealogia Deorum, Venetiis 1547.

2) Opera Basil. 1538. Historia populi Florentini, *Muratori*, SS. Tom. III.

3) *L. Valla*, Opera Basil. 1540.

4) *A. Beccatelius*, Epistolae et orationes, Venetiis 1553.

conspirationis in Papam. Severe contra eos egit Paulus II atque ita paulatim ad saniora revocati sunt. Sixto IV regnante, priori concessum est ut reciperet praelectiones, alter defunctus est *bibliothecarius Vaticanus*. Uberrimus auctor fuit **Franciscus Filelfo** († 1481), qui scripsit *Carmina*, *Epigrammata* (*De jocis et seriis*) et epos in gentem Sforzanam. Humanistarum solitam vanitatem supra quam cuiquam credibile est prae se tulit. Se ipse dicebat summum aetatis suae ingenium; orbem terrarum circum ipsum verti debere, propterea quod Graece loqui et Latine scribere probe novisset[1]). Facillime sibi nomen *poetarum* dabant humanistae, sed ingenio poetico pauci distinguebantur. In eorum operibus poeticis non minus quam in soluta oratione abundant dictiones sensu vacuae, sterilis frigidaque veterum imitatio, blandimenta insulsa, et foeda tetraque libido et scurrilitas.

4⁰. Inter eos, qui **christianae literarum redintegrationis** quasi duces fuerunt, nominandus imprimis est **Dante**[2]) (1265—1321). Qui, quanquam immortalem gloriam suam sibi praesertim ex *Divina Comedia* habet, quo uno opere, mysteria inferni, purgatorii caelique describens, vix non, quascunque sive poesis pulchritudines recondit sive theologia divitias, abunde deprompsit, magnam tamen auctoritatem consecutus quoque est latinis operibus: *De vulgari eloquentia*, *De monarchia*, *Epistolae*, *Eclogae*, *Quaestio de aqua et terra*. Cum, quo tempore vivebat, in mutationis transitusque vicissitudine res cunctae versarentur, atque ipse, qua summi ingenii praestantia antecellebat omnes, utrique inter se adverso temporis cursui dominaretur, dici jure poterit tum ultimus exstitisse scholasticorum medii aevi tum christianorum humanistarum evasisse primus. Post quem unus praecipuus humanista simulque christianae literarum redintegrationis princeps fuit vir clarissimus, **Franciscus Petrarca** (1302—1374). Anno 1337 publice in capitolio Romano poeta laureatus, in altare S. Petri lauream deposuit. Quid senserit de scriptoribus classicis, aperuit in sua ad juvenem religiosum epistola[3]). Vanus fere sicut veteres ethnici, et juvenili aetate volup-

---

[1]) Ex ejus poematibus solae satyrae typis mandatae sunt: Satyrarum decades X, Venetiis 1502.

[2]) *Kraus*, Dante, sein Leben und sein Werk, sein Verhältniss zur Kunst und Politik, Berlin, 1897. *R. Hedde*, p. 126.

[3]) *Baumgartner*, p. 476 sq.

tatibus data, mansit tamen semper Petrarca animo sincere christiano. Id praesertim patet ex epistolarum collectionibus quatuor, quod princeps opus est Latina soluta oratione confectum. Excelso et casto sermone eminent celeberrima illa in Lauram poemata, Sonettae dicta. Petrarca autem nullum unquam suscepit ordinem sacrum [1]). **Ludovicus Marsigli** († 1394), Petrarcae discipulus et familiaris, ad quem scripserat memoratam supra epistolam, in monasterio Augustiniano San Spirito Florentiae, academiam quandam instituit. Viri literarum periti multi huic se adjunxerunt. Uberius etiam effloruit humanismus Florentiae, saeculo XV, regnantibus Mediceis. Floruit ibi, vere Christi pius discipulus, **Manetti** († 1459), Eugenii IV et Nicolai V familiaris, qui, plus quam sueverant, linguam Latinam, Graecam et Hebraicam callens, scriptis suis numerosis magnae doctrinae famam adeptus est. Ejus autem magister, **Ambrosius Traversari** († 1439), e Camaldulensibus et, inde ab anno 1431, congregationis Maranae abbas generalis, doctrinae suae excellentiam, non minus quam scriptis suis, ostendit Ferrarae et Florentiae, quando agebatur cum Graecis. Patrum quorundam aliorumque opera in Latinum sermonem vertit, quem optime calluit. **Lionardi Bruni** [2]) († 1444), prius magister domesticus apud Mediceos, dein *Secretarius Apostolicus*, tandem cancellarius Florentinus, vitam probe christianam duxit. Quae confecit opera, scripsit aut latinitate classica aut Graece. **Marsilius Ficino** († 1499) nimia veneratione Platonem honoravit, scripsit tamen opus valde utile, de immortalitate animae, et pulcherrime elucubratam christianae religionis apologiam. **Tortello** († 1466), bibliothecarius industrius, **Perrotti** († 1480) archiepiscopus, qui tum Latine tum Graece scribebat, **Maffeus Vegio** († 1458), qui sua linguae Latinae scientia celebre nomen adeptus est, hi omnes christiani fuerunt in fide firmi nec vacui pietate. Ex humanistarum numero duo ad sedem Pontificiam evecti sunt: **Thomas Parentucelli,** Nicolaus V († 1455), cui nemo ullo tempore Maecenas par ; et **Enea Silvio Piccolomini,** Pius II († 1464), qui sine dubio unus fuit e doctissimis suae aetatis viris,

---

1) *P. de Nolhac,* Pétrarque et l'humanisme, Paris 1892. Opera omnia Basil. 1554.

2) Hist. flor. populi libri XII, apud *Muratori,* Tom. XIX. περὶ πολιτείας Φλορεντινῶν. Ed. *Hasper,* Leipzig 1861.

classica eruditione eximie informatus. Quum jam Papae munere fungeretur et assidue operaretur in paranda crucigerorum expeditione, tamen etiam laborabat in conficiendo opere suo principe de geographia. Neque in aliis Italiae partibus humanismus aequiparandus fuit cum defectu a fide aut cum pugna adversus Ecclesiam aut monachos. Documento sunt viri eximii, **Loschi** († 1450) Mediolani, Veronae et Neapoli, **Da Feltre** († 1446) Mantuae, **Guarino** († 1460) Ferrariae, aliique.

5°. Papae et qui apud Papam in aula ministrabant, faverunt literarum redintegrationi. Versa vice haec non caruit sua efficientia in curiam. Floruerunt ibi eximie literae classicae et illius aetatis artes. At erant in humanismo bona saepe intime mixta malis. Sejungi et separata servari altera inclinatio ab altera vix aut ne vix quidem potuit. Currebant simul, quasi sociata, impetus ad ethnica, mentis superbia, libido, cum ardore fidei, caritatis fervore et generosis renuntiandi saeculo desideriis. Quamvis diu in curia superiores partes egerit redintegratio literarum christiana, subintravit tamen etiam ethnica. Turpissimus Poggio, annos 50, fuit secretarius Paparum septem; Leonardus Aretino et Valla membra fuerunt corporis *secretariorum apostolicorum*; Filelfo in amicitia fuit cum Nicolao V, et Beccadelli, legatus Neapolitanus, vixit in aula Pontificia. Etiam haud paucos cardinales corruperat invasio ethnicae redintegrationis literarum, jam inde a Sixti IV aetate. Cogita immoderatam luxuriam et mores dissolutos Rodrigo Borja, Ascanio Sforza, Balue, della Rovere, Sanseverino et Orsini, et, qui postea cardinales fuerunt, Cesare Borja, Petrucci, Sauli, Riario, Soderini, Castellesi, Bibbiena et Bembo. Quos omnes corruperant ethnica ista literarum studia, cum Alexandro VI et Leone X ipsam S. Sedem infectura.

6°. Prima humanismi semina in **Germaniam** transtulit Petrarca poeta, cum, legatus anno 1356 Pragae degens, cancellario imperatoris persuasit ut studiis veterum incumberet. Postea Poggio quoque et Vergerio Germaniam adierunt. Anno 1442, Enea Silvio, in cancellariam Frederici III cooptatus, multos nactus est discipulos, inter quos contumacem Gregorium de Heimburg, humanistice jam institutum. Eminuit autem prae reliquis **Nicolaus Cusanus** († 1464), e schola Daventriae, qui, omni scientia imbutus, solam promovere gloriam

Dei quaerebat et salutem animarum[1]). Ex eodem desiderio profluit schola **antiquiorum humanistarum,** quorum principes Zwollae[2]) studiis incubuerunt. Scholae fundator fuit **Rudolphus Agricola** († 1442—1485), natus Baflo prope Groningam. Studuit Zwollae et tantam latinitatis adeptus est peritiam ut *alter Virgilius* diceretur, et, etiam in Italia aliquot annos degens, admirationem apud viros doctos moveret. In promovendis veterum studiis fuit pro Germania, quod Petrarca fuerat pro Italia, sed pietate et morum integritate hunc longe superabat. Sepultus Agricola est Heidelbergi, vestitus habitu Franciscano[3]). Cujus discipulus, **Alexander Hegius** († 1498), e Westphalia, scientiis informatus in schola Zwollae, factus est anno 1469 rector Vesaliae, 1474 Emmerici et 1475 Daventriae. Eum appellavit Erasmus latinitatis instauratorem, ejusque Graecae linguae peritiam miratus est Murmellius. Eximiam scientiam cum pari pietate sociaverat. Senex profectus est Sponheim, Trithemii bibliothecam visurus, et redux Daventriam discipulis suis, numero 2200, narravit, ea quae vidisset exspectatione multo superiora esse[4]). **Rudolphus Lange** († 1519) quoque studuit Zwollae, factusque est primus in Germania poeta Latinus et per discipulos, quos Monasterii informavit, scholarum in Westphalia novator. Hujus amicus, **Mauritius de Spiegelberg** († 1485), Zwollae eruditus, ulteriori scientiae operam dedit in Italia, et inde redux, capituli Emmericii praeses, ibidem gymnasium in melius permutavit. Similia assequi conati sunt **Ludovicus Dringenberg,** inde ab anno 1450 magister Schlettstadanus, et **Joannes Murmellius** († 1517) Ruraemundanus; hic Daventriae, Hegio magistro, institutus, in scholarum usum libros composuit 24, qui in Hollandia et Germania in diuturno usu fuerunt. Insuper plura veterum opera edidit, solebatque dicere, studia literarum ad eum finem dirigi oportere ut in scientia et laude Dei cresceremus. Diu rectoris vicarius fuit Monasterii eoque accivit, anno 1512, Joannem Caesarium

---

[1]) *Thrithemii*, De vera studiorum ratione, fol. 2.

[2]) *Schoengen*, Die Schule von Zwolle, I Theil, Freiburg (Schweitz) 1898.

[3]) *R. Agricolae* Opera, Col. Agrip. 1539. *Tresling*, Vita et merita Rud. Agricolae, Groningae 1830.

[4]) *A. Hegii* Opuscula, Daventriae 1503.

humanistam[1]). Ipse iniit scholae Alcmariensis rectoratum, ubi praefuit discipulis 900, in partes octo dispertitis. Bonis et libris suis per incendium orbatus, Daventriam secessit Murmellius, atque ibidem quoque scientia et docendi peritia prae aliis eminuit. **Ortuinus Gratius** (1448—1535), ex honesta Daventriensi familia ortus Hollvici, cum laude docuit Daventriae et Coloniae, nullo modo dignus ludibrio, quo irridetur in *Epistolis obscurorum virorum*. Memorari praeterea merentur **Trithemius** (1516), doctus abbas Sponhemius ; **Conradus Peutinger,** qui edidit tabulam geographicam itineris Marci Aurelii, ex ejus nomine *tabulam Peutingerianam* vocatam ; **Heynlin de Stein** († 1496), princeps in universitate Basileensi ; **Sebastianus Brant,** auctor celeberrimi libri, cui inscriptio *Narrenschiff* (navis stultorum), qui cum **Jacobo Wimpheling** veterum scriptis et praesertim historiae incubuit.

7⁰. *Antiquiores illi humanistae* in Germania et Hollandia *christianam* literarum instaurationem promovebant. Veterum opera in deliciis habentes et assidue lectitantes, vitam vivebant castam, abstinebant a despicienda S. Theologia gaudebantque se vocari filios ingenuos Ecclesiae. Cum Hegio, doctrinam omnem exitiosam aestimabant, quae perditae pietatis pretio compararetur. **Juniores humanistae** econtra hostium more steterunt adversus Ecclesiam, renuentes ejus doctrinam ususque, scriptis suis et magis etiam turpitudine vitae suae insultantes legibus veri rectique, quas Ecclesia praescribit. Jam pridem signa instantis seditionis manifesta fuerant in Germania, praesertim in finibus Saxoniae et Thuringiae. Magno cum plausu et frequentia audiebatur Erfurtii **Conradus Mutianus Rufus** (1471—1526), qui, licet esset Daventriae institutus, religionis contemptor est factus, non abusus tantum sed ipsam Ecclesiam insectatus, omnemque hominis perfectionem collocandam ratus in studiis humanistarum. Erfurtii poetarum princeps fuit **Eobanus Hessus** (1488—1540), qui anno 1515 adhuc scripsit *virginum epistolas*, sed pauco tempore post laudibus extulit Lutherum et de Sickingen. Cum his Erfurtianis multum conversatus, **Crotus Rubeanus** (1480—1551), festivus humanismi promotor, a Luthero tamquam Epicureus notatus, postea ab eo recessit. Potentis-

---

[1]) *D. Reichling*, Johannes Murmellius, Sein Leben und seine Werke, Freiburg 1880.

simum autem defensorem humanismus iste, christianae fidei adversus, nactus est **Ulricum Huttenium** (1488—1523). Is, a parentibus suis Fuldae in schola monasterii collocatus, disciplinam non ferens, aufugit et ab eo inde tempore ingenti monachorum odio ardebat. Diu circuivit studiosus, emendicans unde viveret et, inde a vicennio, morbo turpi laboravit. Jactare solebat, se patriam amare; sed nulla alia re amorem istum demonstravit nisi convitiis in Francogallos, in Italos et praesertim in Summum Pontificem. Dicendi elegantia eminuit Huttenius. Nullum tamen ex ejus operibus tantum motum excitavit atque illud, quod, tempore litium Reuchlinianorum, simul cum Croto Rubeano edidit, inscriptum *Epistolae obscurorum virorum*.

Pfefferkorn, vir Judaeus ad fidem conversus, Coloniae acri studio operam suam collocabat in eo ut gentis suae homines ad fidem adducerentur. Maximilianus imperator praecepit ut libri talmudici examinarentur ab universitatibus Moguntina, Coloniensi, Erfurtiana et Heidelbergensi, a Jacobo Hoogstraeten inquisitore, a Victore Carbenensi sacerdote et a **Joanne Reuchlin.** Libros esse interdicendos censebant omnes, praeter Heidelbergenses. E quibus Reuchlin scripta talmudica defendit et injuriam intulit Pfefferkornio. Insuper ardore certaminis abreptus, non recte de rebus Ecclesiae scripsit. Opus ejus, cui titulus *Augenspiegel* (*speculum oculorum*), deprehensum est anno 1512. Quo facto provocavit Romam, quo ipse profectus est, se purgaturus. Interea amici ejus controversiam acerrimam inierunt cum theologis Coloniensibus. Non contenti remanserunt amici, ipsum Reuchlin jam edidisse epistolas eorum qui secum censebant (*Clarorum virorum epistolae latinae, graecae et hebraicae, variis temporibus missae ad J. Reuchlin Phorcensem*). Erasmus alteram procuravit editionem sui *Encomii Moriae* (1515), et Huttenius cum Croto Rubeano commentiti sunt collectionem epistolarum, missam ad Ortuinum Gratium humanistam, theologum Coloniensem. Eae sunt infames **Epistolae obscurorum virorum,** *ad venerabilem virum Magistrum Ortuinum Gratium Daventriensem, Coloniae Agrippinae bonas literas docentem, variis in locis et temporibus missae et in volumen coactae*[1]. Incredibile quantum libellus placuit. Oppositae

[1]) Locus editionis dicebantur Venetiae, sed probabiliter fuit Hagenau.

Gratii *Lamentationes obscurorum virorum* successum non habuerunt. Haud diu post, Lutheri exorta seditione, lites illae quidem oblivioni datae sunt, sed universitas Coloniensis cladem, sibi illatam ab humanistis Erfurtianis, amplius non superavit. Qui bene probeque sentiebant, recesserunt, reliqui cum Luthero Ecclesiam et populi christiani incolumitatem impetiverunt. **Desiderius Erasmus** († 1536), dempta sibi spe novae vitae, quam ab hominibus istis seditiosis expectaverat, ab iis recessit. Pie educatus in schola Daventriensi, sensit in pectore impetus animi propellentes ad contraria. Quippe certabant inclinatio ad mundana et desiderium perfectionis christianae; alliciebant humanistarum literae et vitae christianae sanctitas. Quietem animi nusquam adeptus est. In monasterio prius disciplinae impatiens, in saeculo deinde sibimet displicens, gloriam sibi vanam comparare acri ardore studuit, factusque est quasi Europae oraculum; at motuum aequabilitatem, quod animi magni indicium est, nusquam ostendit. Ingenii magnis dotibus, scientia et auctoritate potuit esse propugnator Ecclesiae praestantissimus. At certamen illud detrectavit, prius clericos Ecclesiae et monachos ludibriis obruens, dein monachos, qui uxorem ducerent et *Evangelium purum* praedicarent. Priora ejus scripta pia fuerunt. Coepit insectari clericos libro *Enchiridion militis christiani*. Thomae Mori aegroti animum oblectaturus, scripsit in Anglia suum *Encomium Moriae* seu *Laus stultitiae*, quod opus, licet vel ipse Leo X id in deliciis habuerit, incredibile tamen quantum nocuit, praesertim auctum commentariis Gerardi Listrii (1515). Huttenium impugnavit opere *Spongia Erasmi adversus aspergines Hutteni*, quod anno 1524 edidit, eodemque anno etiam in certamen incidit cum Luthero, libro *De libero arbitrio diatribe*. Sensit Erasmus, se et humanismum suum, in tanta commotione reformationis, fere oblivioni dari. Perrexit tamen scribere. Edidit opus suum princeps *Colloquia* et multa opera veterum classicorum et Patrum, plures quoque versiones. Studiis humanitatis ita incumbere perrexit ut, quemlibet librum ejus hoc tempore elucubratum legens, haud diceres mundum quasi arsisse incendio. Vix quidquam auctoritatis in res agendas ei supererat. Lovanii instituit cum aliis *Collegium Trilingue*, fruebaturque amicitia Paludani, Gaverii, Dorpii, Barlandi, Barsali, Ceratini et Goclenii. In Hollandia fovebat Joannem Secundum. Vidit praeterea in Anglia humanismum, quem

tantopere promoverat, per defectionem a fide Ecclesiae prolapsum [1]). Plures ibi floruerant viri vere praeclari, magnam partem clerici: Robert Fleming, William Grocyn, Thomas Linacre; prae ceteris beat. **Thomas Morus** (*Utopia 1516*), qui satyras festivas et serias cum magna elegantia scripsit [2]); et beat. **Joannes Fisher,** qui non tantum fuit Ecclesiae defensor, sed etiam literarum et scientiarum promotor devotus [3]).

---

[1]) *Erasmi* Opp. omnia emend. et auctiora, Lugduni Batav. 1702—1706 (Tomi XI). *E. Emerton*, Desiderius Erasmus of Rotterdam, London 1899.

[2]) *Bridgett*, Life and writings of sir Thom. More, London 1892. *K. Kautsky*, Thomas More und seine Utopie, Stuttgart 1907. *Thomi Morae* opera omnia, Francof. et Lipsiae 1689.

[3]) *A. Zimmermann S. J.*, Die Universitäten Englands im XVI Jahrh. Ergänz. St. a. M. L., 1889.

CAPUT QUINTUM.

Vita religiosa et artes ecclesiasticae.

§ 134—§ 135.

§ 134. **Vita religiosa.**

Funk, Die Entstehung der heutigen Taufform (Abhandl. u. Unters., Paderborn 1897, I, 478 sq.). *Hoffmann*, Geschichte der Laienkommunion, Speir 1891. *Paulus*, Die Reue in den Deutschen Beichtschriften des ausgehenden Mittelalters (Zeitschr. f. Kath. Theol., 1904, p. 1 sq.). *Frédéricq*, La question des indulgences dans les Pays-Bas au commencement du XVI siècle (Extrait du Bull. de l'Académie de Belgique), Bruxelles 1899. *Zanotto*, Storia della predicazione nei secoli della litteratura italiana, Modena 1899. *Gasquet*, Religious instruction in England during the XIV and XV century (Dublin Review, 1894). *J. R. G. Acquoy*, Het geestelijk lied in de Nederlanden vóór de Hervorming, 's Gravenhage 1883. *Idem*, Kerkliederen en Leisen (Archief voor Nederl. Kerkgesch. VI, 217 sq.). *F. van Duyse*, Het oude Nederlandsche lied. Wereldlijke en geestelijke liederen uit vroegeren tijd, teksten en melodieën, 's Gravenhage—Antwerpen 1903 sq. 3 Tomi. *Bäumker*, Das Katholische Kirchenlied, Freiburg 1886. *Idem*, Ein Deutsches geistl. Liederbuch mit Melodieen aus dem XV Jahrhundert, Leipzig 1895.

1°. **Baptismus** saeculo XIII, sicut antea, solebat fere unice conferri per immersionem. Saeculo XIV, saepius quam antea, collatus est per aspersionem; non tamen hic conferendi modus communis factus est; plura exstant testimonia immersionis quam aspersionis. At saeculo XV aspersio in adeo frequenti usu venit, ut Graeci de hac novatione conquesti sint. Memoratur tamen adhuc immergendi modus in Synodis Passaviensi 1470, Herbipolitana 1482, Vesontionensi 1571. Saepe ad formam *baptisterii* unum alterumve modum usurpabant. In *Agendis* protestanticis et in *Book of common prayer* immersio praescripta est. Diutissime stetit in ecclesia Ambrosiana.

2°. **S. Communio** [1]) jam superioribus saeculis suscipiebatur

[1]) *Funk*, Der Kommunionritus, Abh. u. Unt., I, 293 sq.

sub una specie extra Sacrum. Altera media parte saeculi XIII is usus etiam intra Sacrum satis communis factus est, et saeculo XIV vix quisquam defendit usum calicis. Ad quam consuetudinem inducendam juvit imprimis periculum ne qua pars Sacri Sanguinis decideret, dein hinc inde oborta opinio, Christum non esse integre praesentem sub una specie. Multo post adhuc occurrunt reliquiae consuetudinis prioris. Durandus narrat[1]), in nonnullis locis, quae restarent de S. Sanguine solere misceri cum vino et dari fidelibus post communionem. Solae Hussitarum turbae hac periodo ad tractandum de hac re propulerunt. Universe non fuit fervidum S. Communionis desiderium. Quod tamen nonnihil in melius excitatum est per mysticorum conamina et per instituta Gerardi Magni. Windesemi et in grandi numero ei subjectis domibus, fratres laici singulis quindenis ad S. Mensam accedere solebant[2]). Hoc idem etiam praescripsit Joannes Busch in monasteriis ab ipso novatis, nisi ob festum solemne communio paululum praeverteretur aut differretur[3]). Windesemensis familia muliebris, *Fratres et Sorores vitae communis*, et praecipue *Imitationis Christi* liber IV ad inducendam Communionem frequentem vim magnam habuerunt. Quae instituta etiam id effecerunt ut sacerdotes saepius facerent **Missam.** Quod multae quoque conatae sunt obtinere synodi. In Hispania obligabantur sacerdotes dicere Sacrum *ter* vel *quater* singulis annis[4]). Arrandae, anno 1473, statutum est ut episcopi ter in anno, sacerdotes quater sacrum facerent. Debuit interdici adhuc saeculo XVI (1517—1518) ne plus semel de die fieret[5]). Quod fideles non satis assisterent Sacrificio Missae, hac periodo fere conquesti non sunt. Immo vero valde multi etiam per hebdomadem assistere solebant. Vigebat adhuc praeceptum audiendi Missam in ecclesia *parochiali*[6]), paulatim tamen in desuetudinem abiit. Anno demum 1517, Leo X declaravit, omnes fideles satisfacere praecepto, etiam si Missam audirent in

---

[1]) Rationale divin. off., IV, 42 sq.
[2]) Chron. Wind. ed. *Grube*, p. 117.
[3]) De reform. monast. ed. *Grube*, p. 637.
[4]) Tarragona (1317) can. 6. Tolet. (1324) can. 7.
[5]) *Hefele*, VIII, 748.
[6]) Cf. Cap. 2 de par. et al. par. (3, 24).

ecclesiis *mendicantium* [1]). Optima precatio **inter S. Sacrificium Missae** aestimabatur meditatio de passione Domini. At in hac quoque causa nonnulli modum excesserunt, censentes peccare eum qui preces diceret [2]). Immodicam verecundiam in hominibus medii aevi vix quaesieris. Attamen conquesti quoque sunt de indigna agendi ratione in aedibus sacris. Sacerdotes haud raro malo exemplo erant, tempore Missae de rebus non necessariis cum laicis loquendo. Afferebantur canes, feles et falcones; viri vulgo assistebant tecto capite. Familiarius saepe sancta tractabant. Documento sunt crebrae Missae imitationes ridiculae, quarum nostra aetate odium concitant vel ipsae inscriptiones: *Missa de potatoribus*, *Missa satyrica in honorem Bacchi*, *Missa potatorum et lusorum* [3]).

3⁰. **Poenitentia publica** saeculo XIII adhuc fuit in usu [4]). Obsolevit tamen et paulatim, saeculo XV et XVI, abolita est. Post concilium Tridentinum vero in pluribus synodis patefit ejus desiderium; quod tamen stabile non fuit [5]). Econtra **indulgentiae** plenariae valde increbuerunt [6]). Concedebantur a Papa ut reciperentur collationes pro bello adversus Turcas, vel pro aedificandis ecclesiis. Requirebatur semper status gratiae et collatio pro cujusque viribus, in cujus locum pauperibus aliud opus bonum imponebatur. Concedentes autem has indulgentias, Papae vulgo utebantur formula *plenissimae omnium peccatorum veniae* [7]), intelligentes peccata cum poena aeterna remitti per confessionem, poenas temporales vero, in hac vita vel in purgatorio solvendas, condonari per indulgentiam. Perpetua haec fuit Ecclesiae doctrina, ita ut falsa sit omnis alia interpretatio [8]). Non ita lucide multi cogitabant de **indulgentiis pro defunctis** [9]). Fuerunt qui dubitarint, an possent indulgentiae applicari defunc-

---

[1]) Breve: Intelleximus, Bull. Rom., Tom. III, 3, p, 462.
[2]) Ita *J. Mauburnus* in suo: Rosetum exercitiorum spiritualium.
[3]) *A. Franz*, Die Messe im Deutschen Mittelalter, Freiburg 1902. Anlage IV.
[4]) Summa Theolog. Suppl., q. 28, art. 3.
[5]) Sess. XXIV, Cap. 8 de ref.
[6]) *N. Paulus*, Hist. Jahrb. d. Görresges., XVI, 37. Der Katholik, 1899, I, 484 sq. Zeitschr. f. Kath. Theol., XXIII, 48 sq.; 423 sq.; 743 sq,
[7]) *P. Albers S. J.*, Het jubilé in de middeleeuwen, Studiën, Dl. 54 (1900).
[8]) Archief van Kist en Rooyaards, Dl. IX, 64 sq.
[9]) *N. Paulus*, Hist. Jahrb. XXI, 645 sq.; Zeitschr. f. Kath. Theol., XXIV, 1 sq.; 249 sq.

tis, quippe qui non amplius ad Ecclesiae jurisdictionem pertinerent. Praedicatores indulgentiarum econtra saepius asseruerunt, eas certo et plene defunctis prodesse, imo vero nonnumquam addiderunt, pro his lucrandis non requiri statum gratiae. His sententiis dubiis aut exaggeratis praecipui doctores scholastici opposuerant doctrinam, posse indulgentias applicari defunctis [1]). Jam pridem etiam Papae has indulgentias concesserant, et multiplicarant paulatim **altaria privilegiata**. Semper tamen expressis verbis declaratum est, indulgentias applicari defunctis *per modum suffragii.*

4°. **Dies festivi** [2]) perpetuo hac periodo crebriores instituti sunt. Festum *S. Trinitatis*, multis in locis, non tamen Romae, agi solitum, anno 1334 a Joanne XXII statutum est celebrandum in tota Ecclesia. *Visitationis B. M. V.* dies, schismatis tempore ab Urbano VII et Bonifatio IX institutus, sed non ubique observatus, anno 1475 a Sixto IV instauratus et, addita octava, solemnior factus est [3]). Postquam idem Papa officium Immaculatae Conceptionis B. M. V. approbavit, acris exorta est de hoc mysterio controversia. Anno autem 1483 edita bulla est, qua damnabatur quicumque diceret, profitentes B. M. V. esse immaculate conceptam et hujus mysterii festum agentes, reos esse haeresis. Festum igitur nondum universe celebrabatur, sed propter hanc Papae declarationem multo latius permanavit [4]). Anno 1371 festum *Praesentationis B. M. V.* ex oriente in occidentem translatum est et pauco tempore pervulgatum. Sixtus IV officium hujus festi breviario addidit inter *festa pro aliquibus locis;* Sixtus V ad universam Ecclesiam extendit. Licet in S. Scriptura S. Josephus vocetur *justus*, ejus tamen festus dies sero valde coepit agi. Occurrit ejus nomen primo relatum in *Calendario* koptico, paulo post in *synaxario*, saeculo IX; saeculo X in nonnullis martyrologiis, exempli gratia in Fuldensi.

---

[1]) *Raymundi de Pennafort* Summa de poenitentia et matrimonio etc. Romae 1603, p. 497. *Alberti Magni* Comm. in IV Sent., d. 20, a. 18, 9, 3. Opp. XXIX, Parisiis 1894. *S. Thomae* Summa Theol., Suppl., q. 74, a. 10.

[2]) *Kellner*, Heortologie, Freiburg 1901.

[3]) *Raynald*, ad ann. 1475, n. 34.

[4]) De patribus nonnullis Dominicanis, falso accusatis et interfectis, vide *Paulus*, Ein Justizmord an vier Dominikaner begangen (Frankfurter zeitgem. Broschüren, 1898, n. 3).

Privatim tamen colebatur, verbi causa a S. Bernardo, S. Gertrude, S. Birgitta, S. Vincentio Ferrerio aliisque. Gerson multam operam suam contulit, etiam in synodo Constantiensi, ut S. Josephi cultus latius divulgaretur, composuitque officium de *Desponsatione*. Deinde Sixtus IV S. Josephi *festum simplex* addidit breviario Romano, 19 Martio. Festum factum est de praecepto anno 1621[1]).

5⁰. Inde a saeculo XIII **Ave Maria**[2]), i. e. salutatio angelica cum additis verbis S. Elisabeth, in usum universum venerat. Saeculo XV adjectum est nomen *Jesus* et saeculo XVI precatio *Sancta Maria* etc. Inde ab antiquissimis temporibus usus fuit numerandi *Pater Noster*, postea quoque *Ave Maria*, ope funiculi nodati aut globulis distincti. **Rosarium**[3]) vero proprium, multo serius natum, non a S. Dominico videtur institutum. Quod fere certis argumentis probatur. Nemo ante alteram saeculi XV mediam partem retulit, rosarium a S. Dominico originem ducere. Vel ex ipso S. Dominici ordine, cujus magnum fuit cultus B. M. V. promovendi studium, monumentum authenticum nullum, de rosario tractans, proferri potest, ante annum 1487 confectum. Prima bulla Pontificia, quae rosarium memoret, edita est 1478. Alexander VI S. Dominicum nominavit (1495), dum patribus Dominicanis rosarium divulgandum commendaret. Quare viri docti, ipsi etiam Dominicani, concluserunt, rosarium a S. Dominico neque institutum nec pervulgatum esse. Quae narrantur legendaria de S. Dominico et rosario, veri simillime primum relata sunt ab Alano de Rupe[4]), Dominicano, qui ad finem saeculi XV multam curam posuit in promovendo rosarii usu. Inventum autem rosarium videtur priore saeculi XV media parte, nec sine causa nonnulli auctorem putant Henricum a Calcar († 1480), priorem Carthusianorum Munnikhui-

---

[1]) *J. Seitz*, Die Verehrung des H. Joseph in ihrer geschichtl. Entwicklung bis zum Konzil von Trient, Freib. i. B. 1908.

[2]) Hist. Jahrb. d. Görresges., 1884, p. 88 sq.

[3]) *Thurston*, Our popular devotions, II. The rosary (The Month, A Cath. Magazine, London, Oct. 1900—April 1901). *Holzapfel*, St. Dominikus und der Rosenkranz, München 1903. *V. Heeswijk*, in Dietsche Warande en Belfort, Antw. 1903—1904. *Meyer*, De Katholiek, 1903, Dl. 124, p. 395 sq. *Kronenburg*, Maria's Heerlijkheid in Nederland, Dl. III, p. 232 sq. *Beissel*, Gesch. der Verehrung Marias in Deutschland während des Mittelalters, Freiburg i. Br. 1909.

[4]) *Echard*, Scriptores ordinis Praed., Tom. I, p, 849.

zen prope Arnhemium et Ruraemundae et Coloniae [1]). Mysteria addidit Dominicus Prutensis († 1461), Carthusianus Trevirensis [2]). Celeris autem fuit hujus exercitii devotionisque divulgatio, ita ut jam anno 1478 Sixtus IV memoret confraternitatem rosarii.

Angelus [3]) ortum habuit e pulsu campanae *vespertino*, saeculo XIII jam in usu, et saeculo XIV in consuetudine fere universa. Episcopi saepe indulgentiam concesserunt iis, qui, hoc sono audito, dicerent semel aut pluries *Ave Maria* (in Tiroliis finibus jam 1233). Ab ineunte saeculo XIV memoratur etiam pulsus *matutinus*. Indulgentiae leges variae tum fuerunt: *Ave Maria* semel aut pluries, *Pater Noster* semel, *Pater Noster* quinquies in honorem vulnerum Christi, *Ave Maria* septies, memorando gaudia septem B. M. V. Saeculo XIV ad exitum vergente, sensim pulsus *meridianus* quoque usurpatus, quo audito etiam precabantur, ad lucrandas indulgentias, aliquoties *Pater Noster*, aut *Ave Maria*, aut psalmum aliquem. *Angelus Domini*, qua forma nos utimur, primum occurrit medio saeculo XVI et fere communis evasit saeculo XVII.

Hierosolymis, jam ex antiquo, peregrinantes repetebant viam, quam Christus ierat in montem Calvariae, sistebantque precantes in locis, ubi e traditionis testimonio res praecipuae gestae fuerant. Quibus locis mox inditum nomen *stationum*. Imitati haec sunt christiani, in occidente, per effictas rerum gestarum imagines, quae propterea vocabantur etiam stationes. Quae tamen **via crucis** [4]), qualis hodie in usu est, non invenitur in occidente ante saeculum XV. In eligendis dein stationum argumentis non adeo conati sunt exprimere, quae Hierosolymis

---

[1]) Rosarium beate Virginis, Valer. Andr., p. 356. Enen Psalter toe laven der glor. jofferen Maria, die Henricus Calcar Carthuser gemaekt hevet. Den Haag, Koninkl. Bibl. HS n. 222.

[2]) *Esser*, Die ersten Spuren von Betrachtungen beim Rosenkranz (Der Katholik, 1897).

[3]) Zeitschr. f. Kath. Theol., 1901, p. 348. Hist. Jahrb. d. Görresges., 1902, p. 22; p. 247; p. 755.

[4]) Der Katholik, 1895, I, 226. Stimmen a. M. L., 1897, II, 336. *Keppler*, Die 14 stationen des H. Kreuzweges (7e Aufl.), Freiburg 1897. *H. Thurston*, The stations of the Kross. An account of their history and devotional purpose, London 1906; id. Gallice ab *A. Roudinhon*, Paris 1907. *Kneller S. J.*, Gesch. der Kreuzwegandacht (Ergänzungsh. St. a. M—L.), Freiburg i. Br. 1908.

christiani venerabantur, sed potius quae referebantur in libris, ad pietatem excitandam in occidente compositis. Quae hodie poni solet imaginum seu stationum series, ortum ducit ex hujusmodi libro, saeculo XVI Lovanii conscripto a Joanne Pascha, Carmelita. Fratres Minores Hierosolymis hanc seriem etiam ipsi demum assumpserunt. Tamen adhuc saeculo XVII non fuit ubique idem nec numerus nec ordo stationum neque argumentum. His 14 stationibus indulgentiae concessae sunt, anno 1686, ab Innocentio XI.

Memorari demum hic debet **Missa aurea** [1]), quo nomine appellabatur *Missa B. M. V. tempore Adventus*, quae solemniter cantari solebat *feria IV Quatuor temporum Adventus*. Propterea quod vulgo major cum hac Missa putabatur conjuncta esse gratia, dicebatur *aurea*, i. e. praestantia eminens.

6°. Exeunte medio aevo, **Sermo** [2]) non solum neglectus nullo modo est, sed saepe factus, idque idiomate populi. Celeberrimi hac aetate floruerunt praedicatores: S. Vincentius Ferrerius, S. Bernardinus Senensis, S. Joannes Capistranus, Gerson, Geiler de Kaisersberg; et e mysticis: Gerardus Magnus, Brugman, Joannes de Gronde, Thomas a Kempis, Joannes Brinckerinck, Wermboldus Ultrajectinus, Dionysius Carthusianus aliique. Videntur ubique multum praedicando incubuisse ordines mendicantium [3]). Numerosae fundabantur Missae cum sermone. Ortae sunt collectiones sermonum magno numero: *Sermones de Tempore*, *Sermones de Sanctis*, *Sermones dominicales*, *Sermones festivales*, *Sermones quadragesimales*, *Sermones adventuales*, *Sermones Mariales*. Etiam edita sunt multa manualia homiletica, quorum prae ceteris frequenter usurpatum est *Manuale Clericorum* Ulrici Surgant. Praedicabant hac aetate sermone vulgo gravi, ad motus animi concitandos aptissimo, nonnumquam

---

[1]) *A. Franz*, Die Messe im Deutsch. Mittelalter, Freiburg 1902, p. 282—286, ubi refertur Missa e Saeculo XV. *B. Kruitwagen O. F. M.*, De gulden Mis (De Katholiek, 1907).

[2]) Tüb. Quart., Jahrg. 1861—1862. Hist. Jahrb., Jahrg. 1882—1883. *Janssen*, Gesch. d. D. Volkes, I Bd. *Pastor*, Gesch. d. Päpste, III Bd. *Albert*, Geschichte der Predigt in Deutschl. bis Luther, Gütersloh 1892—1893. *W. Moll*, J. Brugman, Amsterdam 1854, p. 147—187.

[3]) *Pastor*, l. c. p. 128. *Moll*, l. c., p. 148 sq.

tamen nimis rudi vulgarique, et saepe liberrimo in castigando peccato illo maxime vulgato. Si inspicis *Specula exemplorum* superstita, mirum qualia exempla, et miraculorum narratiunculae populo proponebantur, et, qui humanistica eruditione erant informati praedicatores, e veteribus scriptoribus ethnicis potius quam e S. Scriptura hauriebant demonstrandae doctrinae argumenta. Generatim tamen fuerunt sermones ad captum auditorum aptissimi, tractantes praecipua fidei dogmata, cohortantes ad morum vitaeque rectam mutationem, ad fidendum meritis Christi. Hinc inde tamen etiam inveniuntur cavillationes posterioris doctrinae scholasticae, e suggestu propositae. Supersunt quoque *conciones funebres* et *nuptiales*. De passione Domini saepe praecipuo studio contionabantur. Quo argumento occupati, fideles nonnumquam, die *Parasceves* praesertim, distinebantur horas quinque vel sex continuas. Quae tum nimis theatralia proferebantur, iis videntur homines illius aetatis non offensi fuisse.

7°. Magna fuit **populi instruendi** cura [1]). Documento sunt synodi [2]) et praesertim magno numero libri catechetici aliique pii, pro populo confecti. In Hispania anno 1330 editus est, multorum manu versatus, *Manipulus pastorum*, auctore de Monte Montherio Dominicano. Caput primum continet catechesin, ad usum valde accommodatam, Synodi Lavacensis (1368). In Germania ad manus habebant *Pulchram Christianam instructionem* (Eine schone krestenliche Unterweisung), auctore Christiano de Honeff, Franciscano; dein *Viam ad caelum* (Himmelstrasz), *Speculum vitae* (*Spiegel der Sitten*), *animarum hortulum herbis aromaticis plenum* (*Selenwürtzgertlein*), *animarum solatium* (*Selentrost*), *animae hortum vini* (*Weingarten der Sele*), *solatium apud Mariam* (*Marientrost*), *venatum spiritualem* (*Geistliche Jagd*) [3]). *Solatium animae* (Selentrost) iterum typis mandatum est in Hollandia et saepissime *Speculum christianorum* (Kerstenspieghel), auctore fratre Diderico Monasteriensi. In crebro usu fuit *Summa Regis* (*Des conings somme*), versa e Gallico *Somme le roy*. Lectitabatur

---

[1]) *Falk*, Die Drukkunst im Dienste der Kirche, Köln 1879. *Idem*, Die Deutschen Sterbebüchlein, Köln 1890.

[2]) Vallissoleti 1322, can. 2; Lavacensis 1368; Pragensis 1381; Suderkopingana 1441; Eichstadiana 1447; Andegavensis 1448; Basileensis 1503 etc.

[3]) Hist. Jahrb., VI, 345—412.

etiam *Tabella fidei christianae* (*Tafel van der Kersten ghelove*), auctore Diderico a Delft, praedicatore in aula Alberti comitis, inde ab anno 1399; *Speculum fidei christianae* (*Spiegel des Kersten gheloefs*), a medio saeculo XV; prius jam editus fuit celeberrimus *Gnotosolitos* Arnoldi a Geilhoven. Huc etiam referendum est opus illud notum Dionysii Carthusiani *De vita curatorum*, cujus singulis capitibus additae sunt interpretationes catecheticae[1]). Creberrimi etiam fuerunt, qui dicebantur, *libri confessionales*. Horum in Germania noti sunt 59. Prae reliquis in maximo usu fuit *liber confessionalis* Joannis Wolfii, sacellani Francofordensis. In Italia adeo fuerunt multi, ut eos mari immenso aequipararet Savonarola. In Hollandia saepe lectitabant *Gnotosoliton* (*Spiegel der conscientie*); *Summam* (*Somme*) Joannis de Rode; opus etiam Diderici a Delft, supra memoratum; *Cancellarium* (*Die Cancellier*), quo continentur quae *ad confessionem pertineant* (*wat der biechten toebehoort*).

8⁰. Multum etiam ad instruendum populum contulerunt **cantica religiosa,** quorum usus frequentior fuit quam nostris temporibus. Fuerunt, praesertim saeculo XV currente, collectiones multae. In sola Germania, ab annis 1470—1520, editae fuerunt fere 100. Etiam in Hollandia frequens fuit canticorum usus[2]). Collectiones continebant hymnos, cantica liturgica, sequentias, psalmos poenitentiales, et multa etiam carmina, inventione propria composita.

Valde delectabantur homines **spectaculis religiosis**[3]), quae rure etiam in aedibus sacris edebantur. Magna erat nonnumquam actorum multitudo, praesertim saeculo XV. Haud raro fabula agebatur plures dies continuos. Uberes fuerunt horum ludorum fructus. Acerbe hinc inde actores impetebant clericos,

---

[1]) *Servaas Dirks*, Histoire littéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l'observance de S. François en Belgique et dans les Pays-Bas, Anvers (sine anno). *Campbell*, Annales de la Typographie néerlandaise au XV siècle etc.

[2]) Praeter opera supra relata, cf. adhuc pro Hollandia *G. Kalff*, Geschiedenis der Nederl. Letterkunde in de XVI eeuw, 2 Deelen, Leiden 1889 et Groningen 1905 sq. *Jonckbloet*, Nederlandsche Letterkunde, II, 396 sq. *Moll*, Joannes Brugman, Dl. II. *Knuttel*, Het geestelijk lied, Rotterdam 1906 et supra citata.

[3]) *Wijbrands*, in Studiën en Bijdragen, III, 193—293. *G. Kalff* op. cit. *Endepols*, Het decoratief en de opvoering van het Middelnederlandsche drama volgens de Middelnederlandsche tooneelstukken, Amsterdam 1903.

at numquam fuerunt Ecclesiae adversi, neque tum quum ludorum argumenta adhibebantur profana. Paulatim clerus conatus est efficere ut ne agerentur ludi in ecclesiis. Perstitit tamen usus hic in multis locis saeculo XV et XVI: Hagae Comitis 1404; Ultrajecti adhuc 1418 usus fuit agendi fabulam Herodis in ecclesia cathedrali, die Regum festo; Lirae 1438; Damme saeculo XV; Lovanii saeculo XV; Ostendae adhuc 1517; Silvae Ducis eodem anno; Geraertsberge 1548 etc.

---

§ 135. Ars ecclesiastica.

F. X. Kraus, Synchronistische Tabellen zur christlichen Kunstgeschichte, Freiburg 1880. *Idem*, Gesch. der christl. Kunst, II, 2, Freiburg 1908; perfecit et edidit *Sauer*. *Springer — Weissman*, Geschiedenis der beeldende Kunst, De Renaissance, Leiden s. a. *Adolf Fäh*, Grundriss der Geschichte der bildenden Künste, Freiburg 1897. Herder's Bilderatlas zur Kunstgeschichte, mit kurzer Übersicht über die Kunstgeschichte, Freiburg s. a. *Erich Frantz*, Geschichte der christlichen Malerei, 2 Bde. Freiburg 1887—1894. *Reusens*, Archéologie chrétienne, II éd, 2 vol., Louvain 1885—1886. *P. W. von Keppler*, Aus Kunst und Leben, Neue Folge, Freiburg 1906. *C. Ed. Taurel*, De christelijke kunst in Holland en Vlaanderen, Amsterdam 1889. *Emile Male*, L'art français de la fin du moyen-âge. Les aspects nouveaux du culte des Saints. L'art et les Saints, in Revue des deux mondes, 1908, Février etc. *Idem*, L'art relig. de la fin du moyen-âge en France, Paris 1909. *A. Venturi*, Storia dell'arte italiana, vol. IV—V, Roma 1906—1907. *James Burns*, The Christ face in art, London 1907.

1°. **In architectura,** hac periodo, universe vigebat adhuc structura Gothica (cf. § 116). In intimam structurae Gothicae indolem perspiciendam artifices meridionales numquam penetrarunt. In ornando fere unice versati sunt. Descriptio aedium Gothicarum Italicarum vix a veterum basilicarum forma discrepabat. Exemplo sint *S. Francisci* Pistorii et *S. Francisci* Cremonae. Referri deinde debent cathedralis Florentiae, aedificata 1296, novata 1357; *S. Francisci* Assisii, saeculo XIII; cathedrales Senarum (1259) et Herbani (Orvieto 1290); *Campo Santo* Pisis et *Sancta Maria Novella* Florentiae (1278—1350). Praestantiores ecclesiae structura Gothica posteriore sunt cathedralis Mediolanensis (1386) et *S. Petronii* Bononiae. Idem dici potest de Hispanica structura Gothica. Pulcherrima artificia sunt cathedrales Burgensis, cujus frons et tholus structura Gothica posteriore exacta sunt, Toletana (saeculo XIII), Leonensis (saeculo XIII), Barcinonen-

sis (saeculo XIV). Structura Gothica posteriore aedificatae etiam sunt cathedralis Hispalensis et turris obliqua Caesaraugustana.

2°. Humanisticis inclinationibus propulsi, artifices Italici redierunt ad vetera Romana exemplaria, non quidem imitando sed retractando et novando, ut inde orta sit structura nova, cui nomen **renascentiae** est datum. Ad hujus structurae characterem pertinent: camera convexa, tholus; aspectus libratus potius quam perpendicularis, quo animi intuentium dirigantur ad ea quae circumstent, magis quam ad altiora evehantur; ingens aedificii moles, aspectu gravis; opus latericium potius quam lapideum; aedes amplae, lucidissimae, parietibus conclusae latis planisque, opere pictorio et caelatorio ornatis; tota demum ratio aedificii in ornatu magis posita quam in structura. Patria et postea centrum hujus novae architecturae Florentia fuit. **Brunellesco** (1377—1446) ibi, anno 1420, descripsit tholum ecclesiae cathedralis et nova hac structura aedificavit *S. Laurentii* basilicam. Habetur structurae renascentiae inventor. Sacristia in *San Spirito*, pulchra *capella Pazzi* in *Santa Croce* eum quoque habent auctorem. Qui eum secutus est, **Alberti** (1402—1472), aedificavit frontem *Mariae Novellae* Florentiae. Eminuerunt praeterea Antonio († 1534) et Giuliano da Sangallo († 1416). Mediolani tholus *santa Maria delle Grazie* exstructus est a viro celeberrimo **Bramante** († 1514), qui anno 1506 inchoavit basilicam S. Petri Romae, prae ceteris ingens praestantissimumque renascentiae artificium, cui perficiendo operam quoque dederunt Peruzzi, Rafael, Michelangelo aliique.

3°. **Sculpturae** ars saeculo XIV, si Italiam excipias, multum a pristino nitore recessit. Lineamentorum formae et sculpendi recta ratio manum artificis produnt, sed justo major ad idealia inclinatio eo propulit ut exaggerarent et nimis ex conventu operarentur. Exeunte saeculo XV, denuo ars incorrupta, ad naturae normam conformata, excitata est in *Germania*. Neurenbergae fuerunt celeberrimi artifices tres: **Veit Stoss** († 1533); dein **Adam Kraft** († 1507), cujus est pulcherrimum *sacramentarium;* et **Peter Vischer** († 1529), quem Oeniponte monumenta *Sebaldi* et *Maximiliani I* fama artificis illustrarunt. Herbipoli arti incubuit Tilmannus Riemenschneider († 1531). Ulmae notus ille **Jörg Syrlin** († circa 1474). Ad Rhenum quoque nonnulli artifices floruerunt, e. c. Calcar, Xanten et Cliviae. In Tirolorum finibus **Michael Pacher** († 1481), cujus opus princeps est

altare *S. Wolfgangi*. Nullibi tamen uberius haec ars floruit quam in *Italia*. Jam pridem nata, ad adultae aetatis perfectionem provecta est ab **Andrea Pisano** († 1349), auctore unius celeberrimae portae *baptisterii* Florentini. Pari artificio illustris est **Orcagna** († 1368), qui exegit tabernaculum in *Or San Michele*. Pulcherrimum etiam superest monumentum *S. Augustini* Paviae (1362). Praeter hos artifices, qui sculpturae artem aetatis prioris renascentiae induxerunt, multi alii eandem artem eximie calluerunt. Inter quos eminet **Ghiberti** († 1455) Florentiae, qui sculpsit ibidem reliquas portas celeberrimi *baptisterii*. Exaggerata ab eo naturae imitatio condonatur pulchritudine imaginum. Cui par, sed intemperantior, fuit Donatello († 1466), artifex *S. Georgii in Bargello* Florentiae, et *prostyporum S. Antonii* Patavii. Celebritate insuper floruerunt Lucas († 1482) et Andreas († 1528) **della Robbia** ob venustissima opera e terra cocta; **Verrochio** († 1488); Quercia († 1438) Senis; Leopardi († 1522) Venetiis et artifices plures, qui elaborarunt *Certosa di Pavia*. **Andreas Sansovino** († 1529) jam transiit ad posteriorem renascentiam.

4°. Novo vigore etiam floruit saeculo XIV ars **picturae.** Numerosae tabulae altarium pictae sunt in Germania, plerumque *tempera*, in recessu aureato. Ad altiorem perfectionem attigit *schola Flaminga* saeculo XV. Fratres Hubertus (†1426) et Joannes (†1440) **van Eyck** novum iter aperuerunt, emendato pigmento oleoso. Quorum opus princeps est *adoratio Agni*, tabula altaris Gandavensis. In *schola Brabantina* eminuerunt, uberrimus pictor sed intemperans, Rogerius van der Weyden († 1464) et **Didericus Bout** († 1475), ex Hollandia, illustris ob venustissima topia in recessu altarium. **Hans Memling** († 1494) scholarum peculiaria sociavit in suis *altari S. Joannis*, *scrinio S. Ursulae*, *gaudia Mariae* etc. Praeterea memorari merentur Petrus Christus (saeculo XV), Gerardus David, natus Oudewater circa 1460, Engelbrechtsen, natus Lugduni Batavorum 1460, Lucas Lugdunensis, natus 1494, Joannes Mostaert a Haarlem, natus 1474, Joannes Joest e Calcar etc. Effectum artis scholarum Flamingae et Brabantinae subierunt in Germania Joannes et Gulielmus **Pleydenwurff, Michael Wolgemuth. Martinum Schongauer** Columbariae (*Madonna im Rosenhaag*, *quies in fuga in Ægyptum*) imitati sunt vel extra fines Germaniae. **Zeitblom** eminuit simplicitate et coloribus pulcherrime varie-

gatis; **Joannes Holbein** Senior, majestate et aptissime adjecto lumine (*altare S. Sebastiani* et *Maria in templo*, Monachii). Scholam Coloniensem sua lenis venustas illustravit. Prae ceteris princeps ex ea artifex fuit **Stephanus Lochner,** qui dicitur primum opus artis picturae Germanicae confecisse: *adorationem magorum* in cathedrali Coloniensi.

Alium omnino cursum tenuit ars picturae in Italia. Ibi enim artifices praecipue contenderunt describere species venustas et animorum motus. Primis temporibus in solo opere tectorio occupabantur. Cimabue, Duccio et Giotto hanc artem exuerunt rigidis Byzantinorum formis conventitiis. Eorum discipulus, clarissimus **Taddeo Gaddi** († 1366), pinxit Mariae vitam, in *Santa Croce* Florentiae. Magis suo Marte artem coluit **Orcagna** († 1368) pinxitque judicium ultimum et gloriam caelestem in *S. Maria Novella*. Senis floruerunt Simone di Martino (†1344), cum fratre suo Donato et socero Lippo Memmi († 1346). Multo tamen fortius sua pinxerunt fratres Pietro et Ambrogio Lorenzetti. Recedentibus Papis Avenionem, Romae ardor pingendi resedit. Pauco post tempore, **Fra Angelico** (1387 – 1455) instauravit artis formam, quam priores artifices describere contenderant. Ipse hanc pingendi artem ad summum culmen perfectionis eduxit. Nemo tam vivide animorum motus in facie imaginum pingendo descripsit. Multas numero pinxit tabulas, opera tectoria quoque in *San Marco* Florentiae, in cathedrali Herbani, in Vaticano, artemque induxit in novam viam, quam dicunt *renascentiae prioris*. Quae conficiebantur artificia, sicut prius, tum quoque vix non fuerunt nisi religiosa. Methodus pingendi eadem mansit, donec inde ab anno 1473 pigmentum oleosum magis magisque in usum venit. Ingenti numero artifices tum temporis floruerunt. Primus novae methodi magister fuisse dicitur **Masaccio** (1401 — 1428). Splendidius multo pinxit **Philippo Lippi** († 1469), qui primus in suis madonnis consuetudinis domesticae familiaritatem expressit, ejusque discipulus **Botticelli** († 1510), qui in suis tabulis multas vivorum effigies delineavit. Eum secutus est **Philippino Lippi** († 1504), qui pinxit Romae in *St. Maria della Minerva*. Opus ejus princeps est *visio S. Bernardi*. **Ghirlandajo** († 1494) collegit peculiaria praedecessorum suorum, eminuitque descriptionis claritate et lucidissima scenographia. Pinxit in sacello Sixtino *vocationem apostolorum* aliaque. **Lucca Signorelli** († 1523) multas pinxit altarium ta-

bulas, in quibus alte cogitata robustis lineis expressit. **Perugino** unus fuit e schola Umbriae. Sicut Ghirlandajo Florentiae, ita Perugino Perusiae, quibus dotibus illustres fuerunt praedecessores, eas unus conjunxit. Opus ejus tectorium pulcherrimum est Christus e cruce pendens, in *Sta Maria Maddalena de Pazzi*. Praestantissimum etiam opus est *sepultura Christi*, in *Museo Pitti* Florentiae. Habuit Rafaelem discipulum. In multis concordat cum eo **Pinturricchio,** cujus, celeberrima Romae, *Appartamenta Borja* nuperrime sunt reparata. Patavii eminuit **Mantegna** († 1506), Bononiae **Francia** († 1517). Scholam Venetam illustrarunt Gentile († 1507) et Giovanni († 1516) **Bellini,** quorum prior sana naturae imitatione et acri projecta luce eminuit, alter lineamento et coloribus adhibitis.

5⁰. Quo tempore Papae morabantur Avenione et durabat schisma, **musica ars ecclesiastica** non ivit deorsum. Artifices symphoniaci manserant Romae. Avenione cantum ducebant praesertim Belgae, qui solebant cantare contrapunctice, sed etiam cantus minus religiosos in ecclesiam intulerunt. Hi artifices, postea cum Papa Romam profecti, cantum direxerunt. Fuerunt ex iis nonnulli magistri egregii, e. c. **W. Dufay** († 1432) ex Hannonia. Attamen Romae mox nimis saecularia sonabat cantus. Sanius et uberius cantus ecclesiasticus effloruit in Germania meridionali et Hollandia, ad exitum vergente saeculo XV. Ad aulam Burgundiae ducum, cantus composuerat jam paulo pridem **Aegidius Binchois** († medio saeculo XV). Illustres fuerunt **Joannes Okeghem** († 1513) e Flandria; **Jacobus Obrecht** († 1505), director cantorum Ultrajecti, postea Antverpiae; **Josquinus des Pré** († 1521), cujus fama in omnium principum aulis celebrabatur, cuique solus Orlando Lasso par fuit in interpretando textu per sonos; **Petrus de la Rue** (saeculo XV); **Antonius Brumel** (saeculo XV); **Loiset Compère** († 1518) et plures alii [1]).

---

[1]) *A. W. Ambros*, Geschichte der Musik, Breslau 1862—1878. De Nederlandsche toonkunstenaars der XV en XVI eeuw. Fragmenten der Muziek van A. W. Ambros, Rotterdam 1882.

TABELLAE CHRONOLOGICAE.

I. Series chronologica Romanorum Pontificum.

Haec series desumpta est de Enchiridio, ubi (§§ 61, 62, 63, 64, 65, 88, 89, 91, 92, 93, 95, 117, 118, 119, 120, 121, 122) opera in compositione adhibita inveniuntur. Indicare menses et dies, quod saepe impossibile aut fere inutile erat, omisimus. Nomina, quibus numerus praefixus non est, antipapas designant.

85.	Joannes VI	701–705	104.	Benedictus III	855—858
86.	Joannes VII	705—707		Anastasius	855
87.	Sisinnius	708	105.	S. Nicolaus I.	858—867
88.	Constantinus I	708—715	106.	Hadrianus II.	867—872
89.	S. Gregorius II	715—731	107.	Joannes VIII.	872—882
90.	S. Gregorius III.	731—741	108.	Marinus I.	882—884
91.	S. Zacharias [1])	741—752	109.	Hadrianus III	884–885
92.	Stephanus II.	752—757	110.	Stephanus V.	885—891
93.	S. Paulus I	757—767	111.	Formosus	891—896
	Constantinus II	767–768	112.	Bonifatius VI.	896
	Philippus	768	113.	Stephanus VI.	896—897
94.	Stephanus III.	768—772	114.	Romanus	897
95.	Hadrianus I	772—795	115.	Theodorus II.	897
96.	S. Leo III.	795—816	116.	Joannes IX	898–900
97.	Stephanus IV.	816–817	117.	Benedictus IV	900—903
98.	S. Paschalis I	817–824	118.	Leo V.	903
99.	Eugenius II	824—827	119.	Christophorus.	903–904
100.	Valentinus.	827	120.	Sergius III.	904—911
101.	Gregorius IV	827–844	121.	Anastasius III	911—913
	Joannes.	844	122.	Lando	913—914
102.	Sergius II.	844—847	123.	Joannes X.	914—928
103.	S. Leo IV.	847—855	124.	Leo VI.	928–929

---

[1]) Zachariae successit quidam nomine Stephanus, qui tertio post electionem die mortuus est neque Pontificibus adnumerari solebat.

125	Stephanus VII . .	929—931
126.	Joannes XI . . .	931—935
127.	Leo VII	936—939
128.	Stephanus VIII . .	939—942
129.	Marinus II . . .	942—946
130.	Agapetus II . . .	946—955
131.	Joannes XII . . .	955—964
132.	Leo VIII	963—965
133.	Benedictus V. . .	964
134.	Joannes XIII . . .	965—972
135.	Benedictus VI . .	973—974
	Bonifatius VII . .	974
136.	Benedictus VII . .	974—983
137.	Joannes XIV . . .	983—984
138.	Bonifatius VII . .	984—985
139.	Joannes XV . . .	985—996
140.	Gregorius V . . .	996—999
	Joannes XVI . . .	997—998
141.	Silvester II. . .	999—1003
142.	Joannes XVII . .	1003
143.	Joannes XVIII .	1003—1009
144.	Sergius IV . . .	1009—1012
145.	Benedictus VIII .	1012—1024
	Gregorius . . .	1012
146.	Joannes XIX . .	1024—1032
147.	Benedictus IX .	1032—1044
148.	Silvester III . .	1045
149.	Gregorius VI . .	1045—1046
150.	Clemens II. . .	1046—1047
151.	Damasus II . .	1048
152.	S. Leo IX . . .	1049—1054
153.	Victor II . . .	1055—1057
154.	Stephanus IX . .	1057—1058
	Benedictus X . .	1058—1059
155.	Nicolaus II. . .	1058—1061
156.	Alexander II . .	1061—1073
	Honorius II . .	1061—1069
157.	Gregorius VII. .	1073—1085
	Clemens III . .	1084—1100
	Sedisvacatio per annum.	
158.	Victor III . . .	1086—1087
159.	Urbanus II. . .	1088—1099
160.	Paschalis II . .	1099—1118
	Theodoricus . .	1100—1102
	Albertus. . . .	1102
	Silvester IV . .	1105—1111
161.	Gelasius II. . .	1118—1119
	Gregorius VIII .	1118—1121
162.	Calixtus II. . .	1119—1124
163.	Honorius II . .	1124—1130
	Coelestinus II. .	1124
164.	Innocentius II. .	1130—1143
	Anacletus II . .	1130—1138
	Victor IV . . .	1138
165.	Coelestinus II. .	1143—1144
166.	Lucius II . . .	1144—1145
167.	Eugenius III . .	1145—1153
168.	Anastasius IV. .	1153—1154
169.	Hadrianus IV. .	1154—1159
170.	Alexander III . .	1159—1181
	Victor IV . . .	1159—1164
	Paschalis III . .	1164—1168
	Calixtus III . .	1168—1179
	Innocentius III .	1179—1180
171.	Lucius III . . .	1181—1185
172.	Urbanus III . .	1185—1187
173.	Gregorius VIII .	1187
174.	Clemens III . .	1187—1191
175.	Coelestinus III .	1191—1198
176.	Innocentius III .	1198—1216
177.	Honorius III . .	1217—1227
178.	Gregorius IX . .	1227—1241
179.	Coelestinus IV .	1241
	Sedisvacatio per viginti menses.	
180.	Innocentius IV .	1243—1254
181.	Alexander IV. .	1254—1261
182.	Urbanus IV . .	1261—1264
183.	Clemens IV . .	1265—1268
	Sedisvacatio per duos annos et novem menses.	
184.	Gregorius X. . .	1271—1276
185.	Innocentius V .	
186.	Hadrianus V . .	1276—1277
186.	Joannes XXI . .	
188.	Nicolaus III . .	1277—1280
189.	Martinus IV . .	1281—1285
190.	Honorius IV . .	1285—1287
	Sedisvacatio per tredecim menses.	

191. Nicolaus IV . . 1288—1292
Sedisvacatio per duos annos et tres menses.
192. Coelestinus V . . 1294
193. Bonifatius VIII . 1294—1303
194. Benedictus XI. . 1303—1304
195. Clemens V. . . 1305—1314
Sedisvacatio per duos annos.
196. Joannes XXII. . 1316—1334
Nicolaus V. . . 1328—1330
197. Benedictus XII . 1334—1342
198. Clemens VI . . 1342—1352
199. Innocentius VI . 1352—1362
200. Urbanus V. . . 1362—1370
201. Gregorius XI . . 1370—1378
202. Urbanus VI . . 1378—1389
Clemens VII . . 1378—1394
203. Bonifatius IX . . 1389—1404
Benedictus XIII . 1394—1417
204. Innocentius VII . 1404—1406
205. Gregorius XII. . 1406—1417
Alexander V . . 1409—1410
Joannes XXIII . 1410—1415
206. Martinus V . . 1417—1431
Clemens VIII. . 1424—1429
Benedictus XIV . 1424
207. Eugenius IV . . 1431—1447
Felix V. . . . 1439—1449
208. Nicolaus V . . 1447—1455
209. Calixtus III . . 1455—1458
210. Pius II . . . . 1458—1464
211. Paulus II . . . 1464—1471
212. Sixtus IV . . . 1471—1484
213. Innocentius VIII. 1484—1492
214. Alexander VI. . 1492—1503
215. Pius III. . . . 1503
216. Julius II. . . . 1503—1513
217. Leo X . . . . 1513—1521

II. Imperatores Romani et Byzantini.

Leontius. . . . . 695—698
Tiberius III . . . . . 698—705
Justinianus II (iterum). . 705—711
Philippicus Bardanes . . 711—713
Anastasius II . . . . . 713—716
Theodosius III . . . . 716—717
Leo III Isauricus. . . . 717—741
Constantinus V Copronymus . . . . 741—775
Leo IV . . . . 775—780
Constantinus VI . . . . 780—797
Irene . . . . 797—802
Nicephorus I . . . . . 802—811
Stauracius 811
Michael I (Rhangabes). . 811—813
Leo V Armenus . . . . 813—820
Michael II . . . . . . 820—829
Theophilus. . . . . . 829—842
Theodora . . . . . . 842—856
Michael III . . . . . 842—867
Basilius I Macedo . . . 867—886
Leo VI Sapiens . . . . 886—911
Alexander . . . . . . 886—912
Constantinus VII. . . . 912—959
Romanus I. . . . . . 920—944
Romanus II . . . . . 959—963
Nicephorus II. . . . . 963—969
Joannes I . . . . . . 969—976
Basilius II . . . . . 976—1025
Constantinus VIII . . 1025—1028
Romanus III . . . . 1028—1034
Michael IV . . . . 1034—1041
Michael V . . . . 1041—1042
Constantinus IX . . . 1042—1054
Theodora . . . . . 1054—1056
Michael VI . . . . 1056—1057
Isaac I Comnenus . . 1057—1059
Constantinus X . . . 1059—1067
Romanus IV . . . . 1067—1071
Michael VII . . . . 1071—1078
Nicephorus III . . . 1078—1081
Alexius I Comnenus. . 1081—1118
Joannes II Comnenus . 1118—1143
Emmanuel I Comnenus 1143—1180

Alexius II Comnenus	1180—1183	
Andronicus I Comnenus	1183—1185	
Isaac Angelus	1185—1195	
Alexius III	1195—1203	
Alexius IV	1203—1204	
Alexius V	1204	
Balduinus I.	1204—1206	Latini.
Henricus.	1206—1216	Latini.
Petrus Cortenacensis	1216—1217	Latini.
Jolante	1217—1219	Latini.
Robertus Cortenacensis	1219—1228	Latini.
Balduinus II	1228—1261	Latini.
Joannis Breonensis	1230—1237	Latini.

Theodorus I Laskaris	1204—1222	Trapezunte et Niceae.
Joannes III Vatatses.	1222—1254	Trapezunte et Niceae.
Theodorus II Laskaris	1254—1258	Trapezunte et Niceae.
Joannes IV Laskaris.	1258—1261	Trapezunte et Niceae.
Michael VIII Palaeologus	1259—1282	
Andronicus II.	1282—1328	
Andronicus III	1328—1341	
Joannes V	1341—1391	
Emmanuel II	1391—1425	
Joannes VII	1425—1448	
Constantinus XII.	1448—1453	

III. Imperatores Germaniae et Reges Romani.

Carolus Magnus	800—814
Ludovicus Pius	814—840
Lotharius I.	840—855
Ludovicus II	855—875
Carolus Calvus	875—877
Carolus III Crassus	881—887
Guido Spoletanus	891—893
Lambertus Spoletanus	892—896
Arnulfus Carinthiacus	896—899
† Ludovicus III Infans [1]	899—911
Ludovicus III Provincialis	901—902
† Conradus I	911—918
Berengarius Foro-Juliensis.	915—924
† Henricus I Auceps	919—936
Otto I Magnus	936 (962)—973
Otto II	973—983
Otto III.	983 (996)—1002
Henricus II	1002 (1014)—1024
Conradus II	1024 (1027)—1039
Henricus III	1039 (1046)—1056
† Henricus IV	1056—1106
Henricus V	1106 (1111)—1125

Lotharius II (III)	1125 (1133)—1137
† Conradus III	1137—1152
Fredericus I	1152 (1155)—1190
Henricus VI	1190 (1191)—1197
Otto IV	1198 (1209)—1215
Fredericus II	1215 (1220)—1250
† Conradus IV	1250—1254
Interregnum	1254—1273
† Rudolphus de Habsburg	1273—1291
† Adolphus Nassoviensis	1292—1298
† Albertus I	1298—1308
Henricus VII.	1308 (1312)—1313
† Fredericus Austriacus	1314—1330
† Ludovicus Bavarus	1314—1347
Carolus IV.	1347 (1355)—1378
† Wenceslaus	1378—1400
† Rupertus Palatinus	1400—1410
Sigismundus	1410 (1433)—1437
† Albertus II.	1438—1439
Fredericus III	1440 (1452)—1493
Maximilianus I	1493—1519

---

[1]) Qui cruce signantur imperatores, coronati non sunt. Annorum numeri inter parentheses positi dilatam coronationem indicant.

IV. Reges Galliae.

Carolus Calvus	840—877
Ludovicus II Balbus	877—879
Ludovicus III	879—882
Carolomannus	879—884
Carolus III Crassus	885—887
Odo	888—898
Carolus III Simplex	893—923
Robertus I	922—923
Rudolphus	923—936
Ludovicus IV Transmarinus	936—954
Lotharius	954—986
Ludovicus V	986—987
Hugo Capetus	987—996
Robertus II	996—1031
Henricus I	1031—1060
Philippus I	1060—1108
Ludovicus VI	1108—1137
Ludovicus VII	1137—1180
Philippus II	1180—1223
Ludovicus VIII	1223—1226
Ludovicus IX	1226—1270
Philippus III	1270—1285
Philippus IV	1285—1314
Ludovicus X	1314—1316
Joannes I	1316
Philippus V	1316—1322
Carolus IV	1322—1328
Philippus VI	1328—1350
Joannes II	1350—1364
Carolus V	1364—1380
Carolus VI	1380—1422
Carolus VII	1422—1461
Ludovicus XI	1461—1483
Carolus VIII	1483—1498
Ludovicus XII	1498—1515
Franciscus I	1515—1547

V. Reges Angliae.

Egbertus	800—837
Ethelwolfus	837—856
Ethelbaldus	856—860
Ethelbertus	858—866
Ethelredus I	866—871
Alfredus Magnus	871—901
Eduardus I	901—929
Athelstanus	924—940
Edmundus I	940—946
Edredus	946—955
Edwy	955—959
Edgarus	959—975
Eduardus II Martyr	975—978
Ethelredus II	978—1016
Sweya	1014—1015
Canutus Magnus	1015—1035
Edmundus II	1016—1017
Haraldus I	1036—1040
Canutus II	1040—1042
Eduardus III Confessor	1042—1066
Haraldus II	1066
Gulielmus I Victor	1066—1087
Gulielmus II	1087—1100
Henricus I	1100—1135
Stephanus Blesensis	1135—1154
Henricus II	1154—1189
Richardus Cor leonis	1189—1199
Joannes Sine terra	1199—1216
Henricus III	1216—1272
Eduardus I	1272—1307
Eduardus II	1307—1327
Eduardus III	1327—1377
Richardus II	1377—1399
Henricus IV	1399—1413
Henricus V	1413—1422
Henricus VI	1422—1461
Eduardus IV	1461—1483
Eduardus V	1483
Richardus III	1483—1485
Henricus VII	1485—1509
Henricus VIII	1509—1547

VI. Reges Hispaniae.

Ferdinandus Catholicus (Arragonia) . . . . 1479—1516
Isabella Catholica (Castella) . . . . 1474—1504
Philippus I (Castella) . 1504—1506
Carolus I . . . . . . 1516—1556

VII. Facta praecipua.

Saeculum Septimum.

695. Willibrordus consecratur archiepiscopus Frisonum.

Saeculum Octavum.

708. S. Lambertus †.
711. Hispania a Saracenis expugnata.
714. Pipinus ab Heristallo †.
716. Bonifatius ad oras Frisonum appellit.
717. Carolus Martellus Radbodum devincit.
717. Leo Isauricus imperator.
719. Bonifatius apostolus Germaniae nominatus. Non succedit baptismus Radbodi †.
723. Bonifatius episcopus consecratur.
726. Initium controversiae circa sacras imagines
732. Bonifatius archiepiscopus. Clades Sacracenorum prope Pictaviam.
735. Beda Venerabilis †.
739. Willibrordus †.
741. Carolus Martellus †. Bonifatius in Germania dioeceses instituit.
742. *Concilium Germanicum.*
743. Synodus Liftinensis.
745. Archiepiscopatus Moguntinus.
752. Pipinus Brevis, rex Francorum.
754. Iconoclastarum synodus Constantinopolitana. Joannes Damascenus †.
755. Bonifatius martyr occumbit prope Doccomium. Regula Chrodegangi.
756. Donatio Pipini. Dominium temporale S. Sedis.
768. Carolus Magnus, rex Francorum.
771. Carolus solus regno potitur.
772—804. Saxones subjiciuntur.
774. *Donatio Carolina.* Confirmatur dominium temporale S. Sedis.
775. Gregorius Ultrajectinus †.
782. Alcuinus aulam Francorum ingreditur.
785. Widukindus et Alboinus baptizantur.
787. *VII Concilium oecumenicum Nicaenum.*
790. *Libri Carolini* adversus VII concilium.
794. Synodus Francofordiensis de cultu sacrarum imaginum.
797. Paulus Warnefridus †.

798. Synodus Aquisgranensis. Finis haereseos Adoptianorum.

800. Carolus Magnus, imperator. Instauratio imperii occidentis.

Saeculum Nonum.

804. Alcuinus †.

809. Synodus Aquisgranensis de addito *Filioque*. Ludgerus †.

814. Carolus Magnus †.

815. Resuscitatur in oriente controversia de cultu sacrarum imaginum. Leo Armenus.

817. Benedictus Anianensis monasteria reformat.

821. Benedictus Anianensis †.

825. Ultima synodus de cultu sacrarum imaginum, Lutetiae Parisiorum.

826. Theodorus Studita †.

829. Incipit inter Ludovicum Pium filiosque contentio.

838. S. Fredericus Martyr, Ultrajecti.

840. Agobardus Lugdunensis †.

842. Theodora in oriente imperium regit. Finis controversiae de cultu sacrarum imaginum. Festum Orthodoxiae.

843. Pactum Verodunense.

844. Initium controversiae de Eucharistia.

848—849. Godschalk Moguntiae et Carisiaci damnatur. Controversia de praedestinatione. Walafridus Strabo †.

850—859. Persecutio Ecclesiae in Hispania.

853. Synodus Suessionensis jam utitur collectione Pseudo-Isidori.

856. Rabanus Maurus †.

857. Ignatius deponitur; Photius patriarcha.

858. Nicolaus I Papa.

861. Magna pseudo-synodus Constantinopolitana. Methodius in Bulgaria praedicat.

865. Michael imperator Byzantinus contumaciter insurgit. Ansgarius †. Paschasius Radbertus †.

867. Photii encyclica epistola contra Ecclesiam occidentis. Pseudo-synodus Constantinopolitana. Basilius imperator Photium deponit.

869. *VIII Concilium oecumenicum Constantinopolitanum.* Cyrillus, Slavorum apostolus †. Ignatius Constantinopolitanus et Joannes VIII Papa dissentiunt de Bulgaris.

870. Carolus Calvus et Ludovicus II in loco Meerssen pactum faciunt.

871—901. Alfredus Magnus, rex Angliae.

875. Carolus Calvus imperator.

877. Carolus Calvus †. Ignatius patriarcha Constantinopolitanus †. Photius iterum patriarcha.

879. Photiana synodus Constantinopolitana.

882. Hincmarus Rhemensis †.
885. Methodius, Slavorum apostolus †.
886. Leo VI imperator Photium denique deponit.
891. Photius †.
896. Formosus Papa post mortem in judicium adductus.
899. Ludovicus infans

Saeculum Decimum.

901. Alfredus Magnus †.
904. Nobiles dominantur Romae. Marozia et Theodora.
905. Initium controversiae de tetragamia.
910. Berno abbas monasterium Cluniacense condit. Initium celeberrimae hujus congregationis.
912. Notkerus Balbulus †.
916. Berengarius imperator. Clades Saracenorum prope Garigliano fluvium.
919—936. Henricus I rex.
928. Marozia dominatur Romae.
932. Marozia nubit Hugoni, Provinciae et Italiae regi. Albericus se effert *Senator et princeps omnium Romanorum.*
936. Otto Magnus, rex Germaniae.
951. Otto, in Italiam transgressus, Adeleidam ducit.
955. Olga, Russorum magna princeps, Constantinopoli baptizatur.
961. Hakon, Norvegiae primus rex christianus, †.
962. Otto Magnus imperator coronatur.
963. Otto Joannem XII Papam deponit.
967. Otto II imperator coronatur.
973. Otto Magnus †.
974. Ratherius Veronensis †.
982. Groenlandia detecta.
984. Hroswitha Gandershemensis. †.
987. Hugo Capetus, rex Franciae.
988. Wladimirus Russos ad religionem Christianam adducit. Dunstanus Cantuariensis †.
993. Ulricus Augustanus, a *Papa* inter sanctos relatus.
997. Adalbertus Pragensis †.
1000. Islandia et Groenlandia ad Christianam religionem adducuntur.

Saeculum Undecimum.

1002. Sanctus Henricus regnum suscipit.
1005. Nilus Monachus †.
1008. Bernardus a Menthone †.
1012. Romualdus ordinem Camaldulensium fundat.
1014. Canutus, rex Daniae.
1022. Notkerus Labeo †.

1024. Sanctus Henricus †.

1027. Romualdus †.

1028. Fulbertus Carnotensis †.

1031. Dioecesis Lemovicensis interdicto obstricta.

1038. Stephanus, Hungariae rex, †. J. Gualbertus ordinem Vallisumbrosae fundat.

1041—1042. *Treuga Dei.*

1046. Synodus Sutriensis.

1048. Odilo Cluniacensis †.

1050. Synodi contra Berengarium haereticum.

1053. Epistola encyclica Michaelis Caerularii.

1054. Initium magni schismatis orientalis. Hermanus Contractus †.

1056. Henricus III †.

1056—1067. Pataria.

1056—1106. Henricus IV.

1059. Nicolai II decretum de eligendis pontificibus. Foedus Amalphiense. Robertus Guiscardus, vasallus S. Sedis.

1066. Anglia, a Gulielmo, Normanniae duce, occupata.

1071. Benedictinorum reformatio Hirsaviensis.

1072. Petrus Damianus †.

1073—1085. Gregorius VII Papa.

1074. Romana synodus quadragesimalis. Controversia de investitura.

1076. Synodus Vormatiensis contra Gregorium VII.

1077. Henricus IV Canossae.

1084. Gregorius, Henricum effugiens, se recipit in Castellum S. Michaelis.

1085. Gregorius Salerni moritur.

1088. Berengarius †.

1095. Synodi Placentina et Claramontana.

1096. Expeditio prima crucigerorum.

1099. Hierosolyma expugnata.

Saeculum Duodecimum.

1100. Godefridus Bulionaeus †.

1106. Henricus IV †.

1106—1125. Henricus V. Continuatur controversia de investitura.

1109. Anselmus Cantuariensis †.

1113. Bernardus monasterium ingreditur.

1118. Fundatio Templariorum.

1120. Norbertus fundat ordinem Praemonstratensium.

1122. Concordatum Vormatiense.

1123. *IX Concilium oecumenicum, Lateranense I.*

1130. Schisma Anacleti.

1139. *X Concilium oecumenicum, Lateranense II.*

1142. Abaelardus †.

1144. Edessa expugnata.

1147. Expeditio secunda crucigerorum. Bernardus Spirae.

1150—1151. *Decretum* Gratiani.

1152—1190. redericus Barbarossa.

1153. Bernardus †.
1154. Arnoldus de Brixia †.
1156. Ordo Carmelitarum.
1159. Kathari in Anglia.
1162. Thomas Becket, archiepiscopus Cantuariensis.
1164. Petrus Lombardus †. Congressus Clarendonensis.
1170. Thomas Becket †.
1173. Richardus a S. Victore †.
1176. Proelium prope Legnanum.
1177. Petrus ? Waldus.
1179. *XI Concilium oecumenicum, Lateranense III.*
1182. Franciscus Assisinates nascitur.
1187. Saladinus Hierosolymam expugnat.
1189. Tertia expeditio crucigerorum.
1190. Fredericus Barbarossa †. Hospitale B. M. V. Germanorum Hierosolymitanum.
1198—1216. Innocentius III.
1198. Ordo Trinitariorum.

Saeculum Tertium decimum.

1201. Innocentius partes Ottonis sequitur.
1202. Quarta expeditio crucigerorum. Alanus ab Insulis †.
1204. Imperium latinum Constantinopolitanum.
1208. Ordo Franciscanorum.
1209. Expeditio sacra contra Albigenses.
1212. Clarissae.
1215. *XII Concilium oecumenicum, Lateranense IV.* Fredericus II.
1216. Ordo Dominicanorum.
1221. S. Dominicus †.
1226. S. Franciscus †.
1227. Thomas Aquinas natus.
1228. Quinta expeditio crucigerorum.
1231. S. Elisabeth Thuringica †. Antonius Patavinus †.
1234. Stedingii.
1238. Carmelitae in occidente.
1245. *XIII Concilium oecumenicum, Lugdunense I.* Alexander Halensis †.
1248. Sexta expeditio crucigerorum. Fundatur cathedralis Coloniae Agrippinae.
1249. Damiata expugnata.
1250. Fredericus II †.
1256. Eremitae S. Augustini.
1260. Flagellantes.
1261. Ruit imperium Latinum Constantinopolitanum.
1264. Festum Corporis Christi.
1268. Conradinus †.
1270. Septima expeditio crucigerorum. S. Ludovicus †.
1273—1291. Rudolphus Habsburgensis.
1274. *XIV Concilium oecumenicum, Lugdunense II.* Thomas Aquinas †. Bonaventura †.
1280. Albertus Magnus †.

1282. Vesperae Siculae.
1294. Caelestinus V deponit pontificatum.
1294—1303. Bonifatius VIII. Controversia cum Philippo Pulchro.
1296. Caelestinus V †.

Saeculum Quartum decimum.

1300. Primum jubilaeum.
1302. Bulla *Unam Sanctam.*
1303. Bonifatius VIII †.
1308. Duns Scotus †.
1309—1377. Papae Avenionenses.
1311—1312. *XV Concilium oecumenicum Viennense.* Suppressio Templariorum.
1314. Jacobus de Molay exustus.
1321. Dante †.
1322—1347. Ludovicus Bavarus.
1340. Nicolaus Lyranus †.
1347. Gulielmus Occam †.
1348—1350. Mors nigra. Processiones flagellantium.
1354. Cola di Rienzi †.
1360. Jesuatae.
1361. Tauler †.
1365. Henricus Suso †.
1373. S. Birgitta †.
1377. Finis exsilii Avenionensis.
1378. Initium schismatis occidentalis.
1380. Catharina Senensis †.
1381. Joannes Ruysbroeck †.
1384. Wicleffus †. Gerardus Magnus †.
1386. Jagello Polonus baptizatus.
1387. Fundatur Congregatio Windeshemensis.
1395. Gerson cancellarius.
1398. Hus Pragae.

Saeculum Quintum decimum.

1400. Florentius Radewijns †.
1409. Concilium Pisanum: tres Papae.
1414—1418. *XVI Concilium oecumenicum Constantiense.*
1415. Hus †.
1417. Electio Martini V. Finis schismatis.
1425. Petrus ab Alliaco †.
1429. Gerson †.
1431—1445. *XVII Concilium oecumenicum Basileense-Ferrariense-Florentinum*
1453. Constantinopolis expugnata.
1455. Fra Angelico †.
1458. Pius II.
1459. Conventus Mantuae.
1464. Pius II †. Nicolaus Cusanus †.
1471. Thomas a Kempis †. Dionysius Carthusianus.
1478. Inquisitio Hispanica.
1483. Sixti IV decretum de Immaculata Conceptione B. M. V.
1491. Ignatius a Loyola natus.
1492. Alexander VI.
1498. Savonarola neci traditus.

Saeculum Sextum decimum.

1500. De las Casas ad Americam appellit.
1502. Fundatur Universitas Wittembergensis.
1503. Julius II.
1507. Rafaël in Vaticano stanze pingit.
1501. Michelangelo in Sacello Sixtino a fresco pingit.
1511. Luther Romae.
1512—1517. *XVIII Concilium oecumenicum, Lateranense V.*
1513. Leo X.
1517. Ximenes cardinalis †.

INDEX.

AETAS ALTERA.

MEDIUM AEVUM.

692—1517.

PERIODUS PRIMA.

Ab exeunte saeculo VII usque ad Gregorium VII.

692—1073.

CAPUT PRIMUM.

Dilatatio finium Ecclesiae.

CAPUT SECUNDUM.

Hierarchia ecclesiastica ejusque ad imperium civile relatio.

CAPUT TERTIUM.

Haereses, schismata et lites.

CAPUT QUARTUM.

SACRAMENTA, CULTUS, MORES ECCLESIASTICI.

CAPUT QUINTUM.

Scientia et ars ecclesiastica.

PERIODUS ALTERA.

A Gregorio VII ad Bonifatium VIII. 1073—1303.

CAPUT PRIMUM.

Summi Pontifices.

CAPUT SECUNDUM.

Luctamen cum Islamismo. Ulterior explicatio doctrinae catholicae.

CAPUT TERTIUM.

Haereses.

CAPUT QUARTUM.

CONSTITUTIO ECCLESIASTICA.

CAPUT QUINTUM.

Sacramenta. Vita religiosa et moralis.

CAPUT SEXTUM.

Scientia et ars ecclesiastica.

PERIODUS TERTIA.

A Bonifatio VIII ad Reformationem.
1303—1517.

CAPUT PRIMUM.

Summi Pontifices.

CAPUT SECUNDUM.

Tentata haeretica et reformatoria.

CAPUT TERTIUM.

Ordinatio ecclesiastica. Clerici saeculares et regulares.

CAPUT QUARTUM.

Scientia ecclesiastica.

CAPUT QUINTUM.

Vita religiosa et artes ecclesiasticae.

INDEX NOMINUM ET RERUM.

B.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

N.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

